



N. Johnson
Admission
And the singing.

TRACTATUS
DE LOCIS THEOLOGICIS.
PARS PRIMA.

PRÆLECTIONES
THEOLOGICÆ,

QUAS

IN COLLEGIO ROMANO S. J.

HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU ,

IN EOD. COLL. THEOL. PROF.

EDITIO LOVANIENSIS, DILIGENTER EMENDATA, ET VARIIS ACCESSIONIBUS AB AUCTORE LOCUPLETATA.

VOL. VIII

CONTINET TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS PARTEM PRIOREM, VIDELICET
DE ECCLESIA ET DE ROMANO PONTIFICE.

LOVANIÏ,

TYPIS ET SUMPTIBUS VANLINTHOUT ET VANDENZANDE,
UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHORUM.

—
1843.



LECTORI BENEVOLO.

JAM pridem ab ipso mearum de re theologica prælectionum ingressu illud me præstiturum sponderam , ut peculiari aliquando Locos theologicos , quos nuncupant , tractatione explanarem. Id vero Dei Opt. Max. beneficio tandem perfecisse lætor. Prodit quippe in lucem primum disputationis hujus volumen , quod alterum non ita serius excipiet. Universa porro hæc lucubratio , tametsi postremo omnium loco edatur , primam nihilominus sedem post tractatum , qui de vera religione a nobis inscriptus est , suo

jure sibi vindicat. Etenim, quæ reliquæ sunt theologiarum institutionum partes, ex principiis veluti aliunde notis atque exploratis in peculiarium dogmatum evincenda veritate versantur. At vero hæc, quam auspicamur, posteaquam, quod par est, fundamentum in tractatu de vera religione præjactum fuerit, principia ipsa atque fontes, unde omnis in theologica disciplina veritatum series dimanat, proponit atque explicat, eorumdem inter se nexum ac mutuam, quam vocant, dependentiam patefacit, et quod caput est, singulorum veritatem accurate demonstrat. Quæ cum ita sint, optimo jure factum est, ut tractationi huic Locorum theologorum appellatio inderetur; eandemque ob rem haud alio quam receptissimo illo titulo hanc operis nostri partem prænotandam censuimus.

Jam nos ipsi profiteamur, nos plura in hisce Locis illustrandis fuisse complexos, quæ arctissimam cum iis necessitudinem habent, quæ in altera parte tractatus de vera religione haud ita summis labiis delibata sunt. Verum utraque invicem disputatio plurimum distat. Etenim id unum illic intendimus, ut continenti propositionum serie, efficaci illa quidem, sed arctiori et pressa, homini divinæ revelationis necessitatem atque existentiam nuperrime edocto, nec in quam societate exquirenda ea sit satis per seipsum internoscere valenti, veræ Christi Ecclesiæ faciem ac præcipua lineamenta velut in tubula quadam expressa exhiberemus. Hic vero, quoniam regulæ proximæ fidei nostræ dignitatem nancisci Ecclesia debet, funditus enucleanda res est; natura ipsa atque intima Ecclesiæ constitutio exploranda, ceteraque de Scripturis et traditionibus in propatulo ponenda; quæ nisi solide in ipso Theologiæ vestibulo constituta fuerint, omnis deinceps disputatio, suis quasi nervis destituta, nutet oportet.

Neque vero mirum cuique videri debet, quod Locorum theologicorum explanationem duobus voluminibus vix exhauserimus. Nam, quominus parciores in scribendo esse possemus, tum rei gravitas atque copia, tum instituti nostri ratio, nec non ætatis quæ nunc est conditio prohibuerunt. Incredibile enim dictu est, quanto vesaniæ ac furoris æstu heterodoxi homines, quo inclinatum et prope collapsum protestantismum utcumque sustentent, in labefactanda catholicæ Ecclesiæ imprimisque rom. Pontificis auctoritate, ceterisque sacræ Theologiæ fontibus corrumpendis unanimes adlaborent. Nec facile explicari potest, quam fallacibus eisque variis ac multiplicibus artibus utantur, quotque in dies terribissimas machinationes moliantur. Quandoquidem igitur illud perpetuo animo constitutum gesserimus, ut præ obsoletis jamdiuque protritit errorum, qui in præsentia grassantur, potissimam haberemus rationem, committere non potuimus, ut hasce vafferrimorum hominum technas paulo studiosius non consecutemur, quo ipsa manifestatione debilitatæ et fractæ conciderent.

Ceterum nihil inde nostrarum prælectionum moles justo amplius excrescit. Hic enim qui de Locis est theologicis, atque alter de vera religione tractatus, apparatus loco ad universam theologiam haberi debent, iidemque propterea seorsum a reliquis edi atque in usum deduci possunt.

Nihilo tamen secius, ut iis etiam collegiis morem geramus ac clericorum ephebeis, in quibus brevior usura temporis ad theologiæ curriculum absolvendum pro sua studiorum ratione conceditur, simul ac alterum tractationis hujus volumen publici juris

effectum fuerit, ad ipsas hasce prælectiones nostras in compendium redigendas, si Deus annuat, manus admovebimus.

Utinam laborum omnium nostrorum ille tandem fructus obtingat, ut quidpiam solidi emolumenti juventuti, in spem catholicæ Ecclesiæ adolescenti, pariatur. Id enim vero est quo tendimus, quod discupimus. Id ut Deus Opt. Max. faxit, enixis precibus flagitamus.

TRACTATUS

DE LOCIS THEOLOGICIS.

PROOEMIUM.

1. NEMO profecto, qui sacras vel a limine salutavit disciplinas, conspicuum Dominicanæ familiæ decus illud ac lumen Melchiorem Canum merito non suspexerit, quem tractatus *De locis theologicis* inscribi solitus, suum veluti parentem agnoscit. Sive enim doctrinæ spectetur firmitas, sive acumen ingenii, sive compta scribendi ratio ac perpolita, tam multa inibi eximia offeruntur, ut, quid potissimum sibi primas vindicarit, addubites. Nihilominus, cum per ætatem, in qua vir præclarissimus scripta edebat, numeris omnibus absolutum opus videatur, tum in præsentia minus idoneum, et auditoribus informandis minus accommodatum, suffragio doctorum virorum habitum est. Quapropter expetita fuit nova methodus, qua hic tractatus in scholis traderetur, diversa ab ea, quam sibi præoptavit Canus, ceterique deinceps, qui ad hæc ferme tempora eum imitati, aquas ex illo communi fonte in suos usus quodammodo derivarunt.

2. Et plura sunt, quæ me ad obsequendum huic sive monito sive desiderio non movent duntaxat, sed pene compellunt. Atque in primis agendi ratio protestantium, biblicorum, rationalistarum ac mythicorum in doctrinis catholicis insectandis, ob quam non amplius datur nobis tritum iter insistere, ut apto cum iis armorum genere dimicemus. Etenim quemadmodum post adscitum in usus bellicos sulphureum pulverem integra militaris ars, sive in extruendis arcibus, sive in impetu hostico repellendo, sive in ceteris, quæ ad leges oppugnatorias spectant, est immutata; ita variari debuit norma oppugnandi Religionis hostes, posteaquam isti novis machinationibus ad catholicos aggrediendos uti cœperunt. Præterea idipsum suadent progressus, quos insequentibus temporibus scientiæ fecerunt, tum in arte critica, tum in exegesi, tum denique in philosophicis disciplinis, ad quos exigiram theologiam necesse est, ne reliquis disciplinis hæc nostra

inferior videatur. Huc accedit, methodum a Cano adoptatam, ac deinceps a reliquis fere post ipsum, minus geneticam, ut loquuntur, sive scientificam videri posse. Ex ea siquidem haud levia dimanant incommoda, quæ declinari vix aut nullatenus etiam queunt.

3. Etenim Canus primo loco de Scripturis divinis agit, deinde vero de Traditione, hinc de Ecclesia et de Conciliis, quibus subnectit quæ ad romanum Pontificem, Sanctos veteres, quos vulgo *Patres* nuncupamus, ac Theologos scholasticos pertinent; ut demum tres alios aperiat fontes, unde Theologus hauriat argumenta illa, quæ ipse vocat adscriptitia ac velut ex alieno emendicata, rationem scilicet naturalem, auctoritatem philosophorum et jurisconsultorum, postremo auctoritatem humanæ historiæ (1).

4. Verum enim vero quis unquam non viderit, nequaquam posse quemquam de Scripturis sacris, prout *divinæ* spectantur, apte disserere, de ipsarum, ut aiunt, inspiratione et canone, ut reliqua missa faciam, quin prius auctoritas illa constituta sit, ex qua solum eæ notæ tuto nobis poterunt constare? Idem dic de divinis traditionibus et earum auctoritate, ac de reliquis quæ ab Ecclesiæ auctoritate ac testimonio, uti postea ostendemus, unice pendent.

5. Quamobrem iter insistendo, quod et alias ingressi sumus in posteriori tractationis nostræ parte, quam de *Vera religione adversus heterodoxos* inscripsimus, magis ad rem conficiendam opportunum nobis visum est exordiri ab Ecclesia, cujus præscriptionem, sive *anterioritatem*, ut ita loquar, cum jam constitui-mus, sic magis ac magis in hac ipsa tractatione confirmabimus. Ex hoc porro principio velut ex uberrima segete primum erit colligere, quæ ad sacram Scripturam et ad traditionem, sive oralem, sive litteris documentisque deinceps consignatam, aliave ratione ad nos deductam, referuntur. Quibus absolutis firmiterque constabilis, pandetur via ad reliquas quæstiones agitandas, de quibus acris controversia, ætate potissimum hac nostra, et contentio excitata est, de analogia videlicet rationis ac fidei.

(1) Lib. 1, cap. 3.

6. Cum enim locorum theologicorum nomine veniant argumentorum sedes ac veluti domicilia, ut loquitur Canus, ex quibus theologi omnes suas argumentationes sive ad confirmandum sive ad refellendum inveniunt, patet, si rem strictius spectes ac prout scientiæ nostræ natura exposcit, quæ tota divinæ auctoritati innititur, eos revocari debere ad verbum Dei sive scriptum sive traditum, quod constituit eam quam vocant *remotam* fidei nostræ regulam. Cum autem de genuino Dei verbo ac germano ejus sensu, sive revelationis objecto, constare certo nobis non possit nisi per medium tutum ac infallibile, cujusmodi Ecclesia est, quæ constituit fidei regulam *proximam* nuncupatam, ut latius suo loco ostendemus, hinc fit, ut prius de Ecclesia quam de Dei verbo agere debeamus. Etenim, quoad nos, prius constare debet medium quam res, quæ per medium innotescit. Abjicere autem legitimum rectæ rationis usum a theologicis disciplinis nec possumus nec debemus, adeo siquidem individuus est nexus inter rationem ac revelationem, quæ ex eodem omnium bonorum fonte, Deo, dimanant, ut dissociari ab invicem nullatenus possint. Hunc propterea ordinem consecutantes, totum quod aggredimur opus, in tres partes distribuere constituimus; in quarum prima universim, quæ ad Ecclesiam spectant, disputabuntur; in altera, quæ ad verbum Dei scriptum et traditum; in postrema, quæ ad rationis et fidei analogiam referuntur. Interseremus præterea idoneis locis, quæ usui necessaria sunt, ut qui adversarios fidei catholicæ aggrediuntur, eos prospere feliciterque valeant impugnare.

7. Quoniam vero Ecclesia *acephala* seu sine capite neque est neque intelligi potest, ideo de Ecclesia integra, quæ in prima parte dicturi sumus, accipienda erunt; quamvis ob rei, de qua agitur, gravitatem, cogamur distincte de Ecclesiæ capite disputationem instituere. In duas proinde sectiones hanc primam tractatus partem dividimus, in quarum priori de Ecclesia generatim, in posteriori de ejus capite seu de romano Pontifice agemus.

PARS I.

SECTIO PRIOR.

DE ECCLESIA CHRISTI.

8. Christi Ecclesiæ nomine significamus societatem illam, quam Christus Jesus, cujus divinam missionem vindicavimus in tract. *De vera Religione*, instituit, ut depositum asservaret cœlestis doctrinæ in terras ab se delatæ, atque organum seu medium simul esset, quo hæc ipsa doctrina conservaretur integra atque propagaretur.

9. De hac societate nobis inquirendum est, quænam sit ejus origo seu institutio; quomodo sit constituta; quænam sint ejus notæ; quæ ejus dotes et munia. Totidem hæc capita erunt, in quæ priorem hanc sectionem distribuemus.

CAPUT I.

DE CHRISTI ECCLESIE INSTITUTIONE ET ORIGINE.

10. Ut ex ipsa tituli inscriptione patet, controversia hic minime agitur de Ecclesia universim sumpta, quæque ab ipso mundi exordio cum protoparentibus cœpit, longo sæculorum tractu percrebuit, ac novam peculiaremque sub Moyse adeptam formam in electo Dei populo usque ad Christum perseveravit. De hac enim Ecclesia, seu potius de hisce diversis ejusdem Ecclesiæ statibus, nulla intenditur nobis lis; præsertim cum hi status desierint, ut locum cederent tertio, in quo Ecclesiæ per Christum in terris totius nunc perfectionis cumulus accessit.

11. Dissidentes igitur de postremo hoc Ecclesiæ statu, quem a suo institutore ac fundatore posthac vocabimus Christi Ecclesiam aut absolute Ecclesiam, investigabimus ejus originem, ut eam colligamus antiquiorem esse quavis Scriptura, quæ de ipsa loquitur, et eidem præscribere. Hujus quidem veritatis semina ac velut fundamentum jecimus in allegato tract. *De vera*

Religione (1); ast quod illic in finem, quem nobis proposuimus, vix attigimus, nunc firmiter statuemus, minutimque evolvemus ob gravissimas, quæ exinde fluunt, consecutiones.

12. Porro cum illud nobis propositum sit, Ecclesiæ originem et institutionem absque Scripturarum divinarum subsidio ostendere, non earumdem usum rejicimus, imo, cum opus fuerit, ex iis testimonia adducemus. Verum, quod alias monuimus (2), hic eis utemur ut documentis mere historicis, quorum auctoritas atque veritas ex solis argumentis criticis constent, prout ex solis criticis argumentis sacras Litteras admittunt protestantes, cum quibus potissimum nobis res est. Etenim cum Protestantes rejiciant Ecclesiæ catholicæ auctoritatem, coguntur confugere ad sola argumenta critica ad utramque constabiliendam. Hinc abstractentes a divina sacrarum Litterarum inspiratione et ab earumdem canone, sic testimonia promemus ex libris illis, quos ex criticis regulis protestantes authenticos et veros habent, perinde ac si ex Livio aut Tacito aliisque profanis scriptoribus testimonia afferremus quoad ea, quæ referuntur de republica aut Imperio romano. Ad sensum vero quod spectat, eum consecrabimur, quem exegeseos regulæ, a Protestantibus pariter admissæ, requirunt.

13. Quibus ita constitutis, pergimus ad ea perficienda, quæ nobis hoc in capite proposuimus circa Ecclesiæ institutionem et originem, in sequentibus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Christus Ecclesiam instituit et fundavit, ut per eam et in ea sui cultores mediis idoneis essent instructi ad æternam salutem sibi comparandam.

14. His verbis *factum* enunciamus cum *jure* conjunctum, institutionem videlicet Ecclesiæ, quæ a Christo facta sit, et finem, quem idem Christus sibi proposuit in ea instituenda, qui æterna est Christi fidelium salus mediis idoneis obtinenda.

(1) Part. II, prop. II.

(2) Ibid. n. 17.

15. Jam vero ejusmodi factum seu instituta a Christo societas cultorum suorum triplici via nobis innotescit; ac primo quidem ex societate ipsa, quæ adhuc perseverat ac floret, et a Christo conditore suo nomen habet. Quævis enim societas est persona moralis, cujus membra sunt individua singula, ex quibus illa coalescit, et existit per vincula, quibus societas ipsa constituitur. Porro persona hæc moralis, quæ nunquam deficit et moritur, ea ipsa est, quæ sua existentia de se testimonium dicit; objectum vero hujus testimonii sunt ea omnia, quæ de sua origine, institutione, doctrina, legibus, institutis, ac reliquis omnibus quæ ad eandem societatem spectant, ipsa profitetur (1). Societas autem christiana vel ipso nomine suo, cultu, institutis testatur in universo, quo late patet, terrarum orbe, se a Christo primitus fundatam fuisse, et ultra XVIII sæcula ab sui origine numerare, omnigena nec unquam interrupta monumentorum ac documentorum serie id ipsum confirmans(2). Quapropter, etiamsi deessent sacræ Litteræ, adeo factum istud compertum est, ut, qui velit ipsum, non dicam inficiari, sed vel in dubium revocare, profecto amens sit.

16. Secundo id ipsum evincitur ex omnibus christianæ Re-

(1) In qualibet societate, individua moriuntur; ast societas eadem semper perseverat pereuntibus individuis, quo fit ut institutiones, mores, consuetudines simul cæptæ jugiter conserventur. His porro societas a societate, gens a gente discriminantur, nec melius possumus de institutis cujusvis gentis aut societatis nosse, quam a peculiari gente aut societate, cujus illa sunt propria. A Græcis ex. gr. melius novimus quæ ad Græcos spectant, a Romanis quæ ad Romanos, et ita porro. Hoc vero potissimum valet, cum agitur de institutis religiosis. Quanam enim meliori ratione cognoscere possum, quæ ad Islamismum pertinent, quam ab Isla-

mitis; quæ ad Buddhismum, quam a Buddhistis, et ita de reliquis? Hæc regula generalis est.

(2) Huc enim referuntur successiones Episcoporum, universalis Ecclesiæ praxis, acta Conciliorum sive particularium sive generalium, Christianorum præclara gesta, scripta Patrum, templa, lapides, aliaque ejusmodi monumenta, quæ expendemus in altera hujus tractationis parte, ubi agetur de mediis, per quæ perennis Ecclesiæ traditio ad nos pervenit, atque a nobis cognosci potest. Quæ quidem omnia moralem historicam certitudinem summam constituunt omni exceptione majorem.

ligionis motivis, quæ vocant credibilitatis, quæque suo loco evolvimus et propugnâvimus (1). Nam si hæc motiva talia sunt, quemadmodum alias ostendimus, ut divinam prorsus esse patefaciant religionem a Christo institutam, simul patefaciunt institutionem et originem Ecclesiæ, quæ identificatur cum religione ipsa. Equidem haud ignoramus, re *in abstracto* spectata, aliud Religionem esse, aliud Ecclesiam, quum illa respiciat tantum cultum, aut etiam, si lubet, latiori quodam sensu veritates, quas Religio proponit, hæc autem tantum societatem colentium aut profitentium veritates, quas Religio complectitur; verum et illud quoque novimus, *in concreto* rem in idem recidere. Neque enim unquam Religio consistere potest absque iis, qui eam profiteantur. Cum itaque motiva credibilitatis evincant divinam originem et institutionem Religionis christianæ in concreto, hoc ipso evincunt divinam originem et institutionem Ecclesiæ christianæ. Hæc autem majorem adhuc firmitatem ac robur accipiunt, ex eo quod pleraque credibilitatis motiva afficiant societatem ipsam seu Ecclesiam a Christo fundatam; ejusmodi sunt, quæ petuntur ex propagatione christianæ Religionis, ex martyrum fortitudine, ex Ecclesiæ item perpetua conservatione, quæ duplex semper præ se ferunt pro divina christianæ Ecclesiæ origine ineluctabile argumentum: alterum quidem ex ipsa rei natura in omnibus suis adjunctis spectata, alterum vero ex adimpletis divini ipsius Conditoris vaticiniis, quibus ea prænuñciavit futura ac certo adimplenda. Tot igitur suppetunt argumenta pro origine et institutione Ecclesiæ a Christo facta, quot sunt motiva certissima religionis christianæ.

17. Duplici ex hac via, quarum altera a nobis ascendimus ad Christum usque, altera autem a Christo ad nos usque descendimus, factum, quod enunciavimus, ineluctabili adeo ratione, imo evidentia constat, ut plane confecta res sit; idque absque ullo Scripturarum adscito præsidio.

(1) In tract. *De vera Relig.* part. 1, cap. iii et iv, ubi ex miraculis et vaticiniis, præsertim vero Christi a mortuis resurrectione, divinam ejusdem

Christi missionem, ac religionis proinde et Ecclesiæ ab eo institutæ divinitatem ostendimus.

18. Nunc demum idipsum adstruimus ex sacris Litteris, quas, ut præfati sumus, adjicimus velut documenta historica cœvorum scriptorum, qui nobis œconomiam aperiunt, quam Christus Servator noster in hac Ecclesia instituenda atque fundanda sequutus est. Jam vero qui commentaria primum ediderunt de Christi gestis et dictis, eum nobis exhibent colligentem ex suis discipulis prius viros duodecim, quos et Apostolos nominavit (1). Hos voluit esse propagatores suæ doctrinæ (2), atque adeo diligentius instituit, ac suos effecit individuos comites (3), immo peculiari potestate instruxit (4) et auctoritate (5), amplissimumque illis commendavit munus prædicandi doctrinam suam per mundum universum (6), spondens sese eis præsto adfuturum, et Spiritum veritatis usque ad consummationem seculi ab eis nunquam recessurum (7). In his Petrum elegit ut petram seu rupem ad fundamentum, super quo ædificaret *Ecclesiam suam* (8) semper constituram; eundem præfecit cunctis agnis et ovibus suis, eique munus eas pascendi commisit (9), et peculiari ratione, seorsum nempe a ceteris, claves ei contulit regni cœlorum (10). Post apostolos et alios septuaginta duos discipulos elegit, ut illis essent tanquam adjutores in ministerio quod ipsis commiserat (11). Parvam hanc societatem, in iisdem documentis, post ascensum Christi in cœlum conspicimus succrescere, ac sese in proximas regiones effundere (12), deinde vero in remotiores ac longe dissitas, ita ut brevi occupet universam terram juxta ejusdem Christi pollicitationem (13), ac denique per seculorum lapsum, ex documentis ecclesiasticis prope innumeris, eodem semper vigore pollentem ad nos usque pervenire.

19. Constat igitur, juxta triplicem quam inivimus viam, omni

(1) Matth. x, 1 et seqq. Marc. iii, 10; Luc. vi, 13.

(2) Act. Apost. 1, 8; Ephes. ii, 20; Apoc. xx, 14.

(3) Matth. Marc, Luc. locis citatis.

(4) Marc. xvi, 15 et seqq.

(5) Joan. xx, 21.

(6) Matth. xxviii, 19; Marc. xvi, 15.

(7) Ibid. et Luc. xxiv, 49; Joan. xiv, 16.

(8) Matth. xvi, 18.

(9) Joan. xxi, 15-17.

(10) Matth. xvi, 19.

(11) Luc. x, 1.

(12) Act. Apost. ii-x et seqq.

(13) Rom. xv, 19; Coloss. 1, 6.

argumentorum genere luculentissime factum, quod enunciauimus. Quod uero spectat ad *jus*, ad æternam scilicet salutem mediis idoneis nobis comparandam, tanquam finem, quem Christus sibi proposuit in instituenda Ecclesia sua, prout secundo loco ostendendum assumpsimus, non minus aperte adstruitur. Ac *primo* ex ipsa divina Christi missione, quam ei jamdiu vindicauimus (1). Objectum porro diuinæ missionis non aliud esse potest quam revocandi ac coniungendi homines cum Deo ultimo fine nostro, sive in tempore sive in æternitate; ut scilicet homines redeant ad illud principium, a quo originem per creationem habent. In hoc autem consistit æterna hominum salus. *Secundo* hoc ipsum conficitur ex professione ipsius Ecclesiæ a Christo institutæ, quæ non alium sibi præstitutum finem agnovit præter æternam felicitatem obtinendam, ope diuinæ gratiæ et omnium virtutum, charitatis, præcipue in Deum et proximum, exercitio. Huc media omnia collineant ac revocantur. *Tertio* demum palam est repetitis effatis Christi conditoris Ecclesiæ, relatis a scriptoribus cœvis, quibus protestatus est, se in hunc mundum venisse, ut daret vitam, eamque abundantem, ovibus suis (2), suis videlicet cultoribus; quæ quidem vita gratiam complectitur in præsentia ceu germen, opera sancta tanquam fructum, æternam uero beatitudinem quasi ejusdem evolutionem ac terminum, quamque absolute interdum uocat *vitam æternam* (3). Omnis ejus doctrina, præcepta, consilia, Sacramenta, etc. ueluti totidem media eo tendunt, atque in id unum conspirant.

20. Cum propterea apertissime ex dictis factum cum jure conjunctum constitutum sit, patet, quod proposuimus, Christum nempe Ecclesiam instituisse atque fundasse, ut in ea et per eam sui cultores mediis idoneis essent instructi ad æternam salutem sibi comparandam.

DIFFICULTATES.

21. Objectio. 1^o Vehementer errat, qui ex hodierna Ecclesia

(1) Tract. *De uera Relig.* part. 1, cap. 4.

(2) Joan. x, 10.

(3) I Joan. v, 11.

sibi persuadet colligere posse originem et statum Ecclesiæ primigeniæ. Etenim 2^o *reactiones*, ut vocant, quæ longa seculorum serie factæ sunt adversus Ecclesiam dominantem seu catholicismum, omnes, nulla prorsus dempta, sive quoad doctrinam, sive quoad internam constitutionem, Ecclesiæ primitivæ nomine prodierunt, seu ut revocarent Ecclesiam ad pristinam originem et statum suum (1). 3^o Quis porro probe dijudicaverit, utrum Ecclesia catholica desciverit a primæva origine per successivas phases, quas adjuncta materialia rerum induxerunt, an contra Ecclesiæ particulares, quæ protestantur, se unice legitimas hæredes esse societatis a Christo institutæ? 4^o Sane Ecclesia non illico perfecta enata est; sed tres distinctæ ejus phases enumerantur, quarum prima se a Christo Jesu protendit ejusque discipulo Petro, in qua societas Christiana, seu potius schola judaica vix a synagoga discriminabatur, omnesque ritus legales adhuc servabantur; altera a Paulo cœpit, per quem abolita lex ritualis est, ac veluti divisionis murus erectus inter utrumque populum, judaicum et christianum, post acres pugnas, quibus decertavit cum Christianis primæ phaseos et cum Petro ipso; tertia a Joanne est constituta, qui, utpote theosophus, principium evolvit mysticismi, invexitque mutationem systematis suorum prædecessorum, et insinuavit Ecclesiæ, ut ope novæ interpretationis erueret ex scriptis Evangelistarum et Apostolorum formam positivæ dominationis, spiritum rigidæ politics et ardorem insatiabilis ambitionis. Hinc in prima periodo idea symbolica Christi Jesu referebat *personificationem* judaicæ gentis, in altera retulit *personificationem* totius humani generis, in postrema *personificationem* totius universi, quatenus omnia per Christum cœperunt, et in ejus unitatem per generalem restitutionem seu ἀποκατάστασιν desinere debent(2)?

(1) Ita J. Salvador, in op. cui tit. *Jésus-Christ et sa doctrine*, Paris 1838, ubi, tom. 1, pag. 1, loquens de origine christianismi, scribit: *Les commotions les plus étendues dont il a ressenti les effets, les schismes qui l'ont divisé aux époques où la puis-*

sance de son organisation semblait à jamais inébranlable, se sont tous accomplis au nom de l'Église primitive.

(2) Sic idem auctor, qui hæc evolvit lib. II et III, op. cit. cfr. præsertim tom. 1, pag. 154 et seqq.

5^o Quid mirum igitur, si idem iter insistendo præsens Ecclesia longe alia atque diversa sit a primæva, nec propterea ex actuali Ecclesiæ existentia ullum possit capi argumentum pro ejus identitate originis et institutionis cum origine et institutione Ecclesiæ primitivæ?

22. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Nec enim debet permisceri, quemadmodum ab adversariis fit, quæstio de existentia aut identitate alicujus societatis cum varietate, ut ita dicam, formarum, quas eadem societas temporis lapsu inducere seu adsciscere potuit. De posteriori hac quæstione idoneo loco agemus; interim argumentum de existentia perenni et continuata societatis christianæ sive Ecclesiæ a Christo institutæ immotum permanet. Alioquin deberet concludi, nationem gallicam ex. gr., germanicam aut anglicam non amplius existere ob diversitatem sive principiorum sive formæ regiminis, quam identidem subierunt.

23. Ad 2^m, *Dist.* Id est, perduelliones particulares adversus Ecclesiam dominantem factæ sunt sub prætextu Ecclesiam revocandi ad primævam institutionem, *conc.*; reipsa id susceperunt, *neg.* Utique nulla perduellio seu, ut adversarii loquuntur, reactio contigit ex parte privatorum hominum adversus Ecclesiam dominantem, id est, catholicam, quin factio non obtenderet illam in melius revocare sive circa aliquem doctrinæ theoreticæ aut practicæ articulum, sive circa ejus regimen. Verum præterquam quod pallium istud cito decedit, et vera apparuit seditio causa, privata scilicet ac personalis ratio (1), hoc ipso quod istæ facti-

(1) Non aliunde hæreses aut sectæ ortæ sunt, quam ex eo quod voluerint earum auctores privatum sensum suum opponere traditioni ac doctrinæ Ecclesiæ universalis seu catholicæ. Tertullianus, Epiphanius, Augustinus ceterique scriptores, qui catalogum et originem singularum hæreseon nobis reliquerunt, unanimes sunt in hac assertionem. Nec alia extitit origo hæresum, quæ tribus postremis seculis ortæ sunt; nec alia erit earum, quæ subsequenter. Prætextus varii sunt; ast una est vera causa, superbia, quæ omnium sectarum mater fecunda est. Apposite S. Augustinus, *Tract. xlv in Joan. n. 5*, variis commemoratis hæreticis, qui jactabant, se veram doctrinam Christi tradere, tandem concludit: *Et quid opus est multa percurrere, et multa vana hæresum enumerare? Hoc tenete, ovile Christi esse catholicam Ecclesiam.*

ones quovis seculo, imo plures intra ejusdem seculi spatium ad nos usque contigerint, sunt totidem documenta, quæ invicte perennem ostendunt existentiam illius unicæ Ecclesiæ, adversus quam illæ omnes protestatæ sunt; quod nobis in præsentia sufficit.

24. Ad 3^m, Respondeo, sectas ipsas idoneum hoc dare iudicium. Nam cum earum unaquæque propriæ defectionis ab unica illa Ecclesia dominante, nempe catholica, hoc vel illo seculo figat epocham, fateaturque eam jam exitisse, cum ascendamus de secta in sectam usque ad Apostolos et Christum, patet profecto, sectas ipsas solemne ferre iudicium, solam dominantem Ecclesiam a Christo et Apostolis provenisse, eamque propterea solam legitimam hæredem esse promissionum, quas societati a se institutæ Christus fecit. Quod vero attinet ad titulos, quibus unaquæque secta cohonestare extrinsecus nisa est propriam defectionem, eos paulo post excutiemus.

25. Ad 4^m, *Dist.* Id est, nonnisi temporis lapsu totam vim suam, naturam ac proprietates evolvit, prout adjuncta poscebant, *conc.*; totam plenamque intrinsecam perfectionem consecuta non est a divino suo conditore, *neg.* Perfecta sane Ecclesia prodivit, cum a Christo instituta est; germina omnia ac elementa futuræ illius majestatis et fulgoris, ad quam matura pervenit, in intima sua natura asservabat, etsi ea illico non explicuerit et maturaverit. Ad hoc enim tempore et opportunis rerum vicissitudinibus opus est; siquidem societas seu corpus morale evolvi debet instar corporis physici. Quapropter perinde ac infans iis

Quicumque vult intrare ad ovile, per ostium intret, Christum verum prædicet... sed Christi gloriam quærat, non suam: nam multi quærendo gloriam suam, oves Christi sparserunt potius quam congregaverunt. Humilis est enim janua Christus Dominus: qui intrat per hanc januam, oportet humiliet se, ut sano capite possit intrare. Qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascen-

dere; qui autem per maceriam ascendit, ideo exaltatur ut cadat. Et clarius adhuc Serm. xlvj, de pastoribus, num. 18: Diversis locis, inquit, sunt diversæ (sectæ): sed una mater superbia omnes genuit; sicut una mater nostra catholica omnes christianos fideles toto orbe diffusos. Non ergo mirum, si superbia parit discussionem, caritas unitatem. Opp. tom. v, col. 234.

omnibus naturalibus proprietatibus instructus est, quas crescente ætate exerit et prodit, sic Ecclesia, suis essentialibus proprietatibus prædita ab ipsa sua institutione, temporis lapsu ac poscentibus rerum adjunctis eas in plena luce posuit et evoluit. Quod nec adversarius ipse, quem impugnamus, diffitetur, imo contendit (1).

26. Exinde ruit per se, quod de triplici distincta periodo, seu ut adversarius loquitur, de triplici Ecclesiæ phasi adjectum est, seu verius gratis et ad arbitrium ab eo confictum. Etenim Petrus, Paulus et Joannes nihil aliud præstiterunt, quam quod Christus jam effecerat. Christus dogma jam prædicaverat de futuro regno suo inchoando in terris et perficiendo in altera vita, complendoque per mortuorum resurrectionem; legem ac vaticinia in se implementum habuisse non semel testatus est; Petrus omnium primus accessum Ecclesiæ, pro collata sibi auctoritate, gentilibus dedit (2); Paulus, pluribus ubicumque exantlatis laboribus, gentilium et Judæorum conversionem promovit. Joannes obstitit gliscentibus hæresibus docetismi et cerinthianismi, quarum altera humanitatem, altera divinitatem Christo detrahebat. Doctrina porro his omnibus erroribus contraria tum in Evangeliiis tum in epistolis Pauli ac reliquorum Apostolorum, ipso adversario fatente (3), continebatur. Ubi igitur reperitur mysticismus primo invecus a Joanne? Ubi protensio *personificationis* symbolicæ Christi Jesu?

(1) Sic enim scribit, op. cit. tom. 1, p. 45 : *Sans doute le christianisme n'est point apparu tout à coup tel qu'il se manifeste après quelques siècles de durée ; sa période d'origine elle-même embrasse plusieurs phases très-distinctes, dans chacune desquelles on voit un aspect particulier de l'édifice se développer sous l'influence d'un personnage principal.*

(2) Act. Apost. x, xv, 7.

(3) En ejus verba ex vol. ii, pag. 181 et seq. *Entre les sectes nées sous les*

yeux des apôtres, il y en avait une qui reconnaissait le Fils de Marie pour le Christ, sa morale pour une morale divine ; mais au lieu de prendre la résurrection des morts à la lettre et dans son sens matériel, elle se proposait de la réduire allégoriquement au passage qui s'accomplissait chaque jour entre l'état de ténèbres et de mort, où les âmes se trouvaient avant la venue de Jésus-Christ, et leur état ultérieur d'activité et de vie. Or les chefs de cette secte furent bientôt pour-

27. Quod subjicitur de acri pugna quam Paulus, juxta adversarium sustinere debuit adversus primæ scholæ sectatores et adversus Petrum ipsum, commentum est ab adversario excogitatum. Immo Petrus pugnare debuit cum judaizantibus (1), eo quod admisisset in Ecclesiam gentiles absque mosaico ritu. In Concilio Hierosolymitano pari consensu constitutum est, non esse cogendas gentes ad ritus mosaicos servandos (2). Quod si Christus et Apostoli morem ab initio gesserunt cæremonialibus institutis, prudenti quadam œconomia usi sunt, ut facilius Judæos ad christianam religionem amplectendam adducerent; quæ cessante, totus ille ritualis apparatus utpote supervacaneus sublatus est (3). Objurgatio autem, quæ a Paulo facta est Cephæ, ac si adversario magis arridet, Petro (4), ad quam ipse alludit, pro objecto habuit dissimulationem practicam, quæ ethnicos conversos inducere facile poterat in errorem.

suivis et anathématisés par le plus puissant et même par le plus pratique de tous les apôtres. Paul leur opposa cette déclaration solennelle que, s'il n'y avait pas de résurrection matérielle des morts, Jésus-Christ non plus ne serait pas ressuscité; et si le maître n'était pas ressuscité, s'il ne représentait point, en dehors de toute allégorie, le premier né visible et palpable du royaume surnaturel qui devait s'accomplir, toute la prédication de la nouvelle école serait vaine. Cfr. etiam ii ad Timoth. II, 17 et 18.

(1) Act. xi, 2 et seqq.

(2) Ibid. xv, 7 et seqq. Nec omitendum, quod legitur Act. vi, 14, de B. Stephano, adversus quem ejus adversarii accusationem intulerunt ex eo, quod diceret: *Quoniam Jesus Nazarenus hic destruct locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.* Quæ profecto referuntur ad

abrogationem legum ritualium, et tamen spectant ad primam, quam adversarius vocat christianismi phasin.

(3) Eadem ratio, quæ impulit Apostolos ad retinenda legalia, quo facilius Judæos inducerent ad profitendam religionem christianam, compulit pariter ad ea abjicienda, ne ab eadem profitenda retraherentur gentiles.

(4) Non pauci critici, innixi potissimum auctoritati Clementis Alex., tuentur, Cephæ a Paulo reprehensum diversum esse a Petro. Sane Clemens apud Eusebium, lib. I, *Hist. eccl.* cap. 12, ait: *Cephæ a Paulo reprehensum unum fuisse ex lxx discipulis, Petri Apostoli cognominem: Κηφάν.... ἵνα φησὶ γεγοίναι τῶν ἐβδομήκοντα μαθητῶν, ἰμῶνυμοι Πέτρῳ τυγχάνοντα τῶ ἀποστόλῳ.* Idem censuit ex antiquis Dorotheus Tyri, in *Commentario de lxx discipulis*, apud Du Cangium in chronico paschali, nec non illi, quorum meminit S. Hierony-

28. Ad 5^m, Resp. quinimo optimo jure ex dictis inferri identitatem præsentis Ecclesiæ cum Ecclesia a Christo instituta. Ecclesia enim sequentibus ætatibus magis ac magis principia ac germina a Christo in ejus fundatione inducta, uti jam præstiterant Apostoli, evolvit. Et quoniam invecta ab Apostolis explicatio diversam Ecclesiam non intulit, sed ad summum novam evolutionis periodum; ita eductio successiva eorundem germinum ac principiorum, quæ progrediente ætate facta est, non intulit diversitatem Ecclesiæ distinctæ ab Ecclesia primigenia seu originali, sed solum, ut diximus, diversitatem periodorum ejusdem evolutionis. Efficax propterea ac firmum consistit argumentum, quod ex actuali Ecclesia ducitur, pro identitate hujus Ecclesiæ cum primæva.

PROPOSITIO II.

Ecclesia a Christo instituta anterior est quavis Scriptura.

29. Uti ex substrata materia liquet et ex ipsa propositionis enunciatione, hic agimus de *anterioritate* Ecclesiæ in ordine ad Scripturam Novi Testamenti, ad quam solam tractatum nostrum coarctavimus.

30. Existentiam porro christianæ Ecclesiæ quibusvis libris anteriorem esse, res pariter *facti* est, quæ, sive spectata ejus origine ac natura, sive documentis ipsis, a nemine sanæ mentis in dubitationem revocari potest (1).

mus in suis *Commentariis in Ep. ad Galatas*; auctor chronici Alexandrini ad an. Christi xxx, pag. 6, aliique. Hanc sententiam mordicus tuetur Joan. Harduinus in peculiari de hoc argumento dissertatione, quæ inter opera ejusdem selecta, Amstelod. 1709, relata est, pag. 920 et seqq. eandem tuetur Zaccharia, aliique passim cum ipso.

(1) Sane Lessing in opp. posthumis theologicis scribere non dubitat: *Non*

solum Jesu Christi historia cognita erat, priusquam vulgaretur in Evangeliiis; sed universa christiana religio jam tenebatur et exercebatur, cum nullum adhuc Evangelium scriptum fuerat. Recitabatur Pater (oratio dominica), quin legi posset in Evangelio S. Matthæi. Adhibebantur in collatione Baptismi verba a Christo Jesu præscripta, antequam ea litteris apostoli consignassent. Possem aliorum Pro-

31. Atque id evidens inprimis fit spectata Ecclesiæ origine ac natura. Nam Christus Servator noster, ejus conditor et institutor, nihil omnino litteris consignavit (1); sed, prout ferebat ætatis illius consuetudo, doctrinam suam vivæ vocis oraculo tradidit. Ut autem citius longe lateque propagaretur, misit Apostolos et discipulos in Judæam primum (2), deinde vero in mundum universum, ut eam pari ratione, id est, viva voce disseminarent (3).

testantium ad hoc ipsum adstruendum auctoritates congerere, nisi ageretur de re, quæ a nemine *in dubium vocatur*. Cfr. Célérier, *Essai d'une introduction critique*, etc. pag. 260.

(1) S. Augustinus, *De consensu evangelistarum*, lib. 1, cap. 9, sub Christi nomine vulgatos memorat a Manichæis libros, in quibus, habebatur ars patranda prodigia, quam Salvatorem exercuisse homines impurissimi autumabant. Hi porro libri statim cum execratione rejecti sunt. Idem, *Epist.* cccxxvii, edit. Maur. al. ccliv, memorat a Priscillianistis compositum hymnum, quem Christus, Matth. xxvi, ad montem Olivetum pergens dixisse fertur, ac rejicit velut obscurum hæreticorum figmentum. Gravior est controversia de mutuis Christi et Abgari Edesseni principis epistolis, quas, ex Edessenæ urbis archivii erutas, e Syrorum lingua se transtulisse testatur Eusebius, lib. 1, cap. 12. Gelasius inter apocrypha has retulit epistolas; ac merito, cum Ecclesia eas non receperit, et ante Eusebium, aut ut Græbio placet, in *Spicilegio Patrum 1 seculi*, ante Julium Africanum, qui primus reperit, Christianos omnes latuerint. Attamen Tillemontius, Caveus atque Græbius propugnandas sibi esse duxerunt. Potissima eorum ratio ab Eusebii fide, candore

ac eruditione oritur. Hæc porro ad id valuisse dicimus, ut nihil Eusebius obtruderet, quod archivii edessenis non extaret; non ut genuinum fieret, quod inde deprompsit. Altera petitur ratio ex Ephremi Syri (in testamento), Darii comitis (in epist. ad Augustinum cccxx), Procopii, Theodori Studitæ atque Gregorii ii auctoritate, qui eas cum honoris significatione memorant. Ast Procopius suspectas habuit, ceteri Eusebii fidem securius secuti sunt. Tertia ratio profertur ex eo, quod nihil continent Christo indignum. Esto; sed inde non sequitur, eas authenticas esse.

(2) Matth. x, 5, Act. xiii, 46. Clemens Alex. ex veterum traditione, apud Eusebium, lib. v, cap. 18, refert, Dominum præcepisse Apostolis, *ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent*.

(3) Cujus quidem assertionis, de consuetudine nempe tunc temporis recepta apud Judæos de communicandis viva voce et per nuncios doctrinis, vadem damus judæum Salvador, qui op. cit. tom. 1, pag. 160, scribit; *L'usage hébraïque de communiquer les enseignements par la tradition orale bien plus que par l'écriture, et l'exemple des docteurs contemporains les plus célèbres du pays, empêcheraient encore de tirer de ce fait aucun argu-*

Ne tamen alieni in hoc ministerium se obtruderent, ac prava dogmata ingererent, quæque a magistri mente quavis ratione deflecterent, Christus peculiare ad id muneris homines delegit, in unum veluti corpus congregavit, auctoritate instruxit, legibus communivit, de perenni auxilio suo certiores effecit usque ad consummationem seculi (1); ipsis præterea Spiritum veritatis, quibuscum maneret in æternum, pollicitus est (2); atque ita demum efformata et instituta societate sua seu Ecclesia, ei præcepit, ut *doceret omnes gentes omnia, quæcumque ipsi mandaverat* (3). Apostoli Christo obsecuti sunt, et viva voce doctrinam Christi Judæis primum, postea ethnicis tradiderunt; ex conversis ad Christi fidem quosdam delegerunt, quibus idem ministerium committerent, nempe Episcopos, qui ceteros eadem ratione informarent.

32. Quare Ecclesia ita instituta et informata absque Scripturarum subsidio, quæ nondum editæ erant, stetit ac perseveravit ad plures annos. Instruebantur fideles, credebant, regebantur, orabant, Sacramentis muniebantur ac firmabantur, antequam horum quidpiam fuerit scriptis mandatum.

33. Quod si temporis progressu Apostoli aut discipuli Christi gesta et doctrinam litteris consignarunt, non ideo id effecerunt, vel ut Christi monitis obsequerentur, vel ut facta omnia Christi Domini et universam ejus doctrinam in editis a se commentariis complecterentur. Contrarium potius professi sunt (4). Sumpta itaque occasione, quod non satis veritati consentanea circumferrentur de Christi dictis et factis a privatis hominibus, tres priores Evangelistæ sua commentaria ediderunt (5), aut saltem rogatu

ment décisif contre son existence; et ibid. pag. 322: A une époque où la communication la plus rapide des idées ne s'opérait qu'à l'aide de la parole, Jésus sentit bientôt la nécessité de choisir douze suppléans appelés à annoncer sa mission et à le représenter partout.

(1) Matth. ult.

(2) Joan. xiv, 16.

(3) Matth. loc. cit.

(4) Joan. xx, 30; xxi, 25. Item epist. ii, 12, et epist. iii, 13; ii ad Thessal. ii, 14. Verum de hoc argumento postea.

(5) Luc. i, 1. Exinde enim orta sunt commentaria, quæ Lucas hic leviter culpat.

fideliū hoc præstiterunt (1), octo, decem, viginti eoque amplius annis post Christi in cœlum ascensum, adeoque post institutam Ecclesiam. Joannes vero, ut se corruptoribus Christi doctrinæ opponeret, post sexaginta plus minus annos ab Ecclesiæ institutione suum evangelium exaravit (2). Eadem de causa, ut fideles tuerentur a gliscentibus erroribus, et insidiantibus hæreticis, qui jam cœperant intemeratū christianæ fidei depositum suis novitatibus corrumpere ac foedare, epistolas suas scripserunt Apostoli, aut etiam, ut aliqua sibi oblata occasione ipsos instrue-

(1) Matthæum inter sextum et octavum annum post Christi ascensionem evangelium scripsisse hebraico, seu potius syro-chaldaico idiomate, in gratiam Palæstinensium, qui fuerant ad Christum conversi, plerique interpretes tradunt, innixi veterum auctoritati. Id enim testantur Papias, apud Euseb. lib. iii, cap. 4; Irenæus, lib. iii, cap. 1; Eusebius, lib. iii, cap. 24; Hieronymus, *Præf. in evangelia*, et in *Catalogo*, nec non lib. iii *Contra Pelagianos*; Epiphanius, *Hæres. xxxix, xxx*, et alibi; Chrysostomus, *Hom. i in Matth.* Augustinus, *De consensu Evangelistarum*, lib. 1, cap. 2; Auctor synopses athanasianæ, aliique magno numero. Sic etiam Marcum Romæ an. 43 aut 44, a Romanis rogatum, græce evangelium exarasse, iidem ferme auctores locis cit. referunt, adeoque x vel xi post Christi ascensionem anno.

(2) S. Hieronymus, in *Catalogo*, cap. 9, scribit: *Joannes Apostolus... novissimus omnium scripsit evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis, adversus Cerinthum aliosque hæreticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam non fuisse. Unde com-*

pulsus est divinam ejus nativitatem edicere. Sed et aliam causam hujus scripturæ ferunt, quod, cum legisset Matthæi, Marci et Lucæ volumina, probaverit quidem textum historicæ, et vera eos dixisse firmaverit, sed unius tantum anni, in quo et passus est, post carcerem Joannis, historiam tenuisse. Edit. Vallars. tom. ii, lib. iii, cap. 24. Clemens Alex. apud Euseb. lib. vi, cap. 14, Epiphanius hæres. ii, § 19, aliique. Quibus omnibus ratum est, propositum illi fuisse tum Christi divinitatem adversus exorientes hæreses tueri, tum edita evangelia supplere. Plerisque Irenæo consentiunt, asserenti, lib. iii, cap. 1, Ephesi in Asia id contigisse. Idem asserit vetustior Polycarpus apud Victorem Capuanum; Petrus Alexandrinus in Chronico, quod *Alexandrinum* vocant, ejus authographum ea in urbe sua ætate servatum fuisse tradit, apud Petavium in *Uranologio*, pag. 213. Porro Joannes Ephesum e Patmos insula, Domitiano extincto, repetiit anno xcvii. Quare vel hoc vel insequenti anno Evangelio lucubrando vacavit, qui annus respondet sexagesimo tertio aut sexagesimo quarto post ascensionem Christi Domini.

rent (1). Nunquam autem eos in animo habuisse plenam et integram seu absolutam in suis scriptis christianæ doctrinæ normam præbere, patet ex his ipsis commentariis, quæ peculiare narrationes aut doctrinas continent; quoad cetera discipulos suos remittebant ad Ecclesiæ magisterium (2).

34. Quæ hic complexi sumus, æque referuntur ad Scripturas atque ad doctrinam universam. Prius enim est existere quam aliquid agere aut scribere et docere. Cum vero tum ex ipsa rei de qua agitur natura, tum ex luculentissimis documentis id ostenderit, constat, quod proposuimus, scilicet Ecclesiam a Christo institutam anteriorem esse quavis Scriptura.

DIFFICULTATES.

35. Obj. 1^o Utiq; ratio et documenta concurrunt ad *anterioritatem* Ecclesiæ adstruendam præ Scriptura; verum hoc ipso nutat veritas historica ipsius Ecclesiæ, imo et Christi ipsius. 2^o Etenim in hac hypothesis nihil vetat, quominus cum Straussio aliisque mythicis ac rationalistis non paucis admittamus, Christum ipsum, prout in sacris Litteris exhibetur, non aliud esse quam conceptum idealem aut symbolicum humanitatis ad summum perfectionis gradum evehctæ. 3^o Hujus quidem typi conceptio orta ex connubio doctrinæ, seu potius idearum judaicarum et idearum orientalium, expressa est in *personificatione* Christi Jesu ab hominibus utriusque doctrinæ initiatis. 4^o Cum vero ejusmodi *personificatio* de ore in os transmissa fuerit atque, ut fit, ampli-

(1) Dum vero asserimus, scriptores hagiographos *oblata sibi occasione* scripsisse, non ideo inficiamur, divina Providentia ita disponente id factum esse, ac propterea Deum eos ad scribendum excitasse, mentem manumque duxisse in iis seligendis, quæ ipse voluerit, id quod G. Palmer Prof. Oxon. de quo postea agemus, catholicos scriptores carpens, inde consequi putat; sed dicimus, Deum, qui omnia fortiter suaviterque disponit, hac usum esse

opportunitate, ut obtineret finem, quem intendit in illis scriptis, ut enucleatius exponemus.

(2) Cfr. epist. II Petri, epist. Judæ, item epist. Pauli ad Rom., ad Corinth. in quibus hoc ipsorum propositum aperte elucet. Cfr. præterea I ad Cor. XI, 16; I ad Tim. III, 15; Hebr. XIII, 17, ut pateat, solitos Apostolos fuisse fideles remittere ad Ecclesiæ magisterium, in iis quæ ipsi non scripserunt.

cata, originem dedit primum evangelio aramæo, deinde evangeliiis reliquis, seu narrationibus de Christi fatibus effatisque, prout adhuc leguntur juxta varias, quæ circumferebantur, traditiones ex fonte mythologico derivatas. 5° Prout autem quisque affectus erat, alii systema judaico-orientale ad normam receptæ tunc temporis interpretationis veterum vatum exposuerunt, uti tres priores evangelistæ, qui propterea, quæcumque de populi israhælitici *personificati* vicibus vates prædicarunt, ipsi accommodarunt Christo Jesu; alius autem, nempe Joannes, systema secutus græco-orientale, utpote apud asiaticos commoratus atque in ipsa schola Alexandrina institutus, visibilem Deum in Christo Jesu visibilibus Græciæ diis substituit. 6° Facile autem fuit a Christo ad institutam quamdam ab eo societatem seu Ecclesiam gradum facere; et quæ de synagogæ institutionibus, ritibus, regimine, hierarchia, sacerdotio constituta erant, tum quæ de ejusdem temporali gloria ac majestate fuerant prædicta, tum quæ de regeneratione temporali et felicitate omnium gentium opera Judæorum ex Dei cognitione erant denunciata Abrahæ et Jacob, in fictitiam hanc Christi Ecclesiam translata sunt. 7° Semina exinde futuræ dominationis, auctoritatis, immo et ambitionis ac potentiaë jacta sunt; temporis autem lapsu evoluta, ex mystica et spirituali auctoritate, quæ prius fuerat, in terrenam et temporalem iterum delapsa est; ita ut ejusmodi temporis auctoritas et potestas provocaverit reactionem in se protestantismi, prout ipsa Ecclesia christiana in synagogam jamdiu insurrexerat (1). Ergo.

(1) Ita Strauss, *Vie de Jésus, ou Examen critique de son histoire*, traduct. de l'allemand par E. Littré, Paris 1839, tom 1, part. 1, pag. 35 et suiv. 105 et suiv.; et Salvador, op. cit. *Jésus-Christ et sa doctrine*, Paris 1838. Nempe eodem tempore duo scriptores, alter protestans, judæus alter, vacabant scriptioni vitæ Christi Jesu, et decertare inter se videbantur, uter alterum impietate superaret in evertenda christiana religione; eo vero successu res iisdem accidit, ut incertum adhuc

sit, uter palmam alteri eriperit; siquidem sunt ambo pessimi. Quamvis vero quoad rei summam et scopum sibi propositum inter se conveniant, contrariam tamen viam inierunt in principiis statuendis. Etenim Salvador veritatem historicam evangeliorum veluti basim suæ inquisitionis assumpsit; Strauss autem eam rejecit, imo evertere nisus est, ut mythicam ei basim sufficeret. Sic utrique inveniuntur falsi testes adversus Jesum.

36. Resp. Ad 1^m, *Neg.* quemadmodum haud nutat veritas historica romanæ reipublicæ, quamvis ejus exordia, et quæ præclare in ea gesta sunt, ne dicam post paucos annos, sed post plura secula scriptis fuerint consignata.

37. Ad 2^m, seu ad 1^m prob. *Neg.* Etenim, etiamsi hoc paradoxum novum non sit, ac superiori seculo labente ab incredulo homine fuerit invectum, qui in Christo ejusque Apostolis systema cœleste adumbrari sensit (1), adeo tamen absurdum est, ut nullius sanæ mentis hominis suffragium tulerit, nec ferre unquam possit. Existentiã siquidem realem et historicam Christi Domini, ac conditæ proinde per eum societatis, scilicet Ecclesiæ, tot regionum, ætatis illius morum, traditionum antiquarum, legum, linguæ, opinionum popularium, sectarum, regiminis sacri et civilis, classium diversarum Judæorum tunc temporis vigentium, adjuncta postulant, ut, illa sublata, nulla amplius istorum, quæ ad illam referuntur et cum illa connexa sunt, ratio dari possit, neque confingi potuerit. Gesta præterea, prædicatio Apostolorum ac vices arcto adeo nexu consociantur cum reali Christi existentiã, prout in Evangelio et scriptis Apostolorum exhibetur, ut quodammodo cum ea identificentur. Tota denique Christi doctrina ac dogmata præcipua a reali ejus historia pendent, atque necessario eam exposcunt (2) nedum supponunt. Neque silentio prætereundum est, fieri nullomodo potuisse, ut plures homines, illius præsertim indolis et conditionis, cujusmodi fuerunt Apostoli atque

(1) Dupuis, *Origine de tous les cultes, ou Religion universelle*, Paris, l'an III de la république une et indivisible, tribus voluminibus in 4. Haud dubium nihilominus est, ingens interpositum esse discrimen inter opus Dupuisii et opus Strausii, cum ille vel ipsam Jesu et Apostolorum existentiã inficietur, iste vero eam admittat sensu, quem innui, ac paulo post fusius exponam. Uterque ingentem eruditionem ostentat ad suum peculiare systema astruendum.

Christi, ejus admirabilis conceptio, nativitas, infantia, prout referuntur a SS. Matthæo ac Luca, multo vero magis ejus a mortuis resurrectio, ascensus in cœlum, etc. mythica sunt omnia, quæ non alium fundum historicum habent, quam præ se ferant dii aut semidii et heroes paganæ antiquitatis. Suum systema circa mythicismum evangeliorum exponit in introductione, §§ XIII, XIV, præsertim vero § XV, *Caractères distinctifs des mythes dans le récit évangélique.*

(2) Porro juxta Strausii genealogia

Evangelistæ, in idem consilium convenerint, ad personam scilicet confingendam ex conceptu ideali, et ad doctrinam adeo sublimem promulgandam, qualis in Evangelio traditur. Inventores enim, ut loquitur Rousseau, præstantiores essent heroe a se excogitato (1). Ad hæc, si addantur documenta omnia judæorum et profanorum scriptorum (2), scripta itidem apocrypha antiquissima Apostolis fere cœva (3), effectus omnes, qui sine existentia reali et historica, a qua dimanant, nulla ratione obtineri poterant, plena adeo ac evidens illius certitudo exurgit, ut vel historiæ omnes rejiciendæ sint, et existentia Alexandri, Julii Cæsaris aliorumque ejusmodi summorum virorum sit prorsus eliminanda atque ad ideas symbolicas revocanda, vel necessario, imo magis Christi Jesu realis seu historica existentia admitti debeat; quum nullius ex illis heroibus existentia adeo fœcunda fuerit eventuum, qui cum illis colligantur, uti est existentia Christi (4).

38. Ad 3^m, *Neg.* Et hoc enim commentum sero excogitatum est a rationalistis absque ullo historico fundamento, sed per ineptas conjecturas deductum. In istorum enim systemate ejusmodi

(1) Sic enim scribit in *Æmilio*: *Il serait plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent composé ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le sujet... L'Évangile a des caractères si parfaitement inimitables, que l'inventeur en serait plus grand que le héros.* Integrum ejus textum exhibuimus in tract. *De vera relig.* part. 1, cap. 3, prop. II, tom. I, pag. 131, not. (2). His adde, quæ ex Hug profert Cellérier, op. cit. *Essai d'une introduction critique au Nouveau Testament*, Genève 1823, sect. 1, *De l'époque où les livres du Nouveau Testament ont été écrits et de leur authenticité*, § I, *Indices internes*, etc. et section II, *Crédibilité des écrits du Nouveau Testament*.

(2) In eodem tract. loco citato, pag.

245, jamdiu animadvertimus, Christi præcipua gesta, imo et miracula tum a judæis tum ab ethnicis impugnatoribus christianæ religionis admitti quoad partem historicam.

(3) Cfr. *Codex. Apocryphi. Novi Testamenti* cum præfatione Fabricii.

(4) Jam innuimus, Straussium non absolute negare existentiam individui Jesu nuncupati, sed solum existentiam *Christi*, prout a scriptoribus sacris prohibetur quoad ejus conceptionem, ortum, infantiam, doctrinam, miracula, resurrectionem, ascensionem, quæ partim exponit de mytho quodam historico, partim de mytho poëtico, partim de mytho mixto investis a genio illius gentis, ad quam pertinebat, et præconcepitis opinionibus asseclarum, ex traditione mythica.

connubium fieri cœpisset post dispersionem hebraici populi per duplicem captivitatem, primo decem tribuum sub Salmanasar, deinde duarum reliquarum sub Nabuchodonosor; perfectum denique esset seu consummatum, postquam multitudo ingens Judæorum profecta est in Ægyptum, ibique, præsertim vero Alexandriæ, synagogas et scholas habuerunt. Porro nullus est doctrinæ articulus, qui ortus traditur ex illarum idearum con-sociatione, cujus aut expressa mentio non fiat in antiquioribus Hebræorum libris, aut saltem non occurrant ibidem vestigia (1). Cum itaque falsum sit assumptum adversariorum, hoc ipso concidit superstructum ædificium de *personificatione* orta ex connubio utriusque doctrinæ, quæ facta sit in Christo Jesu. Cum præterea usus prosopopæiæ vulgatissimus esset apud antiquos scriptores sacros, quî factum est, ut nunquam alias originem dederit typo symbolico. cujusmodi fingitur contigisse in Christo Jesu? Hæc scilicet somnia sunt, quæ respuit sensus hominum communis.

39. Ad 4^m, *Neg.* gratuitam suppositionem adversariorum, ut patet ex modo dictis. Jam alias animadvertimus, evangelium aramæum nunc ab ipsis rationalistis contemni (2). Quod vero

(1) Sane de lapsu humanitatis jamdiu disseruerat Moyses, Genes. iii. Item de apparitione angelorum, ac de immediata actione seu communicatione divinitatis cum hominibus frequens mentio occurrit in Pentateucho; de futura corporum resurrectione celebre extat testimonium in Job. xix, 26 et seqq. de quo cfr. quæ scripsimus in tract. *De Deo creatore*, pag. 382, n. 850, not. (3). Circa immediatam manifestationem Dei cfr. quæ adversus Schottum scribit auctor non suspectus Chr. Trid. Fritzsche, in opusc. *De revelationis notione biblica*. Lips. 1828.

(2) Alias attulimus, quæ adversus ejusmodi archetypum evangeliorum scripsit Rosenmüller; hic præstat in medium adducere, quæ habet Cellérier,

op. cit. deuxième part. divis. première, sect. 11, pag. 258, ubi, loquens de Michaelis, ait: *Il a affirmé que les trois premiers évangélistes n'avaient point connu les écrits les uns des autres* (quamvis veteres contrarium affirmant), *puisqu'ils étaient quelquefois en opposition. Son principe admis, les objections et les difficultés s'élèvent de partout, et l'on ne sait en particulier comment expliquer l'identité de tant de parties des deux premiers évangiles. Il l'a senti, et il a recouru à une supposition gratuite. Il a imaginé que l'un et l'autre avaient été en partie écrits d'après des documens antérieurs et inconnus. Après Michaëlis, des savans célèbres, mais moins amis de la vérité que lui, ont voulu développer*

spectat ad evangelia reliqua, supposita reali Christi historici existentia, reddi ratio de illis potest; illa sublata, nunquam confingi potuerunt. Res enim, quæ in ipsis referuntur, tales sunt, ut liquet ex responsione ad 1^m difficultatem, quæ nullo modo a fonte mythico, sicut profani homines loquuntur, prodire potuissent. Quod vero adjicitur de traditionibus variis, hæ omnes procedebant ex realitate facti, et exinde originem duxerunt. Ex Evangelistis porro quatuor duo fuerunt testes oculati, Matthæus scilicet et Joannes; reliqui vero duo, quæ commentariis suis consignarunt de Christi gestis et doctrina, acceperunt ab iis, *qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis* (1), ut loquitur S. Lucas, nempe ab Apostolis aut discipulis Christi; quemadmodum de Marco referunt historica documenta, ipsum Evangelium conscripsisse, prout Petrum referentem audierat (2). Nulli igitur amplificationi locus esse poterat in ejusmodi traditione.

cette idée, et transformer cette affirmation vague en une hypothèse brillante, ingénieuse et décisive. Ils ont anéanti d'un trait de plume les trois premiers évangiles, et les ont remplacés par un évangile primitif, source commune mais ignorée de tous ceux que nous possédons. Supposition bizarre, qui, contredite par tous les témoignages historiques, par tous les critères internes, non-seulement renverse l'authenticité, la divinité, la véracité de nos évangiles; mais est combattue par toutes les règles de la critique, et ne peut prouver autre chose que l'extrême habileté des hommes qui, à force d'esprit et de talent, avaient réussi à en faire une hypothèse spécieuse. N'importe; attaqués avec toute la force de la science et de la vérité, obligés sans cesse d'abandonner quelque partie ruinée de leur édifice, ses auteurs, entassant conjecture sur conjecture, lui conservaient

en apparence quelque ombre de solidité. Mais Hug l'attaque dans les formes, et lui porte le coup décisif; maintenant il n'est plus permis même de douter sur cette question. Talis est origo et exitus hujus evangelii aramæi. Attamen Kuinoel, Wegscheider aliique passim mira securitate ipsi innituntur.

(1) Luc. 1, 2.

(2) Id enim testantur Papias apud Euseb. lib. III, cap. ult.; Clemens Alex. in deperdito hypothyposeon opere, apud Euseb. lib. II, cap. 15, et lib. VI, cap. 13 et 14; Auctor veteris in Petri priorem epistolam commentarii Clementi Alex. tributi (*Biblioth. maxima Patrum*, tom. II); Hieronymus, *De viris illustribus*, in Marcum; Irenæus, lib. III, cap. 1; Tertullianus. *Cont. Marcion*. lib. IV, § 3; Origenes, apud Eusebium, lib. VI, cap. 25; Epiphanius, *Hæres. II*, § 6; Chrysostomus, *Hom. XIX, in Acta*; Augustinus *De consensu Evangelist.* lib. I, cap. 2, et lib. XIII, *Contra*

40. Ad 5^m, *Neg.* Siquidem et hæc pariter gratuita assertio est absque ullo historico fundamento, ac unice innixa præconcepto adversariorum systemati. Pro certo enim assumunt, prophetas nihil de Christo tanquam spirituali humani generis reparatore vaticinatos esse, nihil de ejus passione, morte ac resurrectione; quod ut obtineant, mire detorquent Scripturarum oracula, vimque iisdem inferunt, ut ipsi revera suas *personificationes* populi israhelici constituent. Hos porro suo loco refellimus (1). Jam vero, quum absque fundamento et contra communem veteris synagogæ acceptionem (2) novam suam expositionem obtrudant mythici ac rationalistæ, plane consequitur, vana esse, quæ subjiciunt de tribus prioribus evangelistis, qui prosequuti sint normam, ut ipsi aiunt, receptæ tunc temporis interpretationis, accommodandi Christo vaticinia antiquorum vatum; consequitur præterea, inane esse, quod affirmant de Joanne adoptante græco-orientale systema, sufficiendo visibilem Deum visibilibus Græciæ diis. Omnes enim evangelistæ pari ratione de Christo scripserunt, de ejus divinitate et humanitate, de admirabili ejus conceptione et natiuitate, de doctrina ac vitæ genere, passione denique ac resurrectione. In peculiaribus tantum adjunctis et sermonibus persequendis alii parcius, alii uberius disseruerunt, prout uniuscujusque institutum exposebat. Præ ceteris vero S. Joannes persecutus est, quæ spectant ad Verbi seu Christi divinitatem, eo quod adversus diversas hæreses tunc insurgentes conscripserit (3). Ceterum tria priora evangelia ipse probavit, et supplevit, quæ in prioribus omissa erant (4).

Faustum, cap. 3; Theodoretus, præf. in *Historiam religiosasam*.

(1) In tract. *De Incarnat.* part. I. Cfr. etiam Bandini Ord. præd. *Saggio di esegesi biblica*, Firenze 1835; cui eo major fides adhibenda, quod origine hebræus sit et in traditione judaica ap-prime doctus.

(2) Cfr. Ray. Martini, in *Pugione fidei* cum præfat. et adnotationibus De Voisin; Schoëttgenius, *Horæ hebraicæ et thalmudicæ*, etc.

(3) Recolantur documenta, quæ paulo ante attulimus.

(4) Præter auctoritatem Hieronymi supra relatam, id constat ex aliis veteribus scriptoribus, qui id ipsum testantur. Sane Eusebius, *Hist. eccles.* lib. III, cap. 24: Τῶν προαναγραφέντων τριῶν εἰς πάντας ἤδη καὶ εἰς αὐτὴν δεδομένων, ἀποδείξασθαι μὲν φασὶν ἀλήθειαν αὐτοῖς ἐπιμαρτυρήσαντα μόνην δὲ ἄρα λειπεσθαι τῆ γραφῆ τὴν περὶ τῶν ἐν πρώτοις καὶ κατ' ἀρχὴν τοῦ κε-

41. Ad 6^m, *Dist.* A Christo historico realiter existente facile fuit ad institutam ab ipso Ecclesiam gradum facere, *conc.*; a Christo ideali et symbolico, *neg.* Nam Ecclesia, eaque realis certe pendet a Christo ipso, utpote ejus auctore et institutore, velut catena, cujus annulus primus Christo pendulus hæreat. Ast Christi existentia, prout ab Evangelistis exhibetur, sublata, nulla amplius institutionis et foundationis Ecclesiæ ratio reddi potest. Ecquis enim sic animo est comparatus, ut innumeros exantlaret labores, pœnas vel immanes subiret, sanguinem denique ipsum effunderet, uti præstiterunt Apostoli atque discipuli, deinde vero tot martyrum millia, pro ideali ac symbolico mentis conceptu? Hæc nugatoria sunt, imo absurda deliramenta, quæ soli mythici et rationalistæ glutire possunt. Judæis autem ac judaizantibus relinquimus, quæ de veteris synagogæ institutionibus, ritibus, regimine, hierarchia et sacerdotio, tum quæ de ejusdem gloria ac majestate, tum demum quæ de temporali regeneratione seu resurrectione applicatis seu translatis ab Apostolis in Christi Ecclesiam ipsi comminiscuntur, prophetarum oracula crassiori quadam ratione interpretantes. Diversa providentis Dei ratio in synagogam ante et post rejectionem Christi, continenti viginti plus

ρύματος ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ πεπραγμένων δόγμασιν. *Perlatis jam, scribit, in omnium, ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tribus evangeliiis, approbavisse ea Joannes, et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur; solam vero narrationem earum rerum, quas Christus circa prædicationis initium gesserat, desiderasse.* Clemens Alexandr. apud eumdem Euseb. lib. vi, cap. 14, subdit: ... Τὸν μάλιστα Ἰωάννην ἴσχατον συνιδόντα ἔτι τὰ σωματικά ἐν τοῖς εὐαγγελίοις δεδῆλωται προτραπέντα ὑπὸ τῶν γνωρίμων, πνεύματι θεοφορεθέντα, πνευματικὸν ποιῆσαι εὐαγγέλιον. *Joannes omnium postremus cum videret in aliorum evangeliiis ea, quæ ad corpus Christi*

pertinent, tradita esse, ipse divino Spiritu afflatus spiritale evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit. Epiphanius, hæres. li, § 19 (edit. Petav.): Τέταρτος γὰρ κατὰ διαδοχὴν ἰλθῶν ὁ μακάριος, πρῶτος μὲν ὢν, ὕστερος δὲ τοῖς ἕτεσις εὐαγγελιστάμενος τὰ πρὸ αὐτοῦ καλῶς τεταγμένα οὐκ ἐμπερίμνησεν ἐκθίεσθαι, ἀλλὰ προλαμβάνει τῶν ρηθέντων τὰ μὴ ρηθέντα. *Sanctissimus hic Evangelista, inquit, ordine ac successione quartus, ac, tametsi primus esset omnium, scribendi tamen tempore postremus, quæ ante se præclare erant aliorum opera digesta repetere noluit; sed ante ea, quæ jam dicta fuerant, quæ non erant dicta proposuit.*

minus seculorum serie, luculenter ostendit, utrum reipsa necne Ecclesia in jura synagogæ successerit, an vero spectari debeat, ut adversarius contendit, tanquam collateralis synagogæ secta (1). Illud autem verum est, plura quoad regimen, principium auctoritatis, aliaque non pauca, ut postea evolvemus, à Christo adoptata ex veteri synagoga et in Ecclesiam suam translata; nam et illa fuit divinitus instituta et ordinata ad Christum ejusque Ecclesiam.

42. Ad 7^m, *Dist.* Id est, a Christo ipso Ecclesiæ forma determinata est, ex qua reliqua tanquam ex semine evoluta sunt, quæ ad ejus perfectionem pertinent, *conc.*; ex ideali et symbolico conceptu, *neg.* Dimissis porro adversariorum calumniis de dominationis ambitu, deque Ecclesiæ seu ejus auctoritatis in terrenam et temporalem conversione ex mystica et spirituali, dicimus Christum Ecclesiæ suæ formam dedisse, quæ postea magis ac magis evoluta est, dum per temporum et rerum adjuncta totam majestatem suam ac gloriam explicare potuit. Huc referuntur ejus parabolæ, sub quibus futura hæc amplitudo ac majestas est adumbrata (2). Dum vero protestantismus sub prætextu non-

(1) Cfr. quæ scripsimus adversus Salvador ac judaizantes reliquos in tract. *De incarnat.* part. 1, n. 180 et seqq.

(2) Tales sunt parabolæ de grano sinapis, Matth. XIII, 31 et seqq.; de fermento, ibid. 33; de semine terræ dato, quod crescit et fructificat, Marc. IV, 26 et seqq. Hic juverit opponere Salvador ceterisque detractoribus externæ majestatis quam Ecclesia seculorum lapsu adeptæ est, veras ac profundas observationes hominis protestantis sed ingenui, scilicet Cl. Hurter, qui in *Vita Innocentii III*, lib. XIV, ex germanico idiomate in gallic. conversa, hæc præclare scribit: *C'est ainsi que l'essence intérieure du christianisme enfanta, dans le cours des siècles, sa forme extérieure, l'Eglise, dont*

la hiérarchie était la base et le pilier. Une vie pleine d'activité juvénile et d'énergie morale, l'action et la réaction produites par l'enchaînement des événemens, rendirent cette hiérarchie grande et forte, et en firent une aristocratie spirituelle, qui avait ses racines dans les plus nobles prérogatives du genre humain, qui touchait le ciel avec sa couronne, et répandait ses rameaux protecteurs sur tous les peuples professant la foi chrétienne. Tout ce qui était éminent par la naissance, par les dons de l'esprit, par l'habileté et l'expérience des affaires, par ces vertus dont la récompense était la couronne impérissable que le christianisme présente à ses fidèles confesseurs, se trouvait au sein de l'Eglise. Par

nullorum abusuum, qui, spectata humana infirmitate, ex parte privatorum individuorum in eam irrepserant, vexillum rebellionis erexit, vitalem ipsam, ut ita loquar, Ecclesiæ constitutionem adortus est, et ejus, ut dicitur, reactio non tam in Ecclesiam romanam seu catholicam, quam in ipsum christianismum, qualis a Christo institutus est, vires suas convertit. Sane, si rite principium fundamentale in omnibus suis legitimis consecutionibus indagemus, pervenimus ad ejusdem religionis christianæ eversionem. Exinde enim socinianismus, postea vero rationalismus prodierunt, ac demum Strauss cum schola sua, quibus funditus religio christiana, imo et Christus ipse de medio tollitur (1).

CAPUT II.

DE CHRISTI ECCLESIE CONSTITUTIONE.

43. Existentia et origine Ecclesiæ vindicatis, una cum ejus *anterioritate* Scripturis, Novi Testamenti ordo logicus postulat,

la position qu'elle réclama de la société pour son clergé, elle donna à celle-ci une direction plus noble, et à ses propres membres cet éclat extérieur qui, à la vérité, ne rehausse pas la valeur morale intérieure, mais l'honore en la faisant apprécier, et lui assure une autorité imposante en la plaçant l'égale des plus grands et des plus puissans. C'est ainsi qu'elle éleva de la poussière sur le siège des princes ceux qui se distinguaient par quelques qualités, et les posa à côté des trônes; elle les entoura d'honneurs devant les hommes, de pouvoir et d'influence sur la marche des affaires du monde, et leur offrit à côté de la palme céleste la couronne terrestre. Histoire du pape Innocent. III, par M. Fr. Hurter, trad. de l'allemand par MM. Alex. de Saint-Chéron et J. B. Haiber, Paris 1838, tom. III, pag. 6, 7.

(1) Hinc Salvador, op. cit. *Préface* pag. XIX, loquens de opere Straussii, hæc habet: *L'ouvrage du professeur de Tubingue a surtout un grand sens comme dernière expression de l'esprit du protestantisme. La réforme s'était fait illusion à elle-même, en se croyant un mouvement tout chrétien, un retour pur et simple aux doctrines évangéliques. Mon travail actuel expliquera mieux une vérité, que j'avais déjà énoncée, et qui au premier aspect a dû ressembler à un paradoxe. — Dans les destinées de l'ordre religieux, la réforme a été un commencement de réaction, une préparation inévitable au réveil de tout ce que la sève indestructible de l'hébraïsme renferme encore d'énergie morale et de pouvoir créateur pour faire arriver la famille humaine à son plus haut degré d'unité, à son meilleur état d'é-*

ut ad intimam atque essentialem ejusdem Ecclesiæ constitutionem nec non ad ipsius formam (1), ut vocant, exteriorem accurato examine expendendam accedamus. Passim Ecclesiam societatem nuncupavimus a Christo institutam. Hæc porro societatis notio in nobis excitat ideam corporis moralis, seu moralis personæ, quæ ad instar hominis seu individui humani viventis agat atque operetur. Si de qualibet humana societate haberetur sermo, hic sistendum foret, cum hæc idea satis fœcunda sit, nosque suapte natura ducat ad agnoscendam animam seu principium vitale ejusdem societatis aut moralis personæ, per quod suas exerat vires, ac moveat molem, cujus vitale principium est. Nos præterea trahit hæc ipsa idea ad admittendam formam exteriorem, seu corpus, quod capite ac membris apte inter se dispositis et arcto nexu consociatis constat, quorum diversa munia sint ac officia; tum denique nos inducit ad intimam ac mutuam animæ et corporis internoscendam communicationem sive commercium. Atque hæc quidem omnia in societate a Christo instituta necessario admitti debent, cum sine iis, quemadmodum nulla vivens persona individua, sic nec ulla persona moralis seu proprie dicta societas sit aut intelligi possit.

44. Ac nos quidem hic sistere possumus, cum omnia exinde habeamus, quæ necessaria sunt ac sufficiunt ad veram Christi Ecclesiam constituendam. Non defuerunt tamen, qui ulterius progressi, sibi in Ecclesia quamdam veluti Incarnationis continuationem videre visi sunt. Juxta hos Christus Deus-homo voluit in ea perfectam sui ipsius imaginem ac similitudinem relinquare, in qua et per quam ipsemet vivere quodammodo

quilibre. Ex judicio proinde hujus auctoris, qui acerrimus est adversarius catholicismi, et satis versatus in scriptis rationalistarum, ex quibus plura mutatus est ac sua fecit, patet, protestantismum ferri in destructionem christianæ religionis.

(1) Dum hic commemoramus exteriorem Ecclesiæ formam, distinctam ab ea quam vocavimus intimam, ac es-

sentialem ejusdem constitutionem, minime intendimus alteram ab altera dispescere; cum juxta præsentem Ecclesiæ statum, de quo disserimus, inseparabiles sint. Verum significare tantum volumus distinctionem, quæ intercedit inter ejusdem Ecclesiæ animam et corpus, prout clarius ex totâ expositionis serie patebit.

videretur, ac nobiscum etiam post visibilem suum in cœlum ascensum conversari. Hæc propterea societas, Christum præ se ferens, ut ipsi loquuntur, *divino-humana* est, subsistens in *unitate* personæ cum utriusque naturæ *communicatione*, quo fit ut elementum, ut vocant, divinum pervadat ac penetret elementum humanum, ipsumque regat ac dirigat, alat ac veluti informet, unitatemque ex utroque constituat. Quod divinum in hac persona morali seu societate inesse dicunt, constituit partem ejus intimam seu animam; quod vero humanum vocant, constituit ejus formam exteriorem ac visibilem sive corpus, quo velut organo anima exterius se prodit ac manifestat. Exinde fit ut Ecclesia invisibilis æque ac visibilis necessario esse debeat; invisibilis quidem quoad animam, visibilis vero quoad corpus; item fit ut Ecclesia una sit, prout unus est Christus, sancta, uti sanctus est Christus, indefectibilis, quemadmodum indefectibilis est Christus, infallibilis, sicut infallibilis est Christus, qui eam tanquam vivam imaginem sui ipsius atque perfectam esse voluit, imo per eam quodammodo se in his terris usque ad consummationem seculi perpetuare constituit, ita ut, quod Christus habuit et habet natura sua, communicet per gratiam ac privilegium huic filiæ seu sponsæ suæ. Dummodo hæc rite intelligantur, prout natura similitudinum exigit, quæ ad vivum resecari non debent, nihil reprehendendum in iis conspicimus, imo ad Ecclesiæ naturam et constitutionem explicandam valde hanc ideam conferre existimamus, eaque uti non abnuimus (1).

(1) Ita Moëhler, *Symbolique*, tom. II, ch. 5, § 36 et seq. ubi doctus auctor hanc ideam fuse exponit et evolvit. Haud me latet, quibusdam expositionem hanc minime arridere, verentibus, ne nescio quem pantheismum redolet. Ast, si rite et ad mentem auctoris intelligatur, nullum ejusmodi periculum subest. Nam Moëhler utitur Incarnatione illi Dei veluti similitudine, ad significandam intimam unionem Christi

cum Ecclesia per gratiam sanctificantem, quæ justis omnibus inhæret seu membris vivis ejusdem Ecclesiæ. Mens proinde auctoris est, Christum instituisse Ecclesiam suam *ad instar* Incarnationis, non autem quod veram ac proprie dictam Incarnationem cum ipsa peregerit, quod vel suspicari nefas, imo impium et stultum est. Vera autem ratio, cur isti censores Moëhlerum reprehendunt, repeti debet ab ipsorum

45. Verum quidquid de ea sit, ex iis, quæ paulo ante exposuimus, patet, hic agendum a nobis esse prius de Ecclesiæ anima; deinde de ejus corpore, ac denique de mutua communicatione seu commercio, quod intercedit inter animam et corpus ejusdem Ecclesiæ. Quod quidem perficiemus distinctis articulis, ne, si de omnibus simul agatur, confusio ingeneretur. Cum vero divina Ecclesiæ institutio a nobis vindicata sit, a qua, ut postea ostendemus, Scripturas sacras habuimus ac traditiones, eis deinceps ut divinæ auctoritatis documentis ad rem nostram utemur.

ARTICULUS I.

De anima Ecclesiæ.

46. Hoc nomine significamus in primis interiorem justitiam seu gratiam sanctificantem, qua homines justii Deo intime ununtur, vitamque supernaturalem ac prope divinam viventes, æternæ

systemate circa gratiam sanctificantem, quam juxta Protestantium placita in mero externo favore ac benevolentia Dei erga justum constituunt, ita ut ejus vi Deus benevolum se ipsi exhibeat. Quod quam abhorreat a doctrinâ Concilii Tridentini, sess. vi, cap. 7, nemo catholicus ignorat. Ceterum hæc idea biblica est; Apostolus enim passim vocat Ecclesiam Christi corpus, ut Coloss. 1, 18-24; Ephes. 1, 23; iv, 12; v, 23, etc. Eandem Patres commendant, inter quos S. Athanasius scribens in lib. *De Incarnat.* § 21: Καὶ ὅταν λέγῃ ὁ Πέτρος· ἀσφαλῶς οὖν γινώσκοντες πᾶς οἶκος Ἰσραὴλ, ὅτι καὶ κύριον καὶ χριστὸν αὐτὸν ἐποίησεν ὁ Θεὸς τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ὃν ὑμεῖς ἐσταυράσατε, οὐ περὶ τῆς θεότητος αὐτοῦ λέγει, ἐστὶ καὶ κύριον αὐτὸν καὶ Χριστὸν ἐποίησεν, ἀλλὰ περὶ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, ἥτις ἐστὶ πᾶσα ἡ

ἐκκλησία, ἡ ἐν αὐτῷ κυριεύουσα καὶ βασιλεύουσα μετὰ τὸ αὐτὸν σταυρωθῆναι· καὶ χρισμένη εἰς βασιλείαν οὐρανῶν, ἵνα συμβασιλεύσῃ αὐτῷ, τῷ δὲ αὐτὴν ἑαυτὸν κενώσαντι, καὶ ἀναλαβόντι αὐτὴν διὰ τῆς δουλικῆς μορφῆς. Et cum Petrus dicat: certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis, non de divinitate ejus dicit, quod Dominum ipsum et Christum fecerit, sed de humanitate ejus, quæ est *UNIVERSA ECCLESIA*, quæ in ipso dominatur et regnat, postquam ipse crucifixus, et quæ ungitur ad regnum cælorum, ut cum illo regnet, qui seipsum pro illa exinanivit, et qui induta servili forma, ipsam assumpsit (edit. Maur. opp. tom. 1, part. II, pag. 887).

vitæ fructus emittunt; cum Christus *tanquam caput in membra*, ut loquitur Tridentinum, *et tanquam vitis in palmites*, in ipsos *justificatos jugiter virtutem influat*, quæ *virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur*, et sine qua *nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent* (1). Significamus præterea fidem, spem et charitatem, sine quibus nemo profecto vivit, nec non alias præclaras dotes, quibus Deus eos, qui eximia præsertim sanctitate præcellunt, cumulare solet. Cum vero hæc omnia, quæ animam Ecclesiæ constituunt, Dei dona sint, et ea dona, quæ Christus ipse tanquam caput eidem Ecclesiæ velut corpori suo mystico jugiter communicat, quibusque vivificat, ideo animam hanc elementum divinum, ut diximus, nonnullis vocare placuit, quod penetrat elementum humanum, nempe Ecclesiæ corpus.

47. Ecclesiæ animam, seu invisibilem ac interiorem Ecclesiæ partem, ultro admittunt Protestantes, immo ex ea sola plures ex ipsis Ecclesiam totam constare contendunt, ut hac ratione se ad Ecclesiam Christi pertinere evincant, quamvis turpiter ab ipsa desciverint. In quo veteres hæreticos imitati sunt, qui eadem de causa unicam Ecclesiam invisibilem proclamarunt, nec præcise ex justis, sed ex solis electis seu prædestinatis coalescentem (2), sive actu justii fuerint sive scelesti. Hos paulo post refellemus; interim in sequenti propositione adstruimus, quinam proprie ad potiozem hanc Ecclesiæ partem spectent, et quinam sint ab ea excludendi, ut deinceps ad alia gradum faciamus.

PROPOSITIO.

Omnes et soli justii pertinent ad Ecclesiæ animam.

48. Si omnes ac soli justii ad animam Ecclesiæ spectant, plane consequitur eos solos hoc censu includi, qui actu justitia et san-

(1) Sess. vi, cap. 16.

(2) Cfr. Bellarm. *De Ecclesia*, lib. III, cap. 1, cum notis Erbermani; Becanus, *Manuale contro.* lib. 1,

cap. 3; Fratres de Walenburch, *De controversiis fidei*, tom. 1, tract. *De unitate Ecclesiæ*, lib. 1, edit. Colon. Agripp. 1669.

ctitate præditi sunt, ac propterea eos omnes ab illa removeri, qui quamvis ad vitam æternam prædestinati, nondum sunt justitiam adepti, quicumque demum ii sint, id est, sive in Ecclesiæ corpus jam fuerint cooptati sive non; rursum, si omnes includuntur in hoc censu, qui actuali sunt justitia ornati, patet, ad nobiliorem hanc Ecclesiæ partem pertinere quotquot eam sanctitatem possident, sive intra sive extra Ecclesiæ corpus actu inveniantur. Quibus ita compositis, sic accedimus ad veritatem enunciatæ propositionis evincendam.

49. Illi omnes et soli ad Ecclesiæ animam pertinere dicendi sunt, qui actu vivunt vita illa supernaturali atque divina, quæ ipsam Ecclesiæ animam constituit; per quam Dei spiritu aguntur, qui ipsos invadit ac penetrat, eisque intime inhæret, ita ut idonei fiant ad eliciendos actus huic vitæ consentaneos, seu ad emittendos fructus vitæ æternæ. Atqui tales sunt omnes et soli justii. Ergo.

50. Etenim, ad majorem quod spectat, nemo est qui ambigat, in iis, quæ recensimus, vitam de qua loquimur consistere; quæ ratio est cur, ut vidimus, a nonnullis vocata fuerit elementum divinum penetrans humanum, et ex iis constat, quæ suo loco ostendimus (1). Gratia siquidem sanctificante aut nascimur ad hanc vitam aut reviviscimus, si, postquam illam amisimus, eam recuperamus, et in ea nutrimur et crescimus. Ex ea fides illa profluit, quæ per charitatem operatur, cum ceteris virtutibus ac donis adnexis.

51. Porro omnes ac solos justos tali gaudere vita evidens est, quia ipsi soli gratia sanctificante instructi sunt, seu principio illo vitali, quo fit ut Deo adhæreant, ejusque spiritu moveantur et agant. Hanc notionem involvit ipsa *justi* denominatio, proveniens, in re de qua agimus, ab illa justitia, quæ est complexio

(1) Cfr. tract. *De gratia*, part. II, n. 468 et seqq. tom. V, p. 210. ubi in toto suo lumine collocavimus doctrinam Ecclesiæ catholicæ, et eidem adversantis systematis Protestantium, circa naturam

et effectus gratiæ sanctificantis, una cum nexu quem habent cum contrariis principiis, ex quibus ejusmodi doctrinæ profluunt, et corollariis, quæ exinde deducuntur.

omnium virtutum divinarum, quibus Deo chari efficimur, amici ac filii Dei, seu *divinæ consortes naturæ*, ut loquitur Apostolus Petrus (1).

52. Quapropter asserere, aut non omnes justos, aut non solos pertinere ad Ecclesiæ animam, esset propositio contradictoria; simul enim actu justii essent et non essent, viverent simul ac non viverent; quod repugnat et sensum absurdum inducit.

53. Ergo non soli electi nec omnes electi ad hanc Ecclesiæ animam spectant, cum plures possint esse electi, qui actu non vivunt, aut quia nondum eam vitam adepti sunt, aut amissam nondum recuperarunt; plures item possunt esse reprobi, qui actu eam vitam obtinent, quamvis eam ex propria culpa sint amissuri, nec rursus eamdem sint adepturi. Id ipsum dicatur tum de iis, qui extra Ecclesiæ corpus adhuc sunt, attamen gratia sanctificante instructi fide et charitate flagrant, ejusmodi catechumeni esse possunt, tum de iis, qui, quamvis intra Ecclesiæ visibilis septa degant, sunt nihilominus peccato lethali inquinati, destitutique propterea gratia sanctificante et charitate.

Constat igitur, quod enunciavimus, omnes et solos justos ad Ecclesiæ animam pertinere.

54. Priusquam vero istud argumentum concludamus, id apposite animadvertendum, quod, licet fides proprie atque, ut scholis loqui mos est, formaliter vitam non tribuat, cum est a charitate sejuncta, est tamen ejusdem vitæ fundamentum, seu principium et radix, atque conditio, sine qua vita hæc haberi, nequit; unum est de essentialibus ejusdem constitutivis. Hinc fit, ut, qui gravi patrato crimine amiserit charitatem, retenta fide ac spe, per hoc non omnem penitus vitam amiserit, nec propterea cesset ad Ecclesiæ animam quadantenus pertinere. Nam etsi fides sine operibus, seu sine charitate, ex qua opera prodeunt meritoria, *mortua sit in semetipsa*, ut inquit S. Jacobus (2), nihi-

(1) II, Petr. 1, 4.

(2) II, 17. Apposite Card. Bellarm. *De Eccles. milit.* lib. III, cap. 2, n. 11, hos diversos gradus eorum qui sunt

in Ecclesia exponit, scribens: *Notandum autem est ex Augustino in Breviculo collationis, coll. 3, Ecclesiam esse corpus vivum, in quo est anima*

lo secius permanet ad instar radicis aut bulbi, quibus, licet propagines ac stirpes discerptæ sint et accisæ, cœlesti pluvia rigati iterum pullulare, virescere ac novas emittere propagines possunt.

DIFFICULTATES.

55. Obj. Aliam omnino ideam Ecclesiæ invisibilis exhibent ipsi christianæ religionis propagatores; 1^o S. Joannes enim supponit ad Ecclesiæ animam omnes et solos prædestinatos pertinere: *Ex nobis, inquit, prodierunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: non ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis* (1). Quibus congruunt, quæ scribit Paulus: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus* (2). 2^o His inhærens S. Augustinus: *Quidam, ait, qui Filii Dei, propter susceptam vel temporaliter gratiam, dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo* (3); et iterum: *Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non vere discipuli Christi, ita nec vere filii Dei fuerunt, etiam quando videbantur esse, et ita vocabantur* (4), et alibi passim. 3^o Hæc omnia fundamentum habent in ipsius Ecclesiæ Conditoris verbis: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili... et ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum* (5). Ex quibus intelligimus, 4^o Christum caput non esse nisi illius Ecclesiæ, quam salvam faciet, et quam exhibebit olim gloriosam, non habentem maculam aut rugam, ut loquitur Apostolus (6), quæ certe constare non potest nisi ex omnibus et

et corpus; et quidem anima sunt interna dona Spiritus Sancti, fides, spes, charitas, etc.; corpus sunt externa professio fidei et communicatio Sacramentorum. Ex quo fit, ut quidam sint de anima et de corpore Ecclesiæ, et proinde uniti Christo capiti interius et exterius, et tales sunt perfectissime de Ecclesia; sunt enim quasi membra viva in corpore, quamvis etiam inter istos aliqui magis, aliqui

minus vitam participant, et aliqui etiam solum initium vitæ habeant, et quasi sensum, sed non motum, ut qui habent solam fidem sine charitate.

(1) I, Joan. II, 19.

(2) II. Ad Tim. II, 19.

(3) Lib. De corrept. et grat. c. 9, n. 20.

(4) Ibid. n. 22.

(5) Joan. I, 16-28.

(6) Ephes. V, 27.

solis prædestinatis. 5^o Ad hæc accedit, quod invisibilis Ecclesia *ideal*is potius sit et philosophica quam *realis* et *empirica*; 6^o atque etiam non satis tuta, siquidem ad Ecclesiæ animam cum non spectent nisi sancti, recte inferri posset, ejusdem corpus, quod a tali anima informatur, non esse aliud quam *collectionem Sanctorum*, et sic dilaberemur in Ecclesiam absolute invisibilem, quod certe Catholici non admittunt. Ergo.

56. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prop. *Dist.* Ex adductis testimoniis Joannis et Pauli Ecclesia invisibilis constat ex omnibus et solis prædestinatis, in ordine ad consecutionem finis, *conc.*; in ordine ad præsentem justitiam, *neg.* Si ratio habeatur finis seu termini, profecto Ecclesia hæc invisibilis ex omnibus et solis prædestinatis exurgit, utpote qui omnes ac soli pervenient ad gloriosam Christi Ecclesiam, quæ in cœlis triumphat; ast si ratio habeatur actualis ipsorum status et conditionum, quas recensuimus, apertum est neque ex iis omnibus neque ex iis solis Ecclesiam invisibilem coalescere, cum non omnes nec soli ad Ecclesiæ animam pertineant. Complures enim prædestinati actu non vivunt, seu instructi non sunt charitate, quandoque etiam nec fide; contra vero plures charitate actu sunt præditi, in qua non perseverabunt. Jam vero Scripturæ textus, qui adducuntur, in prioris significatione intelligendi sunt, ut cum reliquis componi possint (1).

57. Ad 2^m, Eadem esto distinctio; sic enim S. Doctor mentem suam declarat, postquam docuit, justos non prædestinatos non esse veros filios: *Non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt* (2).

58. Ad 3^m, *Neg.* Multiplici autem sensu *ovium* nomine significantur, qui pertinent ad Christi Ecclesiam; ac primo omnes just,

(1) Cfr. Bellarm. *De Eccles.* lib. III, cap. 7, n. 21, ubi observat, hoc intercedere discrimen inter diversum hominum statum, quod, qui sunt oves, aut filii, aut membra secundum solam prædestinationem, non sunt actu, sed solum *potentia* tales. Prædestinatio enim, ut ipse loquitur, nihil po-

nit in homine; sed est actus in ipso Deo manens: at qui sunt tales secundum præsentem justitiam, sunt *actu* et simpliciter tales; quia in se revera habent id, unde tales appellantur. Quod confirmat auctoritate S. Augustini, *Tract. XLV in Joan.*

(2) Loc. cit. n. 20.

qui nobiliorem ejus partem constituunt, scilicet animam, uti ostendimus; deinde omnes prædestinati secundum æternam præscientiam et prædestinationem, licet plures ex iis non nisi in potentia, uti dicitur, quæ certe ad actum reducetur, ad Ecclesiam spectent; tertio relate ad ejusdem Ecclesiæ corpus, de quo paulo post disseremus. Ex hac secunda animadversione patet, qua de causa Christus dixerit, se habere oves, quæ adhuc non sunt in ejus ovili, atque in æternum haud perituras, quas Pater ei dedit secundum præscientiam et æternam prædestinationem (1).

59. Ad 4^m, *Neg.* Sed Christus est caput eorum omnium, qui, utpote viventes per fidem et charitatem, de ea vita participant, quam ipsis idem Christus communicat per jugem influxum gratiæ sanctificantis, qua *formaliter* vivunt; tales autem sunt omnes et soli justi. Etenim, *si quis spiritum Christi non habet*, ut ait Apostolus, *hic non est ejus* (2), scilicet quoad animam.

60. Ad 5^m, *Dist.* Id est, ejusmodi Ecclesia non est physica, corporea ac visibilis, *conc.*; non est vera ac realis, licet invisibilis, *neg.* Hæc duo permisceri inter se nequeunt, uti evidens est, ne plura adjiciamus ad hoc evincendum.

61. Ad 6^m, vel *Neg.* vel *dist.* Si anima Ecclesiæ in sola justitia et charitate tota consisteret, *trans.*; si præterea consistat in fide, quæ quamvis mortua dicatur et sit respectu charitatis, quæ eam informat, attamen in se reipsa subsistit ac viget, *neg.* Sub finem hujus propositionis jam animadvertimus, eos, qui fidem habent, etsi peccatores sint, quodammodo ad Ecclesiæ animam pertinere, ac propterea vitam aliquam inadæquatam, ut ita loquar, seu principium vitæ retinere, quamvis in tali statu ad meritum eis non prosit ejusmodi fides, utpote destituta charitate.

(1) Quo sensu S. Augustinus *De Bapt.* lib. iv, cap. 5, n. 4, scribebat: *Secundum ejus præscientiam, qui novit, quos prædestinaverit ante mundi constitutionem, conformes imaginis filii sui, multi etiam, qui aperte foris sunt et hæretici appellantur, multis et bonis catholicis meliores sunt.*

Quid enim sint hodie, videmus, quid cras futuri sint, ignoramus. Et *Tract. xl, in Joan. n. 12: Secundum præscientiam Dei, inquit, et prædestinationem, quam multæ oves foris, quam multi lupi intus, et quam multæ oves intus, et quam multi lupi foris?*

(2) Rom. viii, 9.

Optima præterea dispositio est hæc fides, quæ, afflante gratia, statim germinare rursus potest, et amissam charitatem ac plenam vitam recuperare (1).

ARTICULUS II.

De Ecclesiæ corpore.

62. Si ex dictis Christus ad modum humani individui societatem suam, nempe Ecclesiam instituit, legitime infertur, eam non sola anima, sed et corpore constare, ac propterea formam exterioriorem habere, ac visibilem esse, prout superius adnotavimus.

63. Pari præterea jure consequitur, Ecclesiam, quod ad hanc formam exterioriorem sive corpus attinet, non in mera fidelium aggregatione consistere, sed intimo et essentiali ordine, atque, ut ita dicam, *organice* esse constitutam, sic ut constet ex membris invicem sociatis et subjectis pro diversitate officiorum, quæ unicuique membro competunt juxta Christi institutionem. Immo vero, quemadmodum in qualibet rite instituta societate, omnino necesse est, ut alii præsentent, alii autem subjiciantur, omnesque arctissimo inter se nexu consocientur per modum unius, ut unam societatem aut corpus morale efficiant, illudque individuum reddant, ita plane ejusmodi Ecclesiam Christi esse, societatum scilicet omnium perfectissimam ac nobilissimam, necesse est.

64. Duo hic proinde præstare debemus, quorum alterum est patefacere, quibus coalescat pars hæc exterior Ecclesiæ; alterum vero, utrum et in quas classes, qui hanc Ecclesiam seu societatem christianam conficiunt, distribuantur. Quoad primum vero ostendemus, eam coalescere tam ex justis quam ex peccatoribus; quoad secundum evincemus, eam in duos ordines distribui, clericos

(1) Ex hoc colligimus, magnum esse beneficium vel ad solum veræ Ecclesiæ corpus pertinere. Etenim, quamvis non raro contingat quempiam, in peccatis sordescere, dummodo tamen veram fidem teneat, semper habet, unde resi-

piscat, et pharmacum morbis, animæ suæ, uti experientia quotidiana ostendit. Contra vero, qui extra veram Christi Ecclesiam versantur et vera fide destituti sunt, his quoque remediis destituuntur.

nempe et laicos, seu, quod idem est, in cœtum docentem ac discentem, regentem et rectum, activum atque passivum.

65. Quatenus Ecclesiæ partem exteriorem diximus constitui seu coalescere ex omnibus Christi fidelibus sive justis sive peccatoribus, patet, eam generatim cum Bossueto definiri posse: *Ecclesia est societas hominum viatorum veram Christi doctrinam profitentium* (1). Hæc enim definitio nobis in præsentia sufficit, atque, utpote generalissima, a nemine, qui visibilem Ecclesiam admittat, respui jure potest, ita ut jam in ea Protestantes consentientes habeamus.

His præmissis, sic jam ad priorem thesim adstruendam accedimus.

PROPOSITIO I.

Ad corpus Ecclesiæ seu ad visibilem Ecclesiam spectant omnes christi fideles tam justi quam peccatores.

66. Hic loquimur de fidelibus baptizatis, qui nempe cooptati sunt in illam societatem, quam Christus instituit, quæque veram ejus doctrinam profitetur, neque ab ea quacumque demum de causa separati sunt. Sensus proinde enunciatae propositionis hic est, ita Christum instituisse visibilem suam Ecclesiam, ut coalescat aut coalescere possit tam ex justis quam peccatoribus; et hanc opponimus iis, qui ex solis justis et sanctis eam constitui autumarunt; cujusmodi ex veteribus fuerunt præcipue Novatiani ac Donatistæ, ex recentioribus non pauci Protestantes, licet ex diverso plane principio. Illi enim ita senserunt, ut cohonestarent proprium schisma (2); isti, ut statuerent Ecclesiam invisibilem,

(1) *Conférence avec M. Claude*, tom. xxiii, pag. 24 et suiv. œuvr. de Bossuet, édit. de Versailles 1816.

(2) Novatiani non ideo negabant peccatores, lapsos præsertim in gravia crimina, esse in Ecclesia, quod statuerent Ecclesiam invisibilem, sed ne communicarent cum libellaticis, et cum

lapis in gravia peccata post Baptismum, quibus remittendis concessam a Christo Ecclesiæ suæ potestatem inficiabantur; tum etiam ut se mundos profiterentur. Cfr. Nat. Alex. *Hist. eccl.* sec. III, cap. 3, art. 4, § 1 seqq. Sic neque Donatistæ professi sunt, Ecclesiam esse invisibilem; sed coarctatam affirmabant

ad contegendam propriam defectionem ab illa Ecclesia, quam deseruerant (1).

67. Jam vero Christum ita instituisse Ecclesiam suam, qua parte visibilis est, ut ad eam non minus iusti quam peccatores pertineant, patet tum ex apertis Scripturarum sententiis, tum ex Christi ipsius scopo, ac demum ex sensu traditionali.

illam esse ad partem Donati, et Ecclesiam catholicam arguebant prævaricationis, eo quod traditorum contagio malorumque communione contaminatam autumarent, quia Cæcilianus juxta ipsos consecrationem episcopalem acceperat a Felice Aptungitano sacrorum librorum traditore, et cum Cæciliano Ecclesia romana, adeoque catholica communicabat. Cfr. cit. auct. sec. iv, cap. 3, art. 1, § 1-4; nec non Valesius in opusc. *De schismate Donatistarum*, Albaspinæus in *Observationibus ad Optatum Milevitanum*, Card. Norisius *Historiæ Donatistar.* pag. 1, tom. iv, opp. edit. Veron. 1732.

(1) Protestantes circa visibilitatem aut invisibilitatem Ecclesiæ semper ancipites fuerunt; interdum enim duce Luthero docuerunt, Ecclesiam esse invisibilem, utpote congregationem sanctorum, ut hac ratione excluderent a Christi Ecclesia romanum Pontificem et prælatos; atque sic contenderunt, se esse in communione cum omnibus sanctis, id est, hæreticis, qui eos præcesserunt. Negabant propterea, eam esse veram Ecclesiam, a qua discesserant. Idem docuerant Hussitæ et Wicleffitæ Protestantium antesignani, imo et Cathari sive Albigenes, ut refert Hurter, lib. xiv vitæ Innocentii iii. edit. cit. tom. iii, pag. 23, ubi referens is-

torum errores, scribit: *Leur principale attaque fut dirigée contre l'Église visible... comme les Catharéens, ils appelaient l'Eglise la prostituée de Babylone, pleine de tous les vices; ils donnaient au Pape le nom de chef de l'erreur, aux prélats ceux de scribes, de pharisiens et d'assassins.* Cfr. etiam Bellarm. *De Ecclesia*, lib. iii, cap. 2, et Bossuet, *Conférence avec M. Claude*, loc. cit. Postea vero fassi sunt Ecclesiam esse visibilem, et nisi sunt, exponere de anima Ecclesiæ contraria majorum suorum effata. Sane Gerhard, *Loc. theolog.* xi, 196, cum annot. Cottæ: *Patet*, scribit, *distinctionem Ecclesiæ in visibilem atque invisibilem non esse divisionem generis in species, quasi duas specie fingeremus Ecclesias sibi oppositas, uti perperam nobis affingunt Ecclesiæ romanæ socii* (utrum perperam, ut affirmat Gerhardus, an vere catholici hoc protestantibus affinxerint, patet tum ex dictis, tum ex iis quæ scripsimus in tract. *De vera relig.* part. ii, prop. iv, num. 68, not. (3) p. 234), *sed esse dumtaxat limitationem subjecti secundum diversos suos status. Quemadmodum scilicet in eodem homine duplex datur relatio, exterior nempe, qua alios homines, atque interior, qua Deum respicit; ita et de toto ali-*

68. Et re quidem vera, quod attinet ad Scripturarum sententias, evincitur thesis veritas ex eo, quod Ecclesia comparetur aræ, in qua cum frumento paleæ continentur (1), tum ex illis omnibus parabolis, in quibus Christus comparat Ecclesiam suam sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti (2); convivio nuptiali, ad quod intraverunt boni et mali, et cui interfuit homo non vestitus veste nuptiali (3); decem virginibus, ex quibus quinque erant fatuæ, quinque vero prudentes (4); ovili, in quo sunt oves simul et hædi (5). Quæ quidem confirmantur ex Apostolo, qui, I ad Cor. V, 3, expresse jubet expelli ab Ecclesia incestuosum Corinthium, qui proinde tamdiu in Ecclesia permansit, quamdiu ab ea expulsus non est; et in II ad Timoth. II, 20, scribit: *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*, ut alia ejusmodi non pauca prætereamus.

69. Nec minus evidenter constat, si ratio habeatur ad scopum seu finem, quem Christus sibi præstituit in Ecclesia instituenda. Voluit enim Christus, ut Ecclesia sua esset veluti lucerna, quæ omnibus luceret, ac civitas supra montem posita, ut ab omnibus conspiceretur; ei demandavit munus prædicandi verbum suum, administrandi Sacramenta, corrigendi delinquentes, admittendi

quo cætu hominum, qui in certum doctrinæ sanctioris typum consentiunt, hoc est, de Ecclesia vere enunciari potest, eamdem quoad formam externam visibilem, quoad internam vero invisibilem esse. Prout visibilis est, definitur congregatio seu cætus hominum viatorum, qui amplectuntur verbum Dei, sacramentisque utuntur. Prout invisibilis autem est, definitur cætus pie credentium, atque ad vitam sempiternam infallibiliter prædestinatorum. Alia Protestantium in hanc rem testimonia cfr. apud Fratres de Walenburg, De unitate eccles. lib. 1, cap. 5.

Cum vero urgerentur a Catholicis

Protestantes, si Ecclesia est visibilis, quænam erat, et ubinam erat, quando primum ab Ecclesia catholica divisi sunt? Ut ab hac permolesta quæstione se liberarent, plures iterum ad Ecclesiam invisibilem relapsi sunt, ut patet ex difficultatibus, quas urgent, apud Palmer in recentissimo ejus *Tractatu de Ecclesia Christi*, pag. 1, cap. 3, qui apud Anglicanos vocantur *dissidentes*. Nempè nesciunt, ubi consistant.

(1) Matth. III, 12.

(2) Ibid. XII, 47.

(3) Ibid. XXII, 2 et seqq.

(4) Ibid. XXV, 1 et seqq.

(5) Ibid. 33.

resipiscentes ad poenitentiam, expellendi e sinu suo contumaces ac rebelles, regendi, gubernandi, aliaque ejusmodi pro opportunitate statuendi, quæ ad bene constitutam societatem necessaria sunt. Jam vero, si soli justî pertinerent ad Ecclesiam, cum hi non cognoscantur, Ecclesia fieret prorsus invisibilis ac nullum munus exercere posset. Incertum semper quidem esset, utrum illi, qui ejusmodi munia exercent, sint de Ecclesia nec ne. Quod plane adversatur consilio Christi in ea instituenda.

70. Sane Christus sub sensibili forma doctrinam suam discipulis consignavit, in posteros sub sensibili quoque forma propagandam; sub forma sensibili ac visibili Spiritus Sanctus super eosdem discipulos in unum congregatos sese diffudit (1), cum nempe Ecclesiæ propriæ dictæ exordia cœperunt; Christus præterea visibile sacerdotium, et sacrorum ministerium, illudque perpetuum, ut suo loco ostendimus (2), in eadem instituit; Sacramenta denique, quæ essent visibilia signa ad sanctitatem in hominibus efficiendam, augendam aut reparandam (3), esse voluit. Quapropter luculenter patet, in Ecclesia fundanda Christo minime propositum fuisse, societatem nescio quam invisibilem instituere, sed prorsus visibilem eam constituere voluisse, per quam potius tanquam per organum et instrumentum interior et invisibilis efformaretur, seu gigneretur sanctitas in Ecclesia visibili (4).

(1) Act. II, 2 et seqq.

(2) In tract. *De Ordine*, n. 26 et seqq. tom. VII, p. 85.

(3) Cfr tract. *De Sacram. in genere*, n. 1 et seqq. tom. V, p. 301.

(4) Hinc optime Moëhler, op. cit. § 37 : *Les temps, inquit, étaient accomplis, l'Esprit-Saint se communique aux apôtres et aux autres disciples du Sauveur. Lorsque le Paraclet descendit sur eux, ils n'étaient point dispersés, mais réunis dans un même lieu, et ne formant qu'un même cœur (ἰμοθυμαδόν); il leur avait même été*

formellement ordonné d'attendre le Saint-Esprit à Jérusalem. De plus, l'Esprit divin prit une forme extérieure, la forme de langue de feu, symbole de sa vertu qui purifie les cœurs de toute malice et les réunit dans l'amour. Il ne voulut pas venir d'une manière seulement intérieure, comme pour affermir une société invisible; mais de même que le Verbe s'était fait chair, l'Esprit vint à son tour d'une manière accessible aux sens, accompagné d'un grand bruit, semblable à un vent impétueux.

71. Talem denique perpetuo extitisse sensum traditionalem, constat ex iis, quæ Patres adversus Novatianos et Donatistas disputarunt, velut certum dogma propugnantes, peccatores in Ecclesia esse. Ne prolixiores simus, unum aut alterum textum ex iis afferemus. S. Augustinus, *Contra litteras Petiliani*, lib. III, cap. 12: *Homo sum, inquit, in arca Christi: palea si malus; granum, si bonus.* Et iterum *De Baptismo*, lib. VII, cap. 51: *Nam et istos (graves peccatores) esse in domo (nempe in Ecclesia), negare non possumus, dicente Apostolo, in magna autem domo non solum aurea vasa sunt vel argentea, sed et lignea et fictilia, etc.* Sic etiam S. Hieronymus, *Dial. contra Lucifer.*: *Arca Noe, inquit, Ecclesiæ typus fuit... ut ibi pardus et hædi, et lupus et agni; ita et hic (in Ecclesia) justi et peccatores, id est, vasa aurea et argentea cum ligneis et fictilibus commorantur* (1), ut alios omittam. Porro peccatores ex dictis non pertinent ad Ecclesiæ animam; ergo spectare saltem debent ad ejusdem corpus.

72. Tum igitur Christi dicta, tum ejus scopus in Ecclesia instituenda, tum denique sensus traditionalis totius antiquitatis luculentissime concurrunt ad evincendum, quod proposuimus, nimirum ad Ecclesiæ corpus seu ad visibilem Ecclesiam pertinere omnes Christi fideles, sive justi fuerint sive peccatores, quo nomine omnes prorsus significamus malos et pessimos Christianos, imo et incredulos et hæreticos occultos, quamdiu ab ipsa societate aut ejecti non sint aut separati.

DIFFICULTATES.

73. Obj. prima. 1^o Ecclesia seu societas a Christo instituta debet esse sancta, uti etiam profitemur in symbolo apostolico; talis porro non esset, imo potius esset perversa et scelerata, si præter justos, peccatores, facinorosos, et infideles præterea et hæreticos occultos in sinu suo complecteretur; 2^o Christus esset ipsorum caput, ac regnum Christi constitueretur magna saltem ex parte ex diaboli regno, quæ quidem præterquam quod ab-

(1) n. 22.

surda sunt, 3^o adversantur Apostolo scribenti ad Ephesios : *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (1). 4^o Quæ verba exponens Hieronymus concludit : *Qui ergo peccator est et aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici;... peccator currat ad medicum... et fiat de Ecclesia, quæ corpus est Christi* (2). Hieronymo ceteri Patres assentiuntur, inter quos 5^o S. Pacianus : *Ceterum, scribit, peccator et pœnitens non est Ecclesiæ macula; quia, quamdiu peccat et non pœnitet extra Ecclesiam constitutus, est* (3). 6^o S. Augustinus de magnis peccatoribus ait : *Non ideo putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia Sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt* (4). Et iterum : *Quos non pertinere ad sanctam Ecclesiam Dei, quamvis intus videantur, ex hoc apertissime apparet, quia isti sunt avari, raptores, fornicatores, invidi, malevoli et cætera hujusmodi; illa autem columba (Ecclesia) unica, pudica et casta, sponsa sine macula et ruga... quod non intelligitur nisi in bonis et sanctis, et justis* (5). Qui præterea inter bonos et malos hoc affirmat incercedere discrimen, quod boni sint in Ecclesia et de Ecclesia, mali vero sint quidem in Ecclesia, sed non de Ecclesia (6). 7^o Comparat etiam S. Doctor peccatores humoribus malis (7), qui profecto dici non possunt corporis membra. Demum, etsi daretur, peccatores esse in Ecclesia, cum non sint nisi membra mortua, ad nihil inserviunt, cum nihil agere possint. Ergo.

74. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Debet sancta esse et revera est ex multiplici capite, *conc.*; ad exclusionem peccatorum, *neg.* Utique Ecclesia reipsa sancta debet esse ac semper est, ut eam in sym-

(1) V, 25 et seqq.

(2) *Comment. in epist. ad Ephes.*

lib. II, in v. 24.

(3) *Epist. III, ad Sympron.* in magna *Biblioth. Patrum* tom. IV, pag. 239.

(4) *Cont. litter. Petilianæ*, lib. II, cap. 108.

(5) *De Baptismo*, lib. VI, cap. 3.

(6) *Ibid.* lib. VII, cap. 51 et 52.

(7) *Tract. III. in I Epist. Joan. n. 5.*

bolo profitemur 1^o: ratione partis suæ potioris seu nobilioris, cujusmodi esse animam Ecclesiæ ostendimus; 2^o ratione capitis, quod est Christus; 3^o ratione finis, qui est sanctitas in hac vita, et gloria in futura; 4^o ratione doctrinæ; 5^o ratione mediorum; 6^o ratione plurimorum membrorum, quæ sanctitate prædita sunt. Si quæ igitur membra ipsius Ecclesiæ infirma sint, imo et mortua, non sequitur, eam propterea facinorosam, perversam aut sceleratam esse, quia ad hos peccatores producendos Ecclesia ordinata non est; imo peccatores contra hanc ordinationem Christi Ecclesiæ agunt, contra naturam ipsius Ecclesiæ, contra finem, ita ut omnia pervertant, quæ ad ipsorum sanctitatem constituta fuerunt. Hujusmodi itaque homines sibi nocent, dum male agunt, aut etiam perverse sentiunt, non autem Ecclesiæ, quæ non fœdatur ob istorum malam agendi aut sentiendi rationem, eamque constanter damnat, et peccatores ab illa perpetua satagit revocare (1).

75. Ad 2^m, *Dist.* Sub aliquo respectu, *conc.*; sub omni respectu, *neg.* Quatenus peccatores eandem fidem profitentur, subjiciuntur legitimis pastoribus, iisdem utuntur Sacramentis, habent Christum ut caput, ac pertinent ad visibile ejus regnum; quatenus vero peccant, ad diabolum spectant ejusque regnum; in quo nullum est absurdum.

76. Ad 3^m, *Dist.* Mundat Christus per merita sua Ecclesiam fide et Sacramentis in terris, ut eam sibi aliquando exhibeat gloriosam, sanctam et immaculatam in cœlis, *conc.*; ita Ecclesiam

(1) S. Augustinus constanter hanc veluti thesim adstruit adversus donatistas, non posse videlicet bonos contaminari ex consortio malorum, nec maculari Ecclesiam ex pravorum malis operibus, quæ Ecclesiæ nulla ratione imputari possunt, quibus corripiendis vigilat ecclesiastica disciplina. Ut nonnulla loca indicem, ita docet: *De Bapt.* lib. vii, cap. 25, n. 49; *Cont. lit. Petiliani*, lib. ii, cap. 78, n. 174;

De Bapt. lib. v, cap. 5, et alibi passim. Placet vero hic adjicere verba S. Paciani ex *Ep.* iii, ad *Sympron.* loc. cit. quoniam et hujus auctoritas nobis objicitur. *Magna*, inquit, *in filios cura matris istius et mollis affectus: honorantur boni, castigantur superbi, curantur ægroti, nullus perit, nemo despicitur, securi fœtus sub indulgentia matris retinentur.*

sibi exhibet in terris, vel *neg.* vel *subd.* quoad nobiliorem ejus partem, *conc.*; sub omni respectu, *neg.* Hunc Apostoli textum alii exponunt de Ecclesia militante, ita ut sanctitas, quæ inchoatur in terris, perficiatur in cœlis; alii exponunt de Ecclesia triumphante, quia ibi solum sine macula et ruga erit gloriosa; verum nihil vetat, quominus de utraque Ecclesia, seu potius de utroque ejusdem Ecclesiæ statu, juxta datam distinctionem eum intelligamus (1).

77. Ad 4^m, *Dist.* Juxta Hieronymum peccator de Ecclesia Christi non potest appellari aliquo sensu, quatenus nempe non vivificatur a Christo, *conc.*; absolute, *neg.* Etenim in v. 30 ejusdem capituli mentem suam magis exponit, scribens: *Ecclesia de cunctis credentibus congregatur*, qui certo non omnes sancti sunt.

78. Ad 5^m, *Dist.* Peccator extra Ecclesiam constitutus est quoad animam, *conc.*; quoad corpus, seu simpliciter, *neg.* Sensus S. Paciani patet ex verbis immediate sequentibus; subdit enim post recitata verba: *Ubi desinit peccare, jam sanus est.* Itaque peccator est membrum morbosum aut etiam mortuum, quod tamen adhæret Ecclesiæ corpori, cujus pars est (2). Talem esse

(1) Cfr. Estius, *Comment.* in hunc loc. ubi observat, Græcorum commentarios totum hunc Paulinum textum referre ad tempus vitæ præsentis, in quo Christus Ecclesiam suam, ab omnibus peccatorum maculis baptismi Sacramento mundans, eam sibi exhibet pulchram et omni genere virtutum ornata. Quam expositionem secutus pariter est S. Ambrosius, ex recentioribus vero Liranus et Cajetanus probant. Quoniam vero Pelagiani hoc loco abutebantur, S. Augustinus alique exposuerunt eundem textum de Ecclesia triumphante. Utraque expositio vera est; quod si distinguantur tempora, ita ut dicatur Christus præsentis tempore eam mundare, ut aliquando glo-

riosam et immaculatam sibi *exhibeat*, apprimè ambæ expositiones inter se coherent. Sed videatur ipse Estius. Cfr. etiam Cornelius a Lapide, qui copiose pariter hunc textum enarrat.

(2) Nonnulli suspicati sunt, hunc locum fuisse a Novatianis interpolatum; Bellarminus vero, *De Eccles.* lib. III, cap. 9, ad arg. 7, censet, S. Pacianum non loqui de omnibus peccatoribus, sed solum de peccatoribus, *qui in hæresim labuntur*, eo quod paulo ante scripserit, Ecclesiam carere macula et rugis, quia caret hæreticis. Quod quidem verissimum est; scribit enim S. Pacianus immediate ante objecta verba: *Ecclesia est non habens maculam neque rugam, hoc est, hæ-*

mentem S. Paciani, argumentum ipsius epistolæ patefacit, quod est ostendere, adversus Novatianos, posse Ecclesiam peccatoribus ac pœnitentibus filiis suis post baptismum peccatorum veniam dare.

79. Ad 6^m, *Dist.* Magni peccatores aut etiam peccatores absolute non sunt de Ecclesiæ corpore, prout vivum est, seu vivificatum per gratiam sanctificantem a Christo, *conc.*; non sunt de corpore Christi, quatenus hoc conflatur e societate credentium sub legitimis pastoribus, *neg.* Cum enim corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, sub duplici respectu considerari possit, et quatenus vivum est, ut paulo post ostendemus, et quatenus solum exterius est, et e multitudine seu societate fidelium constituitur, præscindendo ab interiori eorum statu, fit ut interdum SS. Patres, inter quos etiam S. Augustinus, in objectis locis negare videantur, peccatores de corpore Christi esse, sive de Ecclesia. Ast nomen *corporis et Ecclesiæ* coarctant ad significandum corpus, quod vivum est, seu cujus membra vivunt per gratiam; quo sensu profecto peccatores non sunt de corpore Ecclesiæ, licet sint membra corporis vivi, prout ad societatem credentium, sub legitimis pastoribus, pertinent. Hac animadversione facile explicantur apparentes antilogiæ, quæ nobis opponuntur sive ex Augustino sive ex ceteris Patribus, cum exploratum sit, tum S. Augustinum tum Patres reliquos propugnare adversus Novatianos et Donatistas commixtionem bonorum et malorum in Ecclesia.

80. Ad 7^m, *Dist.* Ut denotet peccatores esse membra mortua, *conc.*; ut denotet non esse membra Ecclesiæ, *neg.* Ibi enim affirmat, quod, cum in die iudicii exierint ex corpore Ecclesiæ hi mali humores, qui illud nunc gravant, bene se habebit. Nec debemus oblivisci, has non esse nisi similitudines ac tropicas locutiones, quæ non semper sunt urgendæ præter scopum principalem, ad quem assumuntur.

reses non habens, non Valentinus, non Cataphrygas, non Novatianos (non Lutheranos, addi posset, non Calvinistas, non Protestantés, etc.). *In his sunt enim quidam sinus maculosi atque rugosi pretiosarum res-*

tium ornatibus invidentes. Verum cum subdat: *Cæterum peccator et pœnitens*, etc. per hanc particulam, quæ hic vim habet adversativam, non videtur loqui de hæreticis, a quibus peccatores et pœnitentes secernit S. Doctor.

81. Ad 8^m, *Dist.* Ad nihil inserviunt *sibi* quoad meritum, nisi resipiscant, *conc.*; ceteris, et quatenus instrumenta aut ministri Christi sunt, *neg.* (1).

82. Obj. secunda. Juxta ideam, quam nobis veræ Ecclesiæ Scripturæ et Patres exhibent, hæc debet prorsus esse invisibilis, ac proinde ex solis justis constare. Etenim 1^o S. Paulus describens Ecclesiam prout est in novo Testamento: *Non enim accessistis, inquit, ad tractabilem montem et accensibilem ignem... sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis* (2); et 2^o Apostolus Petrus, *et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis... vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta* (3). 3^o Quæ congruunt verbis Christi: *Regnum Dei intra vos est* (4). Imo 4^o congruunt antiquis vaticiniis Isaïæ, LII, 1—2: *Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumciscus et immundus... Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus, et ego recipiam vos, dicit Dominus*, ut subdit Apostolus, recitata verba exponens; qui præterea rationem reddit, quare recedere debeant justis a peccatoribus, dicens: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate... quæ conventio Christi ad Belial* (5)? 5^o Hinc receptum illud apud Patres veluti axioma, non posse habere Deum patrem, qui Ecclesiam matrem non habet; ex quo aperte sequitur ratione contrariorum, nec posse habere Ecclesiam matrem, qui Deum patrem non habet, cujusmodi profecto sunt peccatores. Cui principio innixus 6^o S. Augustinus: *Ac per hoc,*

(1) Huc referuntur plurimi articuli in Wicleffo et Huss proscripti Concilio Constantiensi, præcipue art. iv Wicleff, *Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.* Et art. xx Huss, *Si Papa est malus, et præsertim si est præscitus... non est caput sanctæ mi-*

litantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus. Cfr. *Collect. Concil. Labb.* tom. xvi, col. 756 et seqq. ex edit. Coleti, Venet. 1731.

(2) Hebr. xii, 18 et seqq.

(3) I Pet. ii, 5.

(4) Luc. xvii, 21.

(5) II ad Cor. vi, 14 et seqq.

inquit, *etiam nesciente Ecclesia propter malam pollutamque conscientiam damnati a Christo, jam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata* (1). 7^o Sane si Ecclesia est corpus vivum, non potest habere membra mortua, quæ nonnisi improprie corporis membra vocantur. Ergo.

83. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m, prob. *Dist.* Per oppositionem ad temporale foedus inter Deum et Israëlitas initum, *conc.*; ad exclusionem Ecclesiæ visibilis, *neg.* Nempe antithesim hic instituit Apostolus inter modum, quo initum primum foedus est, et modum, quo initum novum; inter promissa, quæ in illo facta sunt, et promissiones, quæ factæ sunt in novo; inter sanguinem, quo vetus sancitum est, et sanguinem, quo sancitum est novum; inter spiritum veteris et spiritum novæ legis. Initum enim est primum foedus cum terroris apparatu, secus ac factum fuit in novo; promissiones illius foederis erant temporales, spirituales vero promissiones novi, et æternæ; sancitum illud est sanguine brutorum, sancitum vero hoc sanguine ipso novi mediatoris, Christi Domini; spiritus veteris testamenti erat timoris et minarum, spiritus novi est spiritus amoris, seu adoptionis et gratiæ. Ad illud accesserunt Hebræi corporeis vestigiis, ad istud Christiani accesserunt, et accedunt per fidem, qua præterea anhelant ad patriam cœlestem, ad consortium angelorum et Ecclesiam primitivorum descriptorum in cœlis (2).

84. Ad 2^m, *Dist.* Id est, concurrunt fideles ut lapides spirituales ad spirituale ædificium, seu non materiale, sed metaphori-

(1) *Contra Crescon.* lib. 11, cap. 21.

(2) Cfr. in hoc testimonium Estius, qui et hic observat, nonnullos interpretari montem Sion de Ecclesia triumphante; ast ipse censet, rectius ab aliis intelligi de Ecclesia, quatenus militantem simul et triumphantem comprehendit. Nam militantem excludi non permittit antithesis inter duo membra comparationis. Sina, ut ipse prosequi-

tur, allegorice vetus testamentum significat ejusque filios; ita mons Sion et Hierusalem, quam continuo nominat Apostolus, significationem habet novi testamenti et filiorum ejus, ut legitur Galat. iv. Hujus autem testamenti filii partim militant in terris, partim regnant in cœlis. Hanc eandem interpretationem dedit Cornelius a Lapide.

cum, *conc.*; spirituale seu invisibile, *neg.* Admonet Apostolus fideles, quod vocati sint ad omnimodam sanctitatem, ad Deum rite colendum et laudandum (1).

85. Ad 3^m, *Dist.* Regnum Dei, id est, Messias, aut gratia, si placet, *conc.*; Ecclesia nondum a Christo fundata, *neg.* (2).

86. Ad 4^m, *Dist.* In sensu litterali, *neg.* in sensu mystico, *subd.* per separationem ab infidelibus, *conc.*; a peccatoribus sive occultis sive manifestis, *neg.* Quo sensu exposuit Apostolus, II ad Cor. VI, 14, scribens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio*, etc. (3).

87. Ad 5^m, *Dist.* Si eadem ratione, qua habent Deum patrem, haberent Ecclesiam matrem, et vicissim, *conc.*; si diversa ratione, *neg.* Porro fideles etiam peccatores sunt filii Ecclesiæ per fidem, participationem Sacramentorum et subjectionem legitimis pastoribus; sunt autem filii Dei per gratiam sanctificantem, charitatem et imitationem. Schismatici et hæretici in sensu Patrum nec Ecclesiam matrem nec Deum patrem habent (4).

(1) Cornel. a Lapide in hunc loc. ubi non solum eum docte exponit, sed pessimas hæreticorum consequentias diluit.

(2) Cfr. Maldonatus, qui ostendit, hic agi de Messia ejusque regno ad mentem Pharisæorum. Cfr. etiam Lightfootus, *Horæ hebraicæ in Evangelium Lucæ*, opp. edit. Ultraject. 1697, tom. III.

(3) In textu Isaiæ litteraliter prædicatur solutio captivitatis babilonicæ, Judæorum in patriam reditus, ac immunitas a vexationibus infidelium in terra palæstinensi, ut patet ex orationis serie. Cfr. Sanctius in hunc locum, qui, quamvis non excludat, imo supponat nostram interpretationem, contendit, in hoc capite prophetam sub typico Hierusalem sensu significare fu-

turum Ecclesiæ splendorem ac majestatem; ad verba porro, quæ objiciuntur ab adversariis, *non adjiciet ultra*, etc. duplicem dat responsionem, quarum prior est de immunitate Ecclesiæ a dominatione principis infidelis; altera quæ magis mihi arridet, est, non tam hic prædici, quod reipsa futurum sit, quam quod esse in Ecclesia, a Christo constituta, debeat, aut quod, ut fiat, ipsa rerum natura postulat. Ast ipsum adi.

(4) Hoc revera sensu S. Cyprianus omnium primus scripsit in lib. *De unitate Eccl.* pag. 195, edit. Maur. *Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem*; hunc enim librum edidit adversus schismaticos Novatianos, ut ostenderet, extra Ecclesiam catholicam nullam esse

88. Ad 6^m, *Dist.* Docet Augustinus non esse in Ecclesia peccatores eo modo, quo in ea sunt justī, id est, ut membra viva corporis vivi, *conc.*; non esse in Ecclesia ullo modo, saltem ut membra mortua corporis vivi, *neg.* Hoc patet ex scopo S. Doctoris, adstruendi adversus Donatistas corpus Ecclesiæ constare tum ex justis tum ex peccatoribus, quos vocat humores corruptos in pectore manentes, adeoque in Ecclesiæ corpore (1).

89. Ad 7^m, *Neg.* Nihil enim impedit, quominus corpus vivum membrum aliquod mortuum habeat, quod scilicet motum non recipiat a toto corpore, ut experientia docet. Multo vero magis id locum habere potest in societate, quæ nonnisi analogice corpus dicitur.

90. Inst. Ecclesia est objectum fidei, videri igitur nequit.

91. Resp. *Dist.* Quatenus Ecclesia est Ecclesia Christi, sancta et catholica, *conc.*; quatenus videtur, *neg.* (2).

sperandam salutem. Nec alio sensu hoc effatum ceteri Patres usurparunt, quam adversus hæreticos et schismaticos extra Christi Ecclesiam constitutos.

(1) S. Augustinus, hic disputans adversus Cresconium donatistam, vult ostendere, perinde esse quoad valorem Baptismi, sive conferatur ab hæretico sive ab occulto aut manifesto peccatore; quia eadem ratione, qua hæretici aut manifesti ac publici peccatores judicati sunt ab Ecclesia, occulti peccatores judicati a Christo sunt, et qua tales ab eo damnati. Porro, ait ipse, quemadmodum Christus non habet membra damnata in corpore suo, quod est Ecclesia, sic, licet isti videantur exterius ad Ecclesiam pertinere, attamen non computantur in membris illius columbæ unicæ, donec corrigantur et resipiscant. Evidens autem est, vic loqui S. Doctorem de membris vivis Ecclesiæ, qualia profecto non sunt

peccatores; non autem de membris absolute, ut patet ex antithesi, quam hic instituit S. Augustinus inter illos, qui receperunt baptismum *foris*, nempe ab hæreticis, et illos, qui idem susceperunt *intus* a peccatoribus. Cfr. etiam Bellarminus, loco citato.

(2) Cfr. de hoc argumento P. Fontana S. J. in *Constit. UNIGENITUS theologice propugnata*, Romæ 1721, tom. III. Cum enim Quesnellus sectariorum more vellet damnationem declinare, septem propositionibus nixus est insinuare, Ecclesiam esse invisibilem, nec ad illam pertinere nisi electos et justos. Sunt autem proposit. LXXII et sequentes usque ad prop. LXXIX. Has, ut solet, Fontana copiose et erudite confutat. Ut specimen exhibeam Quesnellianæ doctrinæ, ejus exscribam propositionem LXXII, quæ ita se habet: *Nota Ecclesiæ christianæ est, quod sit catholica, comprehendens et omnes*

PROPOSITIO II.

Ecclesiæ corpus constituitur ex hierarchia divina ordinatione instituta, et ex laicis; seu constat ex clericis et laicis, divino jure ab invicem distinctis.

92. *Hierarchia*, si vim nominis spectes, perinde valet ac *sacer principatus, sacrum imperium, seu principatus in rebus sacris* (1); si vero rem voce significatam, definiri solet *cætus seu ordo præsidum et sacrorum ministrorum ad regendam Ecclesiam gignendamque in hominibus sanctitatem divinitus institutus*. Pertinet propterea hierarchia ad essentialem constitutionem visibilis Ecclesiæ, utpote sic a Christo institutæ atque fundatæ. Quamobrem de hierarchia hic a nobis agendum erat.

93. Protestantes, qui nullum agnoscunt a Christo institutum sacerdotium externum ac proprie dictum, sed contendunt omnes omnino fideles vi baptismi totidem esse Sacerdotes, inferunt, plenitudinem auctoritatis ex Christi ordinatione residere in populo, qui, cum non possit per se implere munia Sacerdotio adnexa, deputat ad hæc obeunda peculiare viros, ipsisque per quamdam cæremonialem inaugurationem plus minusve auctoritatis tribuit, pro majori vel minori gradu, in quo eos collocat, a quo si amoveantur, omnem auctoritatem amittunt. Hos vocant *ministros*, quorum præcipuos vocant etiam *episcopos* aut *præsidentes*, aut aliis titulis donant ratione gradus, quem respective obtinent (2). Ex hoc eodem principio colligunt præterea Protestantes necessitatem absolutam suffragii, quod ferre debet populus, seu ejus personam gerentes, principes nempe aut magistratus, ad validam ministrorum electionem (3).

angelos cæli et omnes electos et justos terræ et omnium seculorum. Cetera sunt ejusdem tenoris.

(1) Cfr. Suicerus, in *Thesouro* ad vocem *Ἱεραρχία*.

(2) Exinde intelligitur, quid sint apud Lutheranos qui *episcopi* vocantur, et quorum frequens apud eos fit mentio,

quin tamen admittant hierarchiam.

(3) Talis est origo juris, quod principes protestantes sibi tribuunt et exercent in sacra, frustra reclamantibus pastoribus, siquidem ejusmodi jus in eos profluit ex ipso protestantismi systemate.

94. Haud multum ab hoc Protestantium placito neoterici distant illi, qui cum Edmundo Richerio sentiunt, Christum totam potestatem, quam tribuit per collationem clavium, contulisse corpori fidelium in solidum, quemadmodum Deus oculos ex. gr. dedit corpori, aut etiam facultatem visivam non oculis in se spectatis contulit, sed corpori, quod cernit per oculos, audit per aures, etc. Cum vero fideles nequeant per se ejusmodi potestatem exercere, deligunt ecclesiasticos viros, ac in primis Rom. Pontificem, Episcopos, Presbyteros ac reliquos clericos ad peculiaria officia obeunda (1). Atque inde profluit illa *capitis ministerialis* denominatio a Richerio primum, deinde vero a synodo Pistoriensi Romano Pontifici tributa (2); quæ quidem denominatio utpote emergens a systemate, quod uti hæreticum damnatum est, pariter ut hæretica proscripta fuit a Pio VI, in constit. *Auctorem fidei* (3).

95. Id ipsum de iis dicendum, qui, sin minus verbis, re tamen in eadem concedunt sententiam, contententes, Christum Ec-

(1) Ita Richerius in op. inscripto : *De ecclesiastica et politica potestate*. Hoc opus ter damnatum fuit decretis 10 Maj. 1613, 2 Decemb. 1622, et 4 Mart. 1709. Richerius librum suum semel et iterum non solum retractavit, sed plane confutavit. Cfr. opusc. Zacchariæ, cui tit. *Theotimi Eupistini de doctis catholicis viris, qui Cl. Justino Febronio in scriptis suis retractandis ab an. MDLXXX laudabili exemplo præverunt, liber singularis*, Romæ 1791. Cfr. præterea idem auctor in *Anti-Febronio*, pag. 87 et seqq. Cesena 1770.

(2) Sane Richerius in sua *Retractione* ita scribit : *Hanc propositionem, seu potius hæresim ex putidis Lutheri et Calvinii fontibus me hausisse non diffiteor, qui ambo impie*

falsoque contendunt, proprie et immediate jurisdictionem Ecclesiæ fuisse datam a Christo, non S. Petro, aliis Apostolis et Episcopis, nisi per accidens instrumentaliter et nomine Ecclesiæ, etc.... Nec minus mihi ridiculum fuit dicere, eundem Papam esse caput ministeriale, ac si esset Ecclesiæ minister, quemadmodum apparitores sunt ministri justitiæ.

(3) Prop. III, quam alias dedimus. Sic pariter prop. II, *Quæ statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicetur Pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in Pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, hæretica.*

clesiæ suæ seu hierarchiæ potestatem *jurisdictionis* minime tribuisse, sed solam potestatem, seu potius ministerium *directionis*. Hinc Episcopus vocant primos inter pares, ac idem sentiunt de Rom. Pontifice respectu Episcoporum. Vocant proinde Ecclesiam *collegium*, non autem *statum*, *regnum*, *monarchiam*, *corpus*.

96. His porro omnibus hæreticis erroneisque sententiis opponimus doctrinam catholicam, quæ semper tenuit ac tenet, in Ecclesia esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris (1), quæque a populo divino jure distincta sit. Non complectimur his verbis, ut patet, Rom. Pontificem, de quo suo loco nobis apposite agendum erit; neque complectimur Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Archipresbyteros, etc. utpote subdivisiones ab Ecclesia processu temporis inductas. Verum eos tantum gradus significamus, qui una cum potestate Ordinis comprehendunt potestatem jurisdictionis, ex quibus tanquam a sua radice surgit quodammodo auctoritas ipsa (2); nempe designamus coetum ecclesiasticum simul spectatum, quatenus divino jure distinguitur a populo.

97. Itaque hoc sensu directe adstruimus hierarchiam adversus Protestantés, indirecte autem adversus Richerianos, Pistorienses ac reliquos novatores, quod scilicet Christus Dominus instituerit peculiarem coetum, cui soli commisit regimen Ecclesiæ suæ independentem a fidelibus quibuscumque, qui potius ab illo regendi sunt atque informandi in iis, quæ ad salutem æternam conferunt.

98. Sic vero expositam doctrinam evincimus. Non aliter prorsus de Ecclesiæ regimine ejusque forma et origine sentiendum, ac judicium ferendum est quam ex voluntate ejusdem Fundatoris, quæ innotescere nobis debet tum ex Scripturis tum ex facto ipso ad nos usque protracto. Jam vero ex utroque fonte constat, Christum commisisse fidelium suorum regimen una cum auctoritate, quam illud suapte natura exposcit, non omnibus indiscriminatim non multitudini, aut seculi principibus, sed peculiari coetui hominum, quem Sacerdotio externo, proprie dicto, ac certo ritu in

(1) Conc. Trid. sess. xxiii, can. vi. *rarchia ecclesiastica*, lib. 1, cap. 57,

(2) Cfr. Franc. Hallierius, *De hierarchia ecclesiastica*, Lutet. Paris. 1646.

Ecclesiam suam continue propagando, in triplici suo gradu Episcoporum, Presbyterorum et ministrorum insignivit. Ergo.

99. Ac primo quidem ad sacras litteras quod attinet, legimus Matth. XVIII, Christum ex omnibus, discipulis quos sibi adjunxerat, claves regni cælorum, seu potestatem ligandi atque solvendi solis Apostolis tradidisse; Ibid. XXVI, solis Apostolis contulisse potestatem Eucharistiam conficiendi; ac demum XXVIII, solis Apostolis mandatum dedisse et auctoritatem docendi omnes gentes ac baptizandi, quibus præterea se adfuturum in hoc munere obeundo usque ad consummationem seculi promisit (1). Hanc potestatem contulit Christus immediate Apostolis suis eadem ratione, qua ipse eam consecutus erat a Patre suo. Ut enim legitur Matth. XXVIII, Christus præmiserat: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra; euntes ergo docete*, etc. atque ut habetur Joan. XX, 21, dixit eis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: accipite Spiritum Sanctum*, etc. Ex his igitur luculenter constat, Christum in institutione Ecclesiæ suæ tum missionem, tum administrationem Sacramentorum, tum denique opportunam auctoritatem ad ejusdem Ecclesiæ regimen, non populo, aut secularibus principibus, ab ipsis deinde delecto cœtui communicandam, sed unice Apostolis suis eorumque in Sacerdotio successoribus immediate contulisse. Accedit, Ecclesiam præcise non cœpisse in sua, ut aiunt, formali ratione ac solempni inauguratione, nisi die Pentecostes, cum ad Petri concionem tria hominum millia per baptismum in eam cooptata sunt (2); quomodo igitur iis nondum existentibus fidelibus conferre Christus potuit auctoritatem aliis communicandam?

100. Verum res luculentius adhuc patet ex facto constanti ab Apostolis ad nos usque absque interruptione continuato. Ex quo enim societas christiana cœpit, statim conspicimus, Apostolos eam, quam a Christo adepti erant, auctoritatem exercere, atque, ut diffunderetur, delectis a se hominibus communicare. Et quidem

(1) Cfr. etiam loca parallela Marc. Ecclesia inchoata, atque ut ita dicam, in embryo suisque veluti elementis. xvi, 17; Luc. xxiv, 47, et seqq. Act. 1, 8.

(2) Ante id temporis non erat nisi

ab initio soli Apostoli cum ministris seu diaconis sacro ritu initiatis (1), deinde vero cum Sacerdotibus utraque præditi potestate, presbyterali scilicet et episcopali (2), ac demum temporis exigui lapsu cum Episcopis, qui ad præcavenda schismata Presbyteris, tali gradu destitutis, superpositi sunt (3). Exinde habemus, Sacerdotium illud, quod in sua plenitudine Christus primum Apostolis contulerat, veluti flumen trifariam in suis gradibus distinctum ad nos usque promanare. Nullum siquidem pene monumentum ecclesiasticum est vel a remotissima ipsa antiquitate, in quo aut seorsum aut simul etiam mentio non occurrat Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum. De his enim monumenta biblica passim, de his Clemens Romanus immediatus Apostolorum discipulus, nec non Hermas, Ignatius, Papias, Polycarpus, discipuli pariter Apostolorum, deinde reliqui omnes, qui iisdem successerunt, mentionem faciunt. Horum omnium supervacaneum censeo testimonia in medium adducere, quippe omnibus competentissima.

101. Quod autem potissime præ oculis ad rem nostram in his documentis habendum, auctoritas illa profecto est, quam ab ipsis Ecclesiæ primordiis exercuerunt summi Pastores, ac sub ipsis reliqui secundo, ut diximus, aut tertio Sacerdotii gradu insigniti, Presbyteri nempe et Diaconi. Atque ut exordiamur ab Apostolis, legimus, eos a Spiritu S. in opus ministerii assumptos fuisse, uti Paulum et Barnabam (4); Paulum item et Barnabam per civitates singulas Presbyteros constituisse auctoritate propria per sacram inaugurationem (5); insuper Paulum testatum esse, Episcopos a Spiritu S. positos esse ad *regendam* Ecclesiam Dei (6); præfecisse Timotheum Ecclesiæ Ephesinæ (7), Titum Cretensi (8); iisdem regulas ac monita dedisse, ut scirent, quomodo in commissis Ecclesiis conversari, easque cum omni imperio gubernare (9), qui-

(1) Act. vi.

(2) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De Ordine* n. 104 et seqq.

(3) Cfr. Ibid. n. 57 et seqq. et n. 110 et seqq.

(4) Act. xiii, 2 et seqq.

(5) Ibid. xiv, 20.

(6) Ibid. xx, 28.

(7) I ad Tim. i, 3.

(8) Ad Tit. i, 6.

(9) Ibid. ii, 15, et in epist. ad Hebr. xiii, vocat Ecclesiæ ministros

bus dotibus præfulgere ii deberent, quibus manus imponerent, seu Ordinationem conferrent (1), nulla prorsus mentione plebis injecta, nisi ad summum ut bonum ab ea testimonium haberent (2). Apostolus Joannes pariter viros a se delectos præfecit Ecclesiis Asiæ, quas fundaverat (3). Idem constat fecisse Petrum per universas occidentis ecclesias (4).

102. His vestigiis inhærentes viri apostolici, quos paulo ante commemoravimus, affirmant, Episcopos, Presbyteros et Diaconos a Domino Ecclesiæ in ordine seu gradu suo fuisse præfectos (5); vocant Episcopos ecclesiarum præsides (6), qui præsumunt Dei loco, quibus proinde parendum sit ut Dei mandato, ut Deo Patri; aliaque ejusmodi pene innumera apud eosdem occurrunt (7), ut recentiores prætermittam, quibus luculentissime edocemur: tum semper extitisse hierarchiam divina ordinatione constitutam, quæ constat Episcopis, Presbyteris et ministris; tum hanc a laicis divinitus distinctam semper spectatam fuisse; tum demum auctoritatem, quæ semper et constanter in ea viguit, non a plebe,

præpositos, adjiciens, v. 17: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis.*

(1) I ad Tim. 2-9, v. 22, etc. ad Tit. 1, 6 et seqq.

(2) I ad Tim. III, 7.

(3) Irenæus et Clemens Alex. apud Euseb. lib. III, cap. 23; Hieronymus, *De viris illustr.* cap. 9.

(4) Tertull. *De Præscript.* cap. 35. edit. Rigal.; Innocentius I, *Epist.* xxvi ad Decent. § 2, cum not. Constantii; S. Augustinus in *Breviculo Carthagini. collat.*, tum in lib. *De unico bapt.*

(5) Cfr. Clement. Rom. *Epist.* I ad Corinth. cap. 42, apud Cotel. tom. I, pag. 170; Ignat. Mart. in *Epist.* ad Ephes. IV, et alibi passim, ibid. tom. II. Cfr. Guillelmus Beveregius, *Annotat.* in can. 1 et II apostol.

(6) Hermas, *Pastor.* lib. I, vis. III, n. 5 et seqq.

(7) Sic Hermas, loc. cit.; Clemens Rom., Ignatius apud Cotel. Cfr. in indice ad voces *Episcop.* *Hierarchia*; nam nimis longum esset velle loca singula indicare. Sane Episcopus vocatur passim *Summus Sacerdos* a Tertulliano, lib. *De Bapt.* cap. 17; ab Ambrosio, *De Sacram.* lib. III, cap. 5; a Hieronymo, *Adv. Luciferian.* et in *Epist. ad Asellam*, etc. apud Hallierium, cit. lib. IV, pag. 461 et seqq. Certe antiquissimus auctor. *Constit. apostolic.* lib. II, cap. 14, inter cetera scribit: Οὐδέ γὰρ δίκαιον κεφαλὴν ὄντα σε, ὃ ἐπίσκοπε, οὐρᾶ προσέχειν, τουτέστι λαϊκῶ... ἀλλὰ Θεῷ μόνῳ ἄρχειν γὰρ σε χρὴ τῶν ἱππηκίων, οὐ μὲν καὶ ὑπ' αὐτῶν ἄρχεσθαι· οὐτε γὰρ υἱὸς ἄρχει πατρὸς κατὰ τὸν τῆς γενέσεως λόγον. κ. τ. λ. *Neque etiam æquum est, o Episcope, ut tu, qui caput es, assentiaris caudæ,*

non a mundi principibus, sed a Christo sive a Deo ei fuisse tributam (1).

103. Ex his non solum eruimus adversus Protestantés, Christum fidelibus universis nullum Sacerdotium proprie dictum contulisse, nec proinde potestatem eidem adnexam, ut fert illorum principium fundamentale ad evertendam ecclesiasticam hierarchiam, et distinctionem divinitus inductam inter clericos et laicos; sed præterea colligimus adversus Richerianos, neque mediate neque immediate Christum contulisse corpori fidelium potestatem clavium, ut eam deinde communicarent sive Rom. Pontifici, sive Episcopis aut Presbyteris; ac denique adversus Pistorienses inferimus, sive Romani Pontificis, sive Episcoporum auctoritatem non *ministerialem* tantummodo esse, eo videlicet sensu, quod absque idonea potestate illis a cœtu fidelium communicata munus sibi divinitus commissum exercere nequeant. Hæc enim omnia aliena sunt a Christi mente in Ecclesiæ suæ constitutione patefacta, nec illorum ullum occurrit in tota antiquitate vestigium (2).

DIFFICULTATES.

104. Obj. prima. Si Ecclesiarum præsides ac ministri tum divina institutione tum divinitus accepta potestate carent, nulla profecto existit ecclesiastica hierarchia divina ordinatione constituta, ac divino jure a laicis distincta; porro ita rem se habere facile evincitur. 1º Ac primo quidem quod attinet ad divinam institutionem; nam, quæ sunt divinitus instituta, ea pendere ab humana auctoritate nullatenus possunt; jam vero ex populi suffragio pendere ministrorum electionem, luculentum exemplum exhibent Acta apostolica sive in electione Barnabæ ac Matthiæ (3), sive in electione septem Diaconorum (4); exhibent Concilia,

hoc est, laico, .. sed Deo soli. Nam oportet te subjectos regere, non ab iis regi; cum nec filius imperet patri secundum rationem ortus, etc.

(1) Cfr. Petavii *De ecclesiastica hierarchia*. libri quinque, præsertim lib. I, cap. 2 et seqq.

(2) Cfr. opus, cui tit. *Le storte idee*

raddrizzate, ossia esame teologico e canonico di certe nuove dottrine intorno la potestà costrettiva della chiesa, etc. Foligno 1794. Cujus auctor creditur Zaccaria.

(3) Act. I, 23.

(4) Ibid. VI, 3-5.

quibus passim constituitur, ut, Episcopo defuncto, ille in ejus locum sufficiatur, quem *populus elegerit*, uti inter cetera Conc. Nicænum statuit in epistola synodica ad Ecclesiam Alexandr. (1); exhibent Ecclesiæ Patres, inter quos S. Cyprianus testatur, populi suffragium et consensum in electione ministrorum Ecclesiæ ex traditione divina et apostolica observatione descendere (2). 2º Verum non modo carent Ecclesiæ præsidēs divina institutione, sed carent præterea divinitus accepta potestate; Christus enim, Matth. XX, 25-27, quocumque principatu interdixit Apostolos ipsos, dicens: *Principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Quapropter Petrus, I epist. V, 3, scribebat: *Neque ut dominantes in clericis, sed forma facti gregis ex animo.* 3º Hinc etiam Apostoli reliqui, non se Ecclesiæ hierarchas, sed Christi servos, ministros, atque dispensatores Dei se esse profitebantur, ut in primis Paulus. 4º Igitur Tridentini Patres recte quidem definire potuissent, esse in Ecclesia *hierodiaconiam* aut *hieroduliam*, sacrum videlicet ministerium aut sacram servitutem, non autem hierarchiam, quod nomen imperii ab instituto Christi ejusque Apostolorum omnino abhorret. 5º Quare Germania mirata est, inquit Sarpus (3), illius synodi Patres consecrasset vocem, quæ a sacris Litteris aliena est, veteribusque moribus institutisque contraria. 6º Neque silentio prætereundum est, hierarchiam hujusmodi ecclesiasticam cum civilis reipublicæ hierarchia conciliari nullo modo posse. Ergo.

105. Resp. *Neg.* min. Ad 1^m vero prob. *Neg.* iterum min. quoad omnes partes. Atque in primis non suffragantur adversariis Acta apostolica; etenim ex principio ipsorum adversariorum, quod pendet a divino ac naturali jure, constans esse debet, nec ulli mutationi obnoxium; alioquin irritum illico ac nullum

(1) Apud Theodoret. *Hist. eccles.* lib. I, cap. 9.

(3) *Storia del Concil. di Trento*, lib. VIII.

(2) Epist. LXVIII.

censeretur, quod contra utrumque jus fieret. Porro, præter duo illa facta ex Act. I et VI nobis objecta, nullum aliud ejusmodi occurrit exemplum de servata illa electionis forma; imo ut ex allatis probationibus constat, aut sola voluntate Dei immediate expressa, aut a solis Apostolis, aut sola denique voluntate eorum, qui ab Apostolis præfecti Ecclesiis erant, juxta leges sibi constitutas facta ejusmodi electio est. Restat igitur, ut dicamus, in duplici illo casu ita se gessisse Apostolos ex peculiari quadam ac prudenti œconomia, quin voluerint normam seu legem immutabilem constituere, multo vero minus id fecisse necessitate compulsos, eo quod ita exposceret naturale aut divinum jus; alioquin ipsi se juris ejusdem violatores constituissent (1).

(1) Quæ ut melius intelligantur, revocandum in mentem est systema Protestantium circa Sacerdotium, ex quo pendet hierarchia. Cum Christus juxta ipsos noluerit peculiare Sacerdotium externum et visibile instituere, sed fideles omnes voluerit præditos sacerdotio vi baptismi, fit ut omnibus competat jus et potestas concionandi, consecrandi, administrandi Sacramenta, ceteraque munia sacerdotalia obeundi. Attamen nemo singillatim jus istud potest in praxim deducere nisi ex delegatione communitatis, quæ accepit in solidum hanc potestatem; ex quo sequitur, suffragium populi ad eligendos ministros esse necessarium necessitate intrinseca et essentiali, ita ut nulla et invalida sit electio absque suffragio communitatis, aut ejus saltem qui eam repræsentat; nullum plane et invalidum prorsus sit absque ejusmodi electione ministerium. In ipsorum enim hypothese systema ecclesiasticum est omnino democraticum, ut in republica ex. gr. Atheniensi quondam viguit.

Quapropter omnia congerunt Protestantes ex sacris Litteris atque ex historia ecclesiastica documenta, quibus hanc suadeant necessitatem essentialem; quia, nisi eam adstruant, nihil proficiunt, et totum corrui ipsorum ædificium. Cum vero impossibile id ipsis factu sit, quoniam ex Scripturis et ex historia ecclesiastica innumera exempla suppetunt electionum sive Episcoporum sive Presbyterorum sive Diaconorum, quæ factæ sunt absque ullo plebis aut communitatis suffragio et interventu, imo in quibus hæc exclusa sunt, hoc ipso patet, totum everti ejusmodi systema. Ceterum quoad electionem S. Matthiæ cfr. Calmet in dissert. *De electione per sortes*, et in *Comment. in Act.* cap. I, v. 26. Circa electionem autem Diaconorum, in qua major potest esse difficultas, non desunt rationes, cur Apostoli ita se gesserint. Ideo enim exquisiverunt suffragium multitudinis, ut ferret testimonium de ipsorum probitate et moribus, ne in suspicionem postea ipsi venirent, præsertim cum

106. Sed neque iisdem suffragantur Concilia, quorum decretis pro diversis temporibus varia omnino disciplina sancita est in ministrorum electione. Interdum, statutum fuit ut Episcopus et Presbyteri eligerentur cleri et plebis suffragio, uti constat ex cit. synodica epistola Concilii Nicæni; interdum, ut a solis Episcopis, nulla facta populi mentione, Episcopus nuncuparetur, ut patet ex eodem Concilio Nicæno, can. IV (1); aliquando populi suffragium aperte exclusum est, uti a Conc. Laodicæno, can. XIII (2), et Bracarense II, cap. I (3). Id ipsum evincit usus peculiaris Ecclesiæ Alexandrinæ, uti habemus ex S. Hieronymo, ubi *a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant* (4). Eadem varietas viguit in electione ceterorum ministrorum, quæ ut plurimum a sola voluntate ordinantis pendebat. Quæ quidem omnia, innumeris propemodum documentis ecclesiasticæ historiæ firmata ab eruditis Thomassino (5), Hallierio (6), Nat. Alexandro (7) aliisque passim, luculenter ostendunt, populi electionem non a jure divino, sed a varia Ecclesiæ disciplina et concessione unice esse repetendam.

107. Nec adstipulantur Patres, qui potius sæpenumero conqueruntur de usu illo, qui in Ecclesiis aliquibus obtinebat (8),

ipsis concredita esset bonorum temporalium administratio. Quare, ut observat S. Joan. Chrysostomus, *Hom. XIV in Acta*, aut omnes aut plerique saltem electi sunt ex Hellenistis, ut patet ex eorum nomine, quia murmur excitatum erat ex parte græcorum. Cfr. Cornel. a Lapide in hunc locum.

(1) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. 1, col. 328.

(2) Ibid. col. 783.

(3) Ibid. tom. III, col. 391.

(4) *Epist. cXLVI ad Evangelum*, edit. Vallars. tom. I, col. 1076.

(5) *Vetus et nova disciplina*, part. II, lib. 1, cap. 1 et seqq. præsertim cap. 4.

(6) *De sacris electionibus et ordinationibus*, part. I, cap. 3, § 1 et seqq.

(7) *Hist. eccl.* diss. VIII, in sec. 1, *De jure christianæ plebis in sacrorum ministrorum electione*, et diss. IV, in sec. XI et XII, *De investituris Episcoporum*.

(8) Sane S. Hieronymus, lib. 1, *Contra Jovinian.* scribit: *Nonnunquam errat plebis vulgique judicium; et in Sacerdotibus comprobandis unusquisque suis moribus facit, ut non tam bonum quam sui similem querat præpositum*, Edit. Vall. tom. II, col. 292. Cfr. præterea auctores citati.

donec penitus abolitus est. Quod si S. Cyprianus, ep. cit., huiusmodi populi jus de traditione divina et apostolica observatione descendere docet, S. Martyr latiori significatione hic *traditionem divinam* commemorat, quatenus exemplis innititur ex divina Scriptura depromptis, minime vero quod reipsa ex divina aliqua lege illud proficisci autumaverit. Adde, S. Cyprianum loqui de suffragio aut testimonio, quod populus ferret de moribus eligendorum, non autem de electione ipsa, cujus *judicium* Episcopo reservabatur, ut constat ex epistolæ serie (1).

108. Ad 2^m, *Neg.* Ad allatas vero probationes desumptas ex Christi et Petri verbis, *Dist.* Improbant Christus et Apostolus imperii aut potestatis fastum et abusum in Ecclesiæ pastoribus, *conc.*; potestatem ipsam et imperium, *neg.* Improbant scilicet in Ecclesiæ ministris elationem, jubentque, ne potestatem exercent nimis duram et imperiosam, quemadmodum exercebant Principes gentium. Abusus porro legitimum rei alicujus usum supponit. Sane Christus Petro, Joan. XXI, jam dixerat: *Pasce agnos meos... pasce oves meas*; ac idem Petrus: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum* (2). At providere et pascere sine potestate quis

(1) Sic enim scribit S. Martyr, loc. cit. *Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione observandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provincie proximi quique convenient, et Episcopus deligatur, plebe præsentem, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* En itaque rationem, quare juxta S. Cyprianum exquireretur suffragium plebis, ut præberet testimonium de eligendi vita et moribus,

idque consone ad Apostoli regulam, 1 ad Tim. III, 7: *Oportet illum (Episcopum) et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Quod si ab ethnicis ipsis necesse est habere bonum testimonium, seu apud eos bona fama frui, quanto magis apud fideles? uti observat S. Joan. Chrysostomus. Exinde effluit in Ecclesia catholica disciplina de publice denunciandis nominibus ordinandorum, ut, si quæ vitia in iis sint, detegantur. Cfr. Hallierius, op. cit. *De sacris election.* part. 1, cap. 2, nec non Nat. Alex. diss. VIII cit. sect. 1, prop. III.

(2) Loc. cit.

possit? Sed præterea recolantur reliqua in probationibus adducta, ac omnibus patebit, utrum Christus voluerit ministros suos omnis dignitatis ac auctoritatis expertes, an vero in finem, ad quem eos destinaverat, amplissima voluerit esse potestate præditos. Deinde nonne protestantes contendunt, hanc Potestatem Christum contulisse populo universo? Itaque de potestate non potest esse controversia; sed quæstio circa ejusdem potestatis subjectum tota versatur. Quod semper præ oculis habendum est (1).

109. Ad 3^m, *Dist.* Apostoli hierarchæ nomen sibi non vindicarunt, *conc.*; rem vocabulo significatam, *neg.* Quamvis enim Apostoli passim se Christi servos et ministros appellaverint atque dispensatores mysteriorum Dei, hæc tamen eorum agendi ratio causæ, quam propugnamus, minime officit; siquidem ejusmodi nomina et officia non pugnant cum potestate ordinandi Ecclesiæ ministros, ferendi leges, judicandi et contumaces puniendi. Hanc porro sive ordinis sive jurisdictionis potestatem Apostolos generatim omnes, maxime vero Paulum, exercuisse, testatur omnis Actorum historia, testantur epistolæ ejus. Quid

(1) Etenim cum juxta dicta in systemate Protestantium, et propterea Richerii, qui magna ex parte illud suum fecit, Christus constituerit veram ac puram democratiam, adeoque populum christianum universum sacerdotem effecerit, contulit in eundem populum fidelem potestatis plenitudinem, quæ potestas nemini in particulari competit, sed tota residit in communitate. Quodlibet individuum singillatim sumptum nihil habet, nec quemvis vel minimum jurisdictionis actum exercere potest. Debet proinde a communitate ea communicari illi, quem deligit in ministrum, et juxta gradum, in quo eum collocat. Contra vero in doctrina catholica Christus hanc potestatis plenitudinem contulit Sacer-

dotio visibili, externo ac proprie dicto, ac præcise corpori episcopali cum et sub Rom. Pontifice, ita ut Episcopi seorsum sumpti, saltem quoad potestatis exercitium, nihil possint nisi dependenter a Rom. Pontifice, ut suo loco ostendemus. Interim patet, in quacumque hypothesi semper requiri veram ac propriam potestatem ad Ecclesiæ regimen, et totam controversiam unice versari circa subjectum, cui Christus immediate eam voluit conferre. Cum vero ex dictis Christus non in populo, sed in corpore episcopali sub Rom. Pontifice eam collocaverit, hoc ipso concidunt omnia Protestantium argumenta, cum potestas ad regendum oriatur ex ipsa natura rei, supposita Christi institutione.

ergo interest, si Apostoli non vindicarunt sibi appellationem *hierarchæ*, quando constat, eos vindicasse sibi hierarchicam potestatem, eamque non populo, sed Deo acceptam retulisse? Esto igitur, hierarchia sit nomen imperii; ast sacri et ecclesiastici imperii nomen est, quod ex dictis neque Christi neque Apostolorum instituto repugnat.

110. Ad 4^m, *Dist.* Non definierunt Tridentini Patres, esse in Ecclesia *hieroduliam* aut *hierodiaconiam*, quia id non ferebat ipsorum scopus, imo eidem penitus ejusmodi voces opponebantur, *conc.*; secus, *neg.* Ideo Tridentini *hierarchiam* potius quam *hieroduliam* aut *hierodiaconiam* in Ecclesia esse definierunt, quia duo nomina isthæc sacrum tantum ministerium significant absque ulla eidem adjecta spiritali potestate. Cum verò scopus Tridentinorum fuerit dogma catholicum, quod a Protestantibus impugnabatur, sartum tectumque tueri; ideo debuerunt eam vocem consecrare, quæ præter ministerium illam complecteretur auctoritatem, quam Christus ministris suis communicavit, et quæ in Ecclesia semper obtinuit. Etsi vero antiquis Patribus incognita fuerit hierarchiæ vox (1), apud eosdem tamen ea nomina occurrunt, quæ ad ejus notionem proxime accedunt; nam et Origenes vocavit Episcopos Ecclesiæ *principes* (2); Chrysostomus item

(1) Primus, qui perhibeatur in antiquitate usurpasse *hierarchiæ* nomen, est Dionysius vulgo areopagita nuncupatus, seculi v scriptor (qui putatur aliquis monophysita, aut saltem monophysismi errore infectus, ab erudito Le Quien, *Diss. II Damascenica*). Hic duos libros vulgavit, alterum *De caelesti hierarchia*, in 15 capita distributum, alterum vero *De ecclesiastica hierarchia*, complectentem capita 7, quos inter ceteros latine reddidit, et una cum reliquis ejusdem auctoris operibus denuo vulgavit Balthasar Corderius S. J., qui præterea adnotationibus ea auxit et illustravit. De au-

tore operum areopagiticorum præclaram dissertationem lucubravit doctissimus P. J. F. Bernardus Maria de Rubeis Or. Pr. quæ est ix inter eas, quas scripsit *De gestis et scriptis ac doctrina sancti Thomæ Aquinatis*, vol. in fol. Venet. 1750. In hac porro dissertatione vindicat de Rubeis hunc auctorem ab omni apollinarismi, euty-chianismi et monothelismi labe ac suspitione.

(2) Tom. xvi, in Matth. opp. edit. Caroli De la Rue, tom. III, pag. 723 et seqq. ubi constanter Origenes vocat Episcopum *ἐγούµενον*, et instituit comparationem inter seculi Principes et Principes

commemoravit Ecclesiæ *præfecturam* (1); Eusebius pariter et Chrysostomus Episcopos passim vocant Ecclesiarum *archontas* (2); latini autem Patres vulgo Episcopos dixerunt *Ecclesiæ præses*, *principes* atque *præpositos* (3). Propterea cum citato Origene concludimus: *Paulus Ecclesiarum rectoribus et principibus loquitur, his videlicet, qui judicant eos, qui intus sunt, id est, Episcopis, Presbyteris et Diaconis* (4).

111. Ad 5^m, *Dist.* Mirata est Germania protestans et quidem immerito, *conc.*; catholica, *neg.* Quid enim mirati non sunt Protestantes? Porro Catholici mirari non potuerunt, a Tridentina Synodo vocem consecratam fuisse omnium jam sermone tritam ac novatorum errori confodiendo aptissimam, quæque rem significat biblicis ac traditionalibus documentis firmatam (5).

112. Ad 6^m, *Neg.* Sæpius enim jam animadvertimus, ecclesiasticam hierarchiam seu potestatem ad res divinas atque cœlestes, civilem vero ad humanas referri atque terrenas; nihil proinde esse civili reipublicæ formidandum ab ecclesiastica hierarchia, nec ullam fore perturbationem, si suis quæque finibus contineatur. Jam vero exploratum est, summa divini Numinis providentia duobus maxime præsiidiis instructam esse humani generis societa-

Ecclesiæ, atque diversam rationem patefacit, quam illi tenent in regimine civili et ecclesiastico.

(1) *De Sacerdotio*, lib. III, cap. 15, vocans episcopatum *δουράμιον*, edit. Maur. opp. tom. 1, pag. 393.

(2) Euseb. *Hist. eccl.* lib. x, cap. 4, in *Orat. panegyrica de ædificatione ecclesiarum*, edit. Cantabrig. 1720, pag. 479; Chrysostomus loc. cit.

(3) Tertull. lib. *De jejun. advers. Psychicos*, cap. 14, Episcopos vocat *præpositos*; item Cyprianus, *Epistolis* IV, x, xxi, et alibi passim; et *Epist.* LV Episcopatum nominat *sacerdotium princeps*; S. Hilarius. *Comment. in Matth.* cap. 27, eos nuncupat *populi princi-*

pes. Alia plura ejusmodi testimonia cfr. apud Hallierium, op. cit. *De hierarchia ecclesiastica*, lib. IV, cap. 3, nec non apud Binghamum, *Origines sive antiquitates ecclesiasticæ*, lib. II, cap. 2, et apud Mamachium, *Originum et antiquit. christian.* lib. IV, cap. 4.

(4) Lib. II, *In epist. ad Rom.* opp. edit. Paris. 1582, part. II, pag. 304. De quo *Commentario in epist. ad Rom.* cfr. Huetius, in *Origenianis*, lib. III, sect. 2, § 8.

(5) Adversus Sarpium cfr. Card. Pallavicini, *Istoria del Concilio di Trento*, lib. XXI, cap. 13, § 14 et seq.

tam ad felicitatem consequendam, quorum alterum ad divina ministeria, alterum ad civilem reipublicæ statum pertinet, ita ut ex utriusque conspiratione et concordia omnis res christiana atque civilis augeat et floreat (1).

113. Obj. secunda. 1^o Si ecclesiastica hierarchia divina ordinatione constituta fuisset et apostolica traditione declarata, certa et determinata esse deberet ecclesiastici regiminis forma; attamen magna adhuc viget inter Catholicos ipsos ea de re concertatio. 2^o Tridentini in eo canone nullam mentionem injiciunt Rom. Pontificis, nec Patriarcharum, Archiepiscoporum, Archipresbyterorum, parochorum, aliorumque ejusmodi dignitate pollentium, quos tamen Catholicos in ecclesiasticam hierarchiam inserendos esse contendunt. Ergo.

114. Resp. Ad 1^m, Viget inter Catholicos controversia circa peculiarem regiminis formam, *trans.* (2); circa regimen ipsum, ejusque originem et subjectum, *neg.* Catholicos omnes adversus novatores plane consentiunt, Christum instituisse ecclesiasticam hierarchiam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris; Christum præterea his solis potestatem seu auctoritatem contulisse regendi et gubernandi Ecclesiam suam. Dogma propterea sartum tectumque est. Ipsorum concertationes attingunt tantum determinatam regiminis hujus formam, utrum scilicet ea sit pure monarchica, ut Card. Ursius cum aliis contendit (3); an vero sit præterea aristocratia permixta, ut Natali Alexandro cum suis magis arridet (4); an denique aristocratia et democratia tem-

(1) Apposite Ivo Carnotensis, *Epist.* 240, ad Paschalem II, scribit: *Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia.* *Epist. Ivo-nis Carnot.* Paris. 1585, pag. 200, b.

(2) Quod intelligi debet de peculiari regiminis *monarchici* forma; nam quod monarchicum regimen a Christo in Ecclesia institutum sit, in controversiam venire non potest, atque ut loquitur Duvallius, in op. *De suprema*

Rom. Pontificis in Ecclesia potestate, Paris. 1614. part. 1, q. 2, pag. 108, id affirmant doctores omnes. Nosque postea ostendemus.

(3) Dissert. *Qua ecclesiasticæ monarchiæ forma seu ratio explicatur*, in op. *De Rom. Pontificis in Synodos œcumenicas et earum canones potestate*, Romæ 1740, part. II, lib. VII, pag. 559 et seqq.

(4) Diss. IV, in *Hist. eccl. sec. XV et XVI*, § 5.

perata, ut Bellarmino et Gretzero placet, propterea quod fidelis quilibet per inferiores Ecclesiæ gradus potest ad summum potestatis apicem pervenire (1). Jam vero ejusmodi concertationes rem ipsam non attingunt. Nec minores forsitan vigent in ipsa civili republica circa peculiare uniuscujusque magistratus attributiones, privilegia, præeminentias, quin propterea in dubium revocetur potestas civilis. Idem dic de acerrimis controversiis, quæ circa jus in sacra, ut ipsi loquuntur, inter Protestantibus adhuc agitantur (2).

(1) Bellarm. *De Rom. Pontifice*, lib. 1, cap. 3; Gretzerus, in *Defensione tertiæ controversiæ Bellarmini de Rom. Pontifice*, opp. edit. Ratisbon. 1737, tom. 1x, cap. 3. Videri possent primo intuitu Bellarminus et Gretzerus minus tribuisse monarchicæ formæ, quam tribuerit Nat. Alexander, siquidem illi non solum monarchiam aristocratiam, sed præterea democratiam temporariam admiserunt. Ast si res penitus introspectiatur, rem longe aliter se habere patebit. Etenim Bellarminus et Gretzerus eo sensu affirmant, ita temperatam monarchiam optimam esse in his terris regiminis formam, quatenus in ea habetur summus aliquis Princeps, qui et omnibus imperet et nulli subiciatur, Principes tamen in ea inveniantur, qui non sint vicarii regis, sive annui iudices, sed veri Principes, qui et imperio Principis summi obediunt, et interim provinciam vel civitatem suam non tanquam alienam, sed ut propriam moderentur ac regant; quatenus demum in ea nec Princeps summus neque Principes subjecti hæreditaria successione dignitates illas acquirant, sed ex universo populo optimi quique ad eas

evehantur. Hinc patet, monarchicum ejusmodi regimen temperatum esse tum aristocratiam sub priori respectu, tum democratiam sub posteriori. Deinde ostendunt, tale esse regimen Ecclesiæ, in qua vera est monarchia per summum Pontificem, aristocratiam per Episcopos, qui veri Principes sunt et pastores, non autem vicarii summi Pontificis; adest denique democratiam, cum nemo sit ex omni christiana multitudine, qui ad episcopatum, imo et ad summum Pontificatum apicem evehere non possit. Contra vero Nat. Alexander, diss. cit. nititur ostendere adversus Bellarminum et auctorem anonymum (Anton. Charlas), eo sensu permixtum aristocratiam esse regimen monarchicum Ecclesiæ, quod suprema potestas sit auctoritas Conciliorum, non autem Rom. Pontificis, qui illis subicitur in sententia theologorum gallicanorum. Hanc sententiam suo loco expendemus. Interim hic obiter observo, argumenta omnia, quæ profert Nat. Alexander, diss. 1v, in sec. 1, § 2, ad adstruendum monarchicum Ecclesiæ regimen, si quid evincunt, evincere pariter monarchiam puram.

(2) Fuscus has concertationes exponit Wegscheider, § 187.

115. Ad 2^m, *Dist.* Quia propositum Tridentinis fuit eos gradus recensere, qui ex divina ordinatione jurisdictionis fundamentum ac basim constituunt, *conc.*; ad reliquorum exclusionem, *neg.* Etenim soli recensiti gradus sunt, qui ex divina institutione vim tribuunt exercendæ potestatis in Ecclesiam. Patriarcharum porro, Archiepiscoporum aliorumque præsidum dignitates et officia omnium consensu ab ecclesiastica tantum institutione dimanant, et divinæ illi ordinationi innituntur. Quamvis autem Romani Pontificis primatus divinitus institutus sit, Ordinem tamen minime constituit; quare patres Tridentini de eo in cit. canone nullam mentionem fecerunt, quia mens ipsis fuit eos tantum gradus commemorare, qui peculiari ritu divinitus instituto conferuntur (1).

ARTICULUS III.

De mutuo inter Ecclesiæ animam et corpus commercio.

116. Cum ex hactenus constitutis ac vindicatis, constet Ecclesiam veluti humanum individuum, aut etiam ad instar quodammodo Christi ipsius fuisse institutam, ut ejus personam jugiter in terris visibilem referret, anima proinde et corpore præditam, sequitur, mutuum debere intercedere commercium inter ejusdem animam et corpus, ex quo vita pendet et actio.

117. Nec enim Ecclesia instar cadaveris est sine vita ac sine motu, sed viva est et operans. Atque ut presse analogiam prosequamur, quemadmodum ad vitam constituendam præter ani-

(1) Præter auctores citt. cfr. de hoc argumento etiam Petrus de Marca in dissert. *De discrimine clericorum et laicorum ex jure divino, et de forma regiminis a Christo instituta*, quæ reperitur in collectione, cui tit. *Opuscula Petri de Marca* archiep. Parisiens. vol. 1, in 8, pag. 72 et seqq. Paris. 1681; item Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, toto

lib. 1; Mamachius, op. cit. lib. iv, cap. 3, *De forma et ratione gubernandæ Ecclesiæ*; præcipue vero Zaccarias, in *Antifebronio vindicato*, Cesenæ 1771, part. 1, diss. 2, *De forma regiminis ecclesiastici a Christo Domino instituta*, pag. 181 et seqq. præsertim cap. 2.; nec non Moehler, *Symbolique*, tom. 11, cap. 5, § 43, *De la hiérarchie*, pag. 81 et seqq.

mam et corpus requiritur nexus inter utrumque, vi cujus commercium illud mutuam exurgit, quo anima in corpus, corpus vero in animam agat; sic etiam in Ecclesia, ut viva dici possit et sit, seu corpus vivum, necesse est, ut suo modo hoc intercedat commercium, quo ejusdem Ecclesiæ anima in corpus et corpus in animam vim exerat suam. Insuper ad eum modum, quo in humano individuo semine creto prius evolvitur ac se prodit corpus, deinde animus, qui per corporis operationes innotescit, sic Ecclesia incipit a generatione, quæ ei obtingit per Baptismum, ac si sermo sit de adultis, per verbum Dei et per Baptismum, quo quis cooptatur in membrum Ecclesiæ, donec per virtutum theologiarum exercitium anima, qua vivum ille membrum effectus est, se manifestat exterius. Demum quemadmodum corpus extrinsecus alimentis perceptis nutritur, et animus verbo seu institutione informatur, ita Ecclesia verbo Dei reliquisque subsidiis exterioribus alitur, quæ totidem gratiæ ac sanctitatis vehicula sunt, ac animam penetrant vivificantque. Interiorem porro hanc vitam seu sanctitatem, qua suo modo informatur, Ecclesia exterius patefacit sive per sanctas operationes, sive etiam per supernaturalia dona atque charismata, quibus a Deo honestatur (1).

(1) Præclare Dr. Moehler, in *Symbolica*, cap. 5, § 48, discrimen detegit, quod interponitur inter doctrinam protestantium et doctrinam catholicam circa originem corporis et animæ Ecclesiæ, plane inter se contrarias. *Les catholiques*, inquit, *enseignent : L'Église visible existe d'abord, puis vient l'Église invisible, c'est la première qui forme la seconde. Les Luthériens disent, au contraire : l'Église visible sort de l'invisible; la seconde est le fondement de la première.* Id est, juxta Catholicos ex corpore Ecclesiæ provenit anima; juxta protestantes ex anima provenit corpus. Pergit porro eximius auctor : *Cette contrariété si petite au pre-*

mier coup d'œil, implique une énorme différence. Quand l'Évangile vint éclairer le monde, le royaume de Dieu n'existait qu'en Jésus-Christ et dans l'idée divine. Ce furent les Apôtres qui les premiers reçurent la nouvelle de ce royaume; mais elle leur fut annoncée par la parole externe, par le langage humain; elle passa du dehors dans leur intelligence. Lorsque le Fils de Dieu fait homme eut formé les Apôtres, il leur donna la mission extérieure de semer au loin la doctrine du salut. Alors on voit les ouvriers évangéliques traversant des contrées où régnait non pas le souverain Dominateur, mais le prince des ténèbres.

118. Cum ex hoc mutuo commercio, ut diximus, vita efflorescat, efflorescit et unitas, quemadmodum unitas personæ seu individui in supposito humano ac vita ex animæ et corporis mutuo commercio profluunt. Valde propterea interest, mutuuum ejusmodi inter animam et corpus Ecclesiæ commercium adstruere ob gravissima, quæ exinde pendent corollaria, de quibus a nobis paulo post agendum erit. Sit igitur

PROPOSITIO.

Mutuuum existit inter animam et corpus Ecclesiæ a Christo institutæ commercium, quo ipsam supernaturali modo jugiter vivere et agere certissime deprehenditur.

119. Ideo in propositione enuncianda adjecimus verba illa *supernaturali modo*, id est, divino, quia contendimus, non vitam qualemcumque Ecclesiæ vindicare, sed eam, quæ ex intima ejus conjunctione cum Christo exurgit, quam *jugem* præterea esse adstruimus.

120. Cum porro ex dictis ad ejusmodi commercium constituendum duo concurrant, aliud ex corpore in animam, aliud ex anima in corpus, ob mutuam actionem ac reactionem utriusque, seu quam exercent ad invicem; ad illud constituendum duo a

Instruments du Christ qui agissait en eux, ils apportèrent l'image de l'homme céleste dans des cœurs qui jusque-là n'avaient reflété que celle de l'homme terrestre. Or de même qu'ils avaient été envoyés par le Sauveur, à leur tour ils envoyèrent des disciples qui portèrent plus loin la divine parole, et c'est ainsi que, dans tous les siècles, de l'Eglise visible a découlé l'invisible. Telle est aussi la marche qui entraînait l'idée de la révélation chrétienne: institution positive et permanente, enseignement déterminé dans ses dogmes et ses précep-

tes, elle nécessitait un ministère vivant et parlant, auquel pussent se rattacher ceux qui désiraient la connaître. Quod deinde latius prosequitur, exponens contrarium principium protestantium, cujus absurditatem patefacit. Quum vero dicitur ex Ecclesia visibili efformari Ecclesiam invisibilem, intelligi debet, prout illa instrumentum et organum est quo Deus utitur ad communicandam gratiam sanctificantem habitusque virtutum; siquidem semper ipse prior est ad tangendum cor per gratiam *actualem*.

nobis præstanda sunt, evincendum scilicet, et corpus Ecclesiæ agere in animam, et animam vicissim in corpus et per corpus ejusdem Ecclesiæ agere.

121. Et primum quidem vix probatione indiget, cum et Protestantes ipsi fateantur, per Dei verbum seu prædicationem Evangelii atque per Sacramenta gigni in nobis sanctitatem, ac per Baptismum in specie nos cooptari in Ecclesiæ corpus. Si qua controversia viget, hæc tota versatur circa modum, quo Sacramenta hunc effectum producant, utrum scilicet per se et immediate, ut contendunt Catholici, an vero mediante fide, ut autumant Protestantes (1).

122. Superest igitur evincere, quod anima agat in corpus, ita ut exterius se prodat interior sanctitas tum per pia opera, tum etiam per extraordinaria illa dona, quibus Deus consuevit insignem nonnullorum Ecclesiæ membrorum sanctitatem exornare ac veluti sigillo obsignare.

123. Jam vero interiorem fidem patefieri per externam professionem et cultum exteriorem, qui Deo exhibetur, nemo est qui ambigat. Idipsum dicatur de spe, cujus vi fit, ut culparum remissionem a Deo petamus atque expectemus, preces ad eum fundamus, ut media idonea obtineamus, quibus in officio perstemus, expugnemus salutis nostræ adversarios, ardua aggrediamur ad salutem nobis comparandam. Denique patefacimus charitatem tum in exequendis Dei mandatis, juxta illud Christi effatum: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligitur a Patre meo; et ego diligam eum* (2); tum etiam per actus dilectionis, in quos erumpimus; tum demum in exercendis charitatis operibus et misericordiæ in proximum; quod et de virtutibus reliquis exinde prodeuntibus aut illas comitantibus ob eandem rationem intelligi debet.

124. Cum autem exteriores ejusmodi actus, ac propterea exterior ipsa sanctitas, sive spectes principium, ex quo dimanant, sive motivum, quo quis ad eos moliendos permovetur, sive demum

(1) Cfr. tract. *De Sacrament. in genere*, cap. 2, n. 43 et seqq.

(2) Joan. XIV, 21.

modum, quo perficiuntur (ob defectus nimirum, quibus sæpe homines obnoxii sunt), incertum de singulis saltem individuis sit aut esse queat, utrum ex principio supernaturali gratiæ aut ex naturali affectione, utrum ex recto vel pravo fine, utrum ex intenso vel remisso animo procedant, fit ut nobis certo saltem et absque omni deceptionis formidine, de interiori animi conditione eorum, qui sanctitatem exterius profitentur, satis constare non possit. Huc accedit, quod nulla ferme sit secta, seu ut vocant, particularis communio, quæ veram sanctitatem, ac proinde *vitam* sibi non vindicet, atque in alia quavis ab ea separata inesse non deneget (1). Deinde et illud addendum, quod nulla secta sit, quæ suam non jactet morum probitatem et integritatem præ reliquis quibuscumque. Quæ cum ita se habeant, ne in re tanti momenti in ambiguo versaremur, Deus certo testimonio Ecclesiam

(1) Saltem ita senserunt non ita pridem sectæ omnes, ut suo loco expendimus, quæ professæ sunt intolerantiam religiosam. Etenim præter ea, quæ attulimus in tract. *De vera relig.* part. II, prop. XII, n. 294, cum notis adnexis, Anglic. Palmer in op. cit. *Tractatus Ecclesiæ Christi*, edit. 2 Lond. 1839, sect. 3, quæ est *De salute solum in Ecclesia*, non modo ipse eandem doctrinam profitetur, sed insuper ostendit, adhuc eandem profiteri independentes, Quakeros, et ecclesias britannicas, quæ in synodo Londinensi an. 1592, art. 18, anathema dixerunt contrariæ sententiæ; confirmat testimoniis Pearsonii, Beveridge, Wilsonii, etc. Verum juverit verba afferre recentioris protestantis, nempe D. Pilet-Joly ministri Genevensis, qui in opusculo, cui tit. *Facilité, certitude, raison en matière de foi*, 1839, adhortatur Catholicos, ut *ingrediantur viam salutis*, quæ juxta ipsum alia non

est præter eam, quam præbet protestantismus. Cum enim in eo opusc. hanc proposuisset quæstionem: *Que faut-il que je fasse pour être sauvé?* Contendit, neminem posse tuto acquiescere, donec invenerit idoneam ejus solutionem; tandem concludit, pag. 75: *O vous, mon cher frère catholique romain, qui lisez ces lignes, venez et voyez... Vous le voyez, sous peine d'être plus ou moins hypocrite, il faut que vous soyez plus ou moins protestant. Mais trouverez-vous la paix dans cet état ambigu? Votre âme est-elle tranquille? Pensez-vous que le Seigneur admettra un compromis entre le mensonge et la vérité?... Le salut d'un tel homme serait une prime de félicité en faveur de l'hypocrisie*, etc. Sed cfr. quæ adversus hoc opusculum præclare scripsit D. Baudry, in op. *Gémissemens d'un cœur catholique sur les préjugés d'un ministre de Genève*, Lyon 1840.

suam communire voluit, ut tuto secerneretur ab illis sectis omnibus, quæ perperam Ecclesiæ sibi nomen usurpant, ac nomen quidem habent, quod vivant; reipsa tamen mortuæ sunt.

125. Consistit autem hoc testimonium potissime in jugi ac perpetua illa charismatum affluentia, quam Christus pollicitus est Ecclesiæ suæ, quamque in ea jugiter perseveraturam usque ad seculi consummationem spondit; consistit item in mira fecunditate, quam pariter jugem eidem Ecclesiæ suæ promisit.

126. Porro charismatum affluentiam Ecclesiæ suæ pollicitum esse Christum evincunt, quæ leguntur Joan. XIV, 12, ubi ait Christus: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado* (1), loquitur autem de miraculis; item quæ leguntur Marc. XVI, 17 et 18: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Item I ad Cor. XII, 6 et seqq. Apostolus: *Divisiones, inquit, operationum sunt; idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ... alii sermo scientiæ... alteri fides... alii gratia curationum... alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Quibus verbis complexus est Apostolus varia charismatum dona, quibus juxta Christi pollicitationes sua ætate abundabat Ecclesia. Jam vero Christi verba dicta sunt iis, quibus se affuturum Christus promisit usque ad consummationem seculi, seu societati a se institutæ, et indefinita sunt, scilicet ad nullum determinatum tempus coarctantur. Imo cum ex Apostolo signa data sint infidelibus non autem fidelibus (2), pronum est inferre, tamdiu perseveratura esse

(1) Cfr. in hunc loc. Cornel. a Lapide.

(2) I ad Cor. XIV, 22. Quamvis hic Apostolus non agat in specie nisi de

dono linguarum, attamen, ut patet, eadem ratio viget pro ceteris donis extraordinariis.

extraordinaria hæc Dei dona, quamdiu infideles fuerint ad Christum per Ecclesiam convertendi. Cum vero plenitudo gentium, ut idem loquitur Apostolus (1), nonnisi sub mundi finem ingresura sit in Ecclesiam, patet, usque ad mundi finem illa debere in Ecclesia perdurare.

127. Atque hic jam attingimus alterum vitæ testimonium, quod Christus Ecclesiæ suæ præbere voluit, nempe miram fœcunditatem. Evidens enim est, quod si Ecclesia novos semper gignit Christo filios, imo populos ac gentes, eas revocando de infidelitatis et errorum tenebris in admirabile Evangelii lumen, vita ac vigore prædita sit necesse est. Porro Christum ejusmodi tribuisse sponsæ suæ fœcunditatem nunquam defuturam, aperte ostendunt ejus verba, quibus Apostolis mandavit prædicare Evangelium omni creaturæ, ac docere et baptizare omnes gentes (2). Quamdiu propterea remanent gentes convertendæ aut revocandæ ad Christum, tandiu permanet et objectum missionis et fœcunditatis in Ecclesia. Gentes vero omnes tandem aliquando fore ad Christum convertendas, clarissima et veterum prophetarum et Christi ipsius repetita vaticinia prænunciant. Omissis enim quæ passim in psalmis leguntur de futura gentium omnium conversione, Isaias, cap. LIVI, 1, sic alloquitur Ecclesiam: *Lauda sterilis, quæ non parit; decanta laudem et hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit.* Quæ verba de Ecclesia Christi ex gentibus colligenda exponit Apostolus, Galat. IV, 27. Sic alibi passim celebrat idem Propheta Ecclesiæ triumphos (3). Christus autem, Matt. VIII, 11, prænunciat, quod *multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cælorum*, et quod suum Evangelium prædicandum esset

(1) Rom. XI, 25.

(3) Cap. LXV; I et seqq. cap. XLIX,

(2) Ps. II, 8; XXI, 28; LXX, II; cap. XI et seqq., etc.

LXXXV, 9; CXVI, I, etc.

in universo mundo (1). Demum Apostolus loquitur de plenitudine gentium ad Christum convertenda (2).

128. Si igitur charismatum affluentia, quibus Ecclesiam suam cumulare Christus promisit, si fœcunditas perennis in gentibus Christo procreandis, qua divinitus Ecclesia prædita est, argumento ineluctabili sunt eamdem vivere vita supernaturali atque divina per intimam ejusdem cum Christo unionem, patet, inter animam et corpus Ecclesiæ illud intercedere mutuum, quod enunciavimus, commercium, quo jugiter eam vivere supernaturali modo et agere certissime deprehenditur.

129. Ex hac sic constituta thesi non solum intelligimus sensum Christi verborum quibus hæc vita Ecclesiæ declaratur, verum etiam germanum, sensum assequimur loquendi usus, quem interdum Patres adhibuerunt. Sane Christus ita Apostolos suos alloquitur: *Vos autem videtis me, quia ego vivo et vos vivetis; in illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me et ego in vobis... Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (3). Quo sensu scribebat Apostolus: *Spiritus vivit propter justificationem... si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (4). Qui propterea de se ipso loquens, ait: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (5). Ut alia pene innumera præteream, quibus plena sunt sacra eloquia. Huc pariter referuntur, quæ Patres unanimiter scribunt, præsertim vero S. Augustinus, quod ii, qui sunt extra corpus Christi, non vivificantur a spiritu Christi: *Vis ergo, inquit, et tu vivere de spiritu Christi? In corpore esto Christi... Non potest vivere corpus Christi, nisi de spiritu Christi* (6).

(1) Matth. xxvi, 13; Marc. xiv, 9.

(2) Rom. loc. cit.

(3) Joan. xiv, 20-23.

(4) Rom. viii, 11-14.

(5) Galat. ii, 20.

(6) Tract. xxxvi, in Joan. n. 13.

Ex his clarius intelliguntur, quæ superius explanavimus, S. Doctoris dicta, quibus affirmat, peccatores esse quidem in corpore Ecclesiæ, non autem de

DIFFICULTATES.

130. Obj. prima. 1^o Argumentum, quod ex mutua animæ et corporis Ecclesiæ communicatione ducitur, vagum est et nullius frugis. 2^o Nulla siquidem secta est, quæ membra virtutibus præstantia non jactet, seque propterea vita frui supernaturali, quæ exurgat ex intima cum Christo communicatione. 3^o Si vero de fide in specie sit sermo, unaquæque se veram fidem, ceteris communionibus exclusis, profiteri contendit. 4^o Ceterum virtutes ac sanctitas res sunt relativæ, de quibus unusquisque judicat, prout affectus est, seu animo comparatus; hinc opera pœnalia, virginitas, cœlibatus, quæ in summo pretio habentur apud Catholicos, abominabiles sunt apud Protestantes; idem dic de pluribus aliis. Ergo.

131. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Ex intima siquidem rei natura illud argumentum petitur; quodlibet enim individuum ex anima et corpore constans vi illius commercii vivat necesse est. Quod autem de individuo physico dicitur, per analogiam individuo morali aptari potest ac debet. Sane cum Ecclesia per modum corporis viventis a Christo instituta sit, cujus sanctitas ingeneratur per gratiam, quam Christus in eam tanquam caput in membra et vitis in palmites jugiter influit, melius cognosci nequit, utrum eam vitam habeat seu jugem hunc influxum, quam ex ejus externis operationibus. Si istæ tales sint, ut nonnisi gratiæ sanctificanti tribui possint, necessario constat de ejusmodi vita.

132. Ad 2^m, *Dist.* Nulla secta est, quæ membra non jactet præstantia virtutibus politicis et appellativis, *conc.*; virtutibus divinis, profluentibus nempe ex consortio divinæ naturæ, *neg.*

ejus corpore; illos non pertinere ad unicam columbam castam, simplicem, pudicam, etc. Quia peccatores sunt in Ecclesia visibili, sed non sunt de Ecclesiæ corpore, quatenus non sunt membra viva, seu vivificata a Christo, ex quibus componitur corpus vivum ejusdem Ecclesiæ, sed solum membra mor-

tua corporis vivi. Non autem significat, peccatores absolute non esse in corpore Christi, ut patet etiam ex verbis, quæ immediate subdit post ea, quæ adduximus ex tract. in Joan. *Non abhorreat a compage membrorum, non sit putre membrum, quod resecari mereatur... sit pulchrum, sit sanum, etc.*

Nulla profecto secta reperietur, quæ aliquot saltem ex suis membris virtute præstantia non jactet; at aliud est loqui de virtute naturali, externa, politica, quam non inficiamur in singulis communionibus reperiri posse, aliud vero de virtute ex gratia sanctificante et charitate profecta, quæ in membris tantum per Christum sanctificatis inesse potest. Hæc autem reperiri nequit nisi in eo corpore seu societate, cum qua Christus in intima sit communione. Talem autem esse illam societatem, cum qua idem Christus se esse per extraordinaria dona manifestat, nemo sanus inficias iverit. Excipiendi tamen illi sunt, qui, ut aiunt, bona fide in aliqua secta versantur, quos spiritu saltem ad Ecclesiam pertinere ostendimus.

133. Ad 3^m, *Dist.* Quælibet secta veram se fidem profiteri contendit absque ullo fundamento, ac propriæ persuasioni tantum innixa, *conc.*; reipsa profitetur, *neg.* Nam hoc ipso quod sectæ, inter se perpetuo discrepantes, sibi persuadeant, se unice veram tenere fidem, quæ non nisi una esse potest, aperte ostendunt, fallacem necessario esse hanc suam persuasionem. Nulla secta præ alia sibi de hac possessione blandiri potest. Omnes siquidem, rejecta legitima auctoritate, privatum sensum illi suffecerunt ad veram fidem a falsa discernendam; privatus autem sensus in sectis omnibus nullius ponderis est. Exinde enim fluctuatio illa opinionum profluxit; exinde item feracissimum germen illud tolerantia, ut vocant, religiosæ sponte sua pullulavit (1), cum quo vera fides consistere nequit.

134. Ad 4^m, *Neg.* Soli enim epicurei et increduli affirmare possunt virtutem et sanctitatem relativam esse. Quod si Protestantibus non sapiunt opera pœnalia, virginitas ac cœlibatus, a

(1) Hæc *tolerantia*, scribit Wegscheider, § 186, quæ dicitur recentioris ævi progenies nobilis; atque in nota (d) ad id confirmandum profert verba Rousseau in ejus epistolis de tolerantia: *La religion protestante est tolérante par principe; elle est tolérante essentiellement; elle l'est au-*

tant qu'il est possible de l'être; puisque le seul dogme qu'elle ne tolère pas, est celui de l'intolérance. Verum hæc intelligi debent de tolerantia speculativa; siquidem in praxi nulli fere sunt intolerantiores Protestantibus, præsertim erga Catholicos.

quibus propterea abhorrent, id fit, quia, dum ipsi, ut fucum faciant incautis, profitentur, se tantummodo inhærere sacris Literis, quas unicum controversiarum iudicem proclamant, non Evangelio, sed sibi solis credunt (1). Quoties propterea Evangelium aliquid commendat, quod ipsis non arrideat, Evangelium eludunt ac mire detorquent, ne quid ex eo incommodi capiant.

135. Obj. secunda. 1° Plane ridendos se præbent, qui in tanta, in qua versamur, scientiarum luce adhuc comminiscuntur extraordinaria dona, prophetias, miracula, ac si superis placet, exstases, raptus, ut nobis suadeant, imo et persuadeant in Christi Ecclesia adhuc vigere supernaturalia charismata, quibus manifesta fiat mutua communicatio inter divinum humanumque elementum. 2° Ut enim omittamus, donorum illorum affluentiam coarctari a Patribus, nominatim vero a SS. Augustino (2) et Gregorio M. ad Ecclesiæ initia, quando fides erat miraculis nutrienda (3); 3° exploratum est, nunc passim recipi a sapientibus viris systema mythicæ expositionis quoad omnia illa veteris ac novi testamenti loca, quæ immediatam Dei actionem præ se ferre videntur. 4° Sane præeunte Heyne, Eichornius, Paulusius, aliique non pauci Protestantes, utriusque fœderis *lectiunculas* (4), in quibus referuntur Dei manifestationes, miracula, aliaque ejusmodi mira et extraordinaria eventa, exegerunt ad ethnicorum mythos, ut sic fundum historicum veste seu apparatu mythico expoliarent, aperirentque, quod sub illo symbolico velo tegebatur (5). 5° Deinde quem latet, et a vetustioribus hæreticis et ab ipsis Protestantibus miracula, imo et vaticinia, visiones prætendi, ac proferri ut argumentum ineluctabile divini in propriam sectam favoris? Celebres inter ceteras sunt visiones lutherani Swedenborgii. 6° Denique et illud exploratum est

(1) Quid enim clarius in Scripturis traditur quam consilium cœlibatus ac paupertatis voluntariæ, necessitas item bonorum operum ad salutem, necessitas pœnitentiæ? Sed quia hæc Protestantibus non arrident, ea in Scripturis non inveniunt.

(2) In lib. *De vera religione*, c. 25, n. 47.

(3) *Hom. xxiix in Evangelia*.

(4) *Legendas* vocant.

(5) Apud Strauss, *Vie de Jésus-Christ*, tom. 1, prem. part. *Introduction*, § 5 et seqq.

apud ipsos Catholicos, miracula ac dona extraordinaria argumentum minime esse interioris sanctitatis, cum et ab impiis patrari possint. Ergo.

136. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Si illi, qui hæc proferunt, firmissimis documentis non inniterentur, *conc.*; si validis ac firmis documentis innitantur, *neg.* Rident profecto increduli ac hæretici, dum talia audiunt, et cachinnis etiam excipiunt; ast rident, ut insani ridere solent ea, quæ non percipiunt. Aliud porro est contemnere, ut passim faciunt adversarii nostri, aliud vero ad rigidum examen revocare, quæ proferuntur, quod tamen ipsi constanter negligunt. Excæcati ut sunt, ac propria scientia, quam buccinant, inflati, dedignantur illa expendere; quod si facerent, nullus dubito, quin ab ejusmodi risu se reciperent, præsertim si, ut decet, in negotio adeo gravi veritatis amore id præstarent ac animo anticipatis judiciis vacuo.

137. Ad 2^m, *Dist.* Patres donorum illorum affluentiam coarctant ad Ecclesiæ primordia *relative, conc.*; *absolute, neg.* Nempe S. Augustinus, S. Gregorius M. ac Patres reliqui quoad universalitatem et multitudinem fidelium affirmant cessasse illa charismata, quæ olim communia erant in Ecclesia (1). Hoc enim

(1) Sane S. Augustinus, quæ in objecto loco ex lib. *De vera relig.* scripserat, nempe: *Cum Ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, et eorum consuetudine frigeret genus humanum, quorum novitate flagruit, hæc, inquam sic temperat, lib. 1, Retract. cap. 13, n. 7: Sed non sic accipiendum est quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse, quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora Martyrum in eadem civitate cæcum illuminatum*

fuisse jam noveram, et alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea, quæ cognoscimus, enumerare possimus. Sic etiam S. Greg. M. ea, quæ scripserat in *Hom. xxix in Evang.*, exponit lib. xxvii, *In Job. cap. 18, n. 36, edit. Maur. Tunc quippe sancta Ecclesia miraculorum adiutoriis indiguit, cum contribulatio persecutionis pressit. Nam postquam superbiam infidelitatis edomuit, non jam virtutum signa, sed sola merita operum requirit; quamvis et illa per multos, cum opportunitas exigit, ostendat.* Et n. 37: *Quid est ergo mirum, inquit, si propagata fide, crebro mi-*

commune donum non erat amplius necessarium post sufficientem Evangelii promulgationem. Nunquam vero affirmarunt, cessasse omnino in Ecclesia charismata illa, quæ ipsimet in Sanctis celebrarunt, atque spectarunt ut peculium solius veræ Christi Ecclesiæ proprium (1) ejusque præcipuum ornamentum.

138. Ad 3^m, *Dist.* Id est, apud incredulos sub larvato Christianorum nomine, *conc.*; apud vere Christianos, *neg.* Diffiteri non possumus, ejusmodi systema perinde ac rationalismum, quibus funditus christiana Religio evertitur, esse fructum naturalem protestantismi (2). Exurgit enim tam systema mythicum quam rationalismus ex posito fundamento protestantismi, quod est libertas examinis et interpretationis individualis Bibliorum. Hic erat rerum exitus expectandus, cum et causa suos effectus et arbor fructus suos emittere debeat. Ceterum ejusmodi systema mythicæ interpretationis et in se absurdum est, et incredulitatem prodit eorum, qui illud invexerunt, ut ex mox dicendis clarius patebit.

racula non fiunt? Hinc videmus, ntrumque plura miracula sua ætate patrata referre.

(1) Patres reipsa passim affirmant, ab hæreticis, seu apud hæreticos nulla fieri miracula. Unius vel alterius verba afferre sat erit. S. Irenæus, lib. II, cap. 31, n. 3, edit. Mass. loquens de hæreticis, ait: *Nec enim cæcis possunt donare visum, neque surdis auditum... neque debiles aut claudos aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos... Tantum autem absunt, ut mortuum excitent.* Sic S. Augustinus, *Cont. Faustum manich.* lib. XIII, cap. 15: *Miracula, inquit, non facitis.* Alia plura ejusmodi testimonia tibi exhibebit Judocus Coccius, in *Thesaurò catholico*, lib. VIII, *De signis Ecclesiæ*, art. 14.

(2) En verba Straussii, op. cit. *In-*

troduction, § 5, pag. 21 et seqq. *Lorsque, l'empire romain ayant été christianisé, et les grandes hérésies ayant été connues, le principe chrétien acquit une domination de plus en plus exclusive; lorsque les écoles de la sagesse païenne se fermèrent, et que des peuplades incultes de la Germanie se soumirent à l'instruction de l'Eglise, alors le monde, durant les longs siècles du moyen âge, vécut satisfait du christianisme tant pour la forme que pour le fond, et toute trace disparut de ces conceptions interprétatives qui supposent une rupture entre la civilisation du peuple et du monde, et de la religion. La réforme porta le premier coup à la prospérité de la croyance de l'Eglise; elle fut le premier signe d'existence d'une culture qui, comme cela s'était vu*

139. Ad 4^m, *Dist.* Falso principio ducti, *conc.*; jure ac merito, *neg.* Ideo enim Heyne, Eichornius, Paulusius, aliique ejusmodi homines in hanc sententiam venerunt, quod assumerent: 1^o Verum esse fundamentum historicum scriptorum ethnicorum, quum tamen constet, illos mythicas narrationes referre post plura secula a tempore, quo illa gesta supponuntur; dum, quæ historici hebræi et christiani supernaturalia referunt, eadem ætate, qua illi scripserunt, magna saltem ex parte contigerint, et eorum plerique testes oculati et pars gestorum fuerint (1). Quod assumerent, 2^o eandem esse rationem mythorum apud profanos scriptores et factorum supernaturalium apud scriptores sacros, cum tamen infinito, ut ita dicam, intervallo hæc ab invicem distent; mythus enim, cujus origo probabilius ab Ægyptiis sacerdotibus cœpit ac deinde ad alias gentes propagatus est (2), non fuit nisi involu-

jadis dans le paganisme et le judaïsme, avait désormais pris, au sein même du christianisme, assez de force et de consistance pour réagir contre le sol qui l'avait portée, c'est-à-dire, contre la religion reçue. Cette réaction, tournée d'abord seulement contre l'Eglise dominante, forma le drame noble mais rapidement terminé de la réforme; plus tard elle se dirigea vers les documens bibliques, et, se manifestant au début par les arides tentatives révolutionnaires du déisme, elle est arrivée jusqu'aux temps les plus modernes par des transformations variées. En opus protestantismi.

(1) Certe Moyses eorum, quæ refert in libris Exodi et Numerorum, testis extitit ocularis, imo et pars magna fuit; refert enim prodigia ingentia, quæ patrata sunt sive in Ægypto sive in deserto coram universo populo Ægyptiaco et Israelitico. Id ipsum dicatur, ut alios prætermittam, de Apostolis Mat-

thæo et Joanne, qui iis interfuerunt, quæ litteris consignarunt, iisque pariter tradiderunt, qui eorumdem gestorum spectatores fuerant. Jam vero quid commune est in his narrationibus cum iis, quæ ediderunt Sanchuniaton Ægyptius, Berosus Chaldæus, Diodorus Siculus, aliique ejusmodi, qui res referunt pluribus ante seculis gestas, quæque vere ad partem mythologicam historiarum suarum spectant?

(2) Opus non est longa discussione ad hoc evincendum, cum habeamus testem non suspectum, qui id non solum affirmat, sed contendit. Talis est Salvador in op. cit. *Jésus-Christ et sa doctrine*, tom. 1, ch. 2, *Etat des esprits et des croyances dans l'Orient et dans la Grèce*, cum notis respectivis. Cfr. etiam Rêone, *Des états du Nord*, tom. II, art. I, pag. 70 et seqq. Paris 1835; *Philosophie de la mythologie*, par M. Schelling.

crum ad tegendas res notissimas sub mysterii velo; contra vero facta illa, quæ referuntur a scriptoribus sacris, ordinata sunt ad revelandas ignotas veritates. Quod assumerent, 3^o aliquam intercedere necessitudinem et convenientiam inter mythos ethnicorum et facta supernaturalia, quæ a scriptoribus utriusque fœderis perhibentur; cum tamen mythi ex imaginationis æstu, quem constanter redolent, conficti, sub turpibus plerumque figuris et imaginibus absque scopo et nexu congesti fuerint, populosque ad pravos mores induxerint; contra vero facta supernaturalia absque apparatu et verborum ambage, cum omnibus ingenuitatis ac veritatis characteribus referuntur, ac veluti gesta sub illorum oculis, a quibus hæc commentaria sunt scripta, exhibentur; omnia simul arcte consociata sunt, atque caste sancteque ad unum conspirant, scilicet ut et Dei providentiam maximo in lumine ponant, et veri Numinis cultum, virtutis amorem, horroremque vitii ubique apud populos commendent persuadeantque. 4^o Demum, aliis prætermisissis, quod assumerent, gentes omnes suam habere epocham mythologicam, non exceptis Hebræis atque Christianis, cum tamen ex dictis et ex facto ipso certissime constet, neque Hebræos neque Christianos unquam ejusmodi epocham habuisse; illud enim inter origines ethnicas et sacras perpetuo interponitur discrimen, quod inter opus Dei et hominum inventa intercedit (1).

(1) Diversa, ut notum est, existant systemata eruditorum circa rationem explicandi antiquam mythologiam. Sunt qui adoptant explicationem Evehemeri, juxta quam mythologia non præ se fert nisi eventus historicos, quorum homines auctores fuerint, dii autem non fuerint nisi duces, nautæ, viri bellicosi. Hæc explicatio historica mythologiæ ab ejus auctore et defensore *Evehemeritica* dicta est. Hanc expositionem avidè arripuerunt epicurei, utpote quæ magis congrueret ipsorum systemati, quod nulla detur providentia, et omnia

casu ac fortuito eveniant. Hanc pariter magna saltem ex parte adsciverunt mythici recentiores, eamque applicant sacræ Scripturæ. Alii adoptant explicationem symbolicam, alii mixtam, eamque evolvit Krenzer cum suis modificationibus in sua *Symbolica*. Alii censent aut physicam aut ethicen sub mythis contineri. Alii alia ratione rem exponunt. Cfr. art. cit. nec non Natalis Comitis *Mythologiæ sive explicationum fabularum* lib. x, Venet. 1581; Montfaucon, *l'Antiquité expliquée*, Paris 1719, tom. 1, *Discours préli-*

140. Ad 5^m, *Dist.* Id est, supposuerunt interdum etiam hæretici miracula, *conc.*; vere habuerunt, *neg.* Invidentes hæretici huic Ecclesiæ decori, quod negare ipsi non potuerunt, nisi sunt miracula obtrudere; at cum consilium in irritum ceciderit, aliam viam iniverunt, contemnendo Ecclesiæ, a qua discesserunt, miracula, aliaque charismata quibus in Sanctis suis quovis tempore, ut postea ostendemus, vera Christi Ecclesia abundavit. Ad Protestantes præcipue quod spectat, si apud ipsos miracula ederentur, nunquam devenissent ad systema mythicum excogitandum; cum vero nihil unquam supernaturale apud illos eveniat, in eam plures ex illis prouere opinionem, qua omnia eliminarent miracula ex populo hebraico atque ex Evangelio. Illi vero, apud quos talia facta non semel contingunt, longe absunt ab absurda ac impia ejusmodi sententia. Quod si visiones lutherani Swedenborgii aliquam celebritatem nactæ sunt, potissime repeti id debet ab illa visione, in qua ipse exhibet parentem suum Lutherum detrusum ad inferos (1). Ceterum fanaticus hic vir, qui

minaire sur l'origine de l'idolâtrie, et sur les idées que les païens avaient de leurs divinités, § 4; Banier, *La mythologie et les fables expliquées par l'histoire*, Paris 1738. Quidquid porro sit, ex hac ipsa varietate opinionum et sententiarum patet, quam labile sit fundamentum mythicum, ut conferri possit cum narrationibus biblicis.

(1) Swedenborg enim natus est ex episcopo Sueco lutherano, et in ea secta enutritus; obiit autem an. 1772. Porro in op. cui tit. *Vera christiana religio, continens universam theologiam novæ Ecclesiæ, ab Emmanuele Swedenborg, Domini Jesu Christi servo*, Amstelod. 1771, pag. 481, hanc inter ceteras visionem refert. Vidit in quadam regione Lutherum audacem et superbia tumentem, qui congregabat discipulos suos, et collocabat

juxta se eos, qui majori zelo suam defenderant doctrinam. Lutherus modo dogmatico incessanter hæc verba ingeminabat: *Sola fides justificat.* Sed heu! astitit Angelus, qui ei declarat, ejusmodi doctrinam falsam esse, nec eum pervenire posse ad gloriæ regionem, quin illam deserat. Quibus verbis reformator velut a fulmine percussus est; diu recusat se subjicere; ast tandem incipit dubitare in corde suo. In alio vero itinere Swedenborg invenit Lutherum in tertia regione, quæ species est purgatorii, in qua datur opera conversioni impiorum, eorum scilicet, qui aliquo crimine aut errore inquinati sunt. Tunc Angelus dicit Swedenborgio, Lutherum videri sua commenta agnoscere, spemque effulgere eum revocandi in viam rectam. *Quapropter*, dicebat Lutherus, *non mi-*

denuo stupidum excitavit anthropomorphismum , negligendus omnino est (1).

141. Ad 6^m, *Dist.* Miracula aliaque extraordinaria dona non semper ineluctabile argumentum suppeditant sanctitatis, in nonnullis casibus peculiaribus, *trans.* vel *conc.*; cum hæc ordinaria sunt et permanentia, *neg.* Alioquin nullam pariter vim haberent ad divinam missionem Christi et Apostolorum evincendam, quod profecto adversarii non admittunt (2).

142. Obj. tertia. Saltem nullum colligi potest argumentum pro Ecclesiæ vita ex ejus fœcunditate. 1^o Alioquin enim peccatores, qui certe vivi non sunt, nullum fructum edere possent ex suis missionibus. 2^o Nullæ sectæ possent aliquo felici successu Evangelium infidelibus annunciare, cum tamen experientia contrarium evincat. 3^o Notum est illud Augustini effatum, quod Christus seu Ecclesia etiam per uterum ancillarum procreet sibi filios. Ergo.

ror, quod ego erraverim; sed miror, quod unus delirans tot deliros potuerit producere. Cfr. etiam Moëhler, *Symbolique* tom. II, p. 310 seq.

(1) Ita in op. *Les merveilles du ciel et de l'enfer*, par Emmanuël de Swedenborg, traduites du latin par A. J. P. Berlin, 1782, tom. I, n. 78 et seqq. ubi inter cetera scribit: *La Divinité fait le ciel, le ciel a la forme humaine, d'où l'on doit conclure que la Divinité a aussi la forme humaine; car l'humanité de Dieu est divinisée.* Et n. 81 et 82: *L'idée que chaque homme a d'un Dieu sous forme humaine lui est influée du ciel, où l'on ne connaît Dieu que sous cette forme.* Demum, aliis omissis, n. 86: *Les céliques ne peuvent revenir de leur étonnement, quand ils pensent et voient que des gens de ce monde, qui se croient plus éclairés que les autres,*

pensent que Dieu est invisible et incompréhensible, et regardent comme des sots et des imbéciles ceux qui n'en ont pas la même idée qu'eux. Attamen hujus visionarii opera in plures linguas vertuntur, et plures sectatores inter protestantes acquirunt et defensores. Talis est indoles humani ingenii, cum semel viam veritatis deseruit!

(2) Cfr. Maldonatus, in cap. VII S. Matth. 22, ubi copiose ostendit discrimen, quod intercedit inter donum miraculorum extraordinarium in casibus singularibus et donum istud, quum frequens e permanens est, concluditque: *Nam etsi non necessario sequitur, eum, qui miracula faciat, veram habere fidem* (et in casu nostro veram sanctitatem); *tamen necessario sequitur, eam, in qua frequentia et quasi ordinaria miracula fiant, veram esse Ecclesiam... Nulli generali-*

143. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m, prob. *Neg.* Siquidem Christus non individuus, sed societati ipsi donum fœcunditatis pollicitus est; cum vero peccatores, licet sint mortui in se ipsis, sint tamen membra corporis vivi, quod per ea prædicat et operatur, fit ut vi legitimæ missionis uberes interdum ex laboribus suis colligant fructus. Hac autem missione destituti sunt sectarii, utpote ab Ecclesia separati.

144. Ad 2^m, *Neg.* Experientia enim potius contrarium luculentissime ostendit. Quamvis enim media omnia adhibuerint, ac etiam adhibeant sectæ ad infideles Christo adducendos, ut suo loco probavimus (1), nullo tamen felici exitu id præstiterunt, et in irritum omnes earum conatus cesserunt. Non enim hic agitur de uno vel altero individuo; sed agitur de conversione populorum, qualem reipsa vera Christi Ecclesia operata est; ita ut nulla prorsus gens sit ad Christum adducta, quæ conversionem suam non referat illi acceptam (2). Hæc est illa mira fœcunditas, quæ ineluctabile prorsus perhibet argumentum vitæ, qua a Christo prædita est unica ejus sponsa.

145. Ad 3^m, *Dist.* In ordine ad valorem Baptismi ab hæreticis collati, *conc.*; in ordine ad hæreticorum fœcunditatem in gignendis Christo filiis, *neg.* Augustinus enim illud protulit effectum ad dissolvendam difficultatem rebaptizantium, qui contendebant, nullum esse Baptisma ab hæreticis administratum, eo quod solius sponsæ Christi proprium sit filios ei procreare (3). Nunquam vero aut S. Augustinus aut Patres reliqui in sectis agnoverunt illam fœcunditatem, de qua loquimur, imo iis aperte eamdem denegarunt (4).

ter hominum societati, nisi Ecclesiæ suæ ordinariam faciendi miracula concessit (Deus) facultatem. Magis etiam necessarium est, quod altera ex parte per negationem ducitur, in qua miracula nulla fiant, eam veram Ecclesiam esse non posse, quia scimus Christum Ecclesiæ suæ potestatem ad facienda miracula dedisse.

(1) In tract. *De vera religione*, prop. x.

(2) Cfr. *ibid.*

(3) Cfr. *De Baptismo*, lib. 1, c. 10, n. 14.

(4) Nota sunt verba Tertulliani, quibus graphice hæreticos depingit in lib. *De præscript.* cap. 42. *De verbi administratione quid dicam, cum hoc*

CAPUT III.

DE ECCLESIAE NOTIS.

146. Si Ecclesia Christi vivens est vi mutui illius commercii, quod ei vindicavimus, inter animam et corpus, quibus constat, debet necessario distingui ab iis nothis ac spuris societatibus, quæ sibi Ecclesiæ gloriam vindicant, ac nomen quidem habent quod vivant, at reipsa mortuæ sunt. Deprehendi autem debet vera Christi Ecclesia per signa, quæ in omnium oculos facile incurrant, ac illius ita sint propria, ut nulli alii societati, quæ Christi non sit, convenire possint. Hæc porro signa, characteres seu indicia ea sunt, quæ vulgo *notas* nuncupamus (1).

147. Hæ notæ, quæ præstant ut cognitio nobis veræ Ecclesiæ affulgeat, non debent ad arbitrium confingi; alioquin unaquæque secta prius notas, quæ magis sibi arriserint, reperiet, easque sibi deinceps adjudicabit, ut se unice veram esse Christi Ecclesiam inferat; nullusque erit controversiæ exitus, uti reipsa ab hæreticis semper factum est (2). Debent proinde notæ ex intima ac essentiali ipsius Ecclesiæ a Christo institutæ constitutione sua sponte enasci.

sit negotium illis (hæreticis), non ethnicos convertendi, sed nostros revertendi? Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur... Nostra suffodiunt, ut sua ædificent. Cfr. in hunc textum notæ P. La Cerda, n. 244 et seqq.

(1) Bellarminus, *De Ecclesia militante*, lib. iv, cap. 2, tres condiciones assignat, quæ concurrere debent ad veras notas constituendas: 1° quod debeant esse *propriæ* et non communes; 2° debeant esse *notiores* ea re, cujus sunt notæ; 3° debeant esse *inseparabiles* a vera Ecclesia, cujus notæ sunt. Quas quidem condiciones ibidem fuse evoluit.

(2) Cfr. Bellarm. loc. cit. ubi recenset notas ab hæreticis excogitatas, ostenditque, eas insufficientes ac ineptas esse ad propositam inquisitionem; sunt autem 1° vera et incorrupta prædicatio Evangelii, 2° legitima administratio Baptismi, 3° legitimus usus Eucharistiæ, 4° legitimus usus clavium, 5° legitima electio ministrorum, 6° oratio publica, psalmodia et catechismus lingua vulgari, 7° mysterium crucis, id est, tribulationes intus et extra, aliæque ejusmodi postea invecæ. Etiam Guillelmus Palmer, in op. cit. *De Ecclesia Christi*, part. 1, cap. 2, excludit has diversas notas, præsertim eam, quæ statuitur in *veritate doctrinæ*, cum maxima hominum pars idonea

148. Cum vero ex hactenus vindicatis Ecclesia a Christo fundata constet, ad modum viventis humani individui, anima, corpore et vita, quæ vi utriusque conjunctionis et commercii exurgit, sequitur non alias notas veræ Christi Ecclesiæ assignari posse, quam quæ ex ejusmodi constitutione ac natura profluunt. Eæ autem sunt unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas, quas nempe jam a IV rei christianæ seculo recensuerat concilium Constantinopolitanum in fidei symbolo illis verbis : *Credo unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam* (1).

149. Has igitur et non alias esse veræ Christi Ecclesiæ notas, nec ulli prorsus societati præterquam soli Ecclesiæ Romanæ convenire seu competere posse, ostendendum nobis est. Quod quidem præstare in sequentibus propositionibus aggredimur.

PROPOSITIO I.

Vera Christi Ecclesiæ notæ sunt unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas.

150. Quamvis nonnulla dixerimus in tractatu *De vera religione* (2) de Ecclesiæ unitate, quæ tamen illic disseruimus, non debent permisceri cum iis, de quibus in præsentia agimus. Etenim illic de unitate disseruimus, prout Ecclesiæ proprietas essentialis est; hic vero eam pertractamus, quatenus est indicium externum, character, signum aut nota externa, qua ducimur ad illam Ecclesiam cognoscendam, quæ tali proprietate prædita est; quod et

non sit ad examen istud instituendum, et tamen quælibet secta contendat se tenere veram et orthodoxam Christi doctrinam. Ea tamen hic interserit, quæ nobis non probantur, et suo loco excutiemus.

(1) Hæ autem non sunt nisi explicita expositio notarum, quæ in symbolo apostolico continentur illis verbis : *Credo sanctam Ecclesiam catholicam*. Nam *Ecclesia* in singulari numero po-

nitur, ac propterea *una* significatur, quæ dicitur *sancta et catholica*; quod si Ecclesia catholica est, debet necessario pariter esse *apostolica*, ut ex dicendis perspicuum fiet. Quod vero spectat ad alias sive plures sive pauciores notas assignatas a nonnullis Patribus et theologis, illæ vel reducuntur ad quatuor recensitas, vel eas implicite continent.

(2) Part. II, prop. IV.

de notis reliquis est intelligendum. Proprietates enim intima sunt et ad rei essentiam pertinent; notæ autem sunt extrinsecæ, atque essentiæ ac proprietatum manifestationes, quæ ex intrinsicis proprietatibus efflorescunt. Nonnulla tamen et de his proprietatibus ob materiæ necessitudinem hic adjicere debemus.

151. Verum, priusquam has notas veræ Ecclesiæ Christi vindicemus, nonnulla præmonenda sunt tum de notis ipsis, tum de earum natura et ordine *genetico*, seu ratione qua altera ex altera gignitur, ut inde demum inferamus, ita se illas habere per modum unius, ut vel omnes vel nulla competat Ecclesiæ.

152. Itaque inprimis deprehendimus, hasce notas extrinsecas necessario originem ducere ab ipsa rei natura, seu ab essentiali Ecclesiæ constitutione, prout a Christo instituta est, ita ut ex ipsis vera Christi Ecclesia veluti a sua externa specie et physionomia internoscatur et secernatur a quavis societate, quæ Christi non sit. 2º Ex eisdem notis nec solam animam nec solum corpus Ecclesiæ debere nobis pateferi, sed utrumque simul, prout in mutuo commercio seu communicatione reperiuntur, scilicet prout Ecclesia corpus *vivens* est, et vita quidem divina ac supernaturali.

153. Ad secundum quod spectat, observamus, talem esse naturam ac indolem harum notarum, ut necessario nexu adhærescant suo principio, ex quo profluunt. Hinc ut unitas esse possit, non solum debet esse plena et formalis, sed debet præterea secum necessario præ se ferre principium, ex quo hæc ipsa unitas constituitur; nempe non sufficit, ut habeatur eadem fidei professio, idem Sacramentorum usus, communicatio mutua membrorum; sed requiritur insuper principium auctoritatis, ex qua sola in omnibus eadem fidei professio oritur; principium, inquam divinitus institutum, visibile efficaxque, quod in Ecclesiam universam influat, illamque regat ac moderetur, ut exurgat vera ac intima connexio inter caput et membra, inter membra singula ad invicem, ac demum inter animam et corpus. Id quod et de ceteris notis suo modo intelligi debet; prout in nota sanctitatis manifestum est, quæ absque gratia sanctificante et charitate, ex qua gignitur, consistere non potest; atque item de notis catholicitatis et apostolicitatis, quæ concipi nequeunt absque unitate, a qua dependent.

154. Ad postremum quod attinet, adnotamus, tres posteriores notas *virtualiter* includi in priori, nempe in unitate, atque ab ea tanquam communi fonte dimanare. Etenim si unitas, quæ a principio auctoritatis constituitur, caput simul et membra complectitur, nec non corpus et animam, profecto sequitur, Ecclesiam, quæ pro nota characteristicam habet unitatem, debere pariter tanquam notam suam habere sanctitatem, qua dignoscitur ipsam vivere, nec non catholicitatem, ut ipsius Ecclesiæ cognoscatur semper et ubique identitas, ac demum apostolicitatem ratione ejusdem originis ac doctrinæ. Unde liquet, uti jam præmonuimus, ita inter se notas istas colligari ac mutuo nexu ab invicem dependere, ut nulla tolli possit, quin ceteræ corruant, aut ulla earum reperiri, quin reliquæ coexistant (1). Restat igitur, ut primum inspiciamus, utrum ejusmodi notæ debeant veræ Christi Ecclesiæ competere, an vero aliæ requirendæ sint. Nos porro affirmamus, recensitas notas et non alias veræ Christi Ecclesiæ necessario competere (2), quod quidem ostendere arduum negotium non est.

155. Sane si notæ externæ alicujus rei tales natura sua esse debent, ut nos certo et absque deceptionis periculo ducant in ejus cognitionem, ita oportet eas nobis exhibere rem, cujus notæ sunt, ut ipsi soli convenient ac nulli alii præterea; atqui ejusmodi sunt quatuor, quas recensuimus, notæ; ergo. Major per se patet; minorem vero sic evincimus. Ex superius vindicatis, vera Christi

(1) Atque hic obiter animadverto, a nonnullis theologis constitui *unitatem* non jam ceu notam, ut vocant, *positivam*, ita ut ex eo, quod in aliqua communione unitas reperitur, inferri legitime possit, eam esse veram Christi Ecclesiam, sed solum uti notam seu signum *negativum* exhiberi, quatenus, si in aliquo cœtu desit, legitime inferri possit, eum non esse veram Christi Ecclesiam. Quod quidem mihi videtur non satis accurate, imo nec vere ab

ipsis adstrui. Impossibile enim est, ut, si unitas, qualis requiritur ad notam constituendam, reperitur, colligi inde non possit, societatem, in qua conspicitur, esse veram Christi Ecclesiam.

(2) Quæ quidem intelligi nequeunt de numero, ut ita dicam, materiali, sed de re, ita ut non alia nota assignari possit, quæ cum recensitis componi nequeat, aut ad illas revocari, juxta ea quæ paulo ante diximus.

Ecclesia ea sola est, quæ per modum unius a Christo instituta est ad instar individui viventis ex anima et corpore, et quidem corpore integro, quale exurgit ex capite et membris ita inter se coordinatis, ut caput præsit, membra arctissime inter se connexa eisdem subsint, ab eoque regantur, motumque, ut ita dicam, ab eodem accipiant. Jam vero recensitas notas nos ducere in hujus Ecclesiæ cognitionem, patet vel levi instituto singularum examine, quod sic per partes aggredimur.

DE NOTA UNITATIS.

156. Unitas Ecclesiæ in Scripturis constanter prædicatur. Christus enim vocat Ecclesiam *regnum suum, ovile, domum, Ecclesiam suam* semper in singulari numero; Apostolus vero passim Christi Ecclesiam vocat *corpus Christi*, quod certe non nisi unum esse potest. Supervacaneum autem esset congerere sanctorum Patrum testimonia ad hoc confirmandum, cum et adversarii ipsi id fateantur (1).

157. Hæc autem unitas exurgit ex unitate *fidei et charitatis*, seu *communions*, quo fit ut ii omnes, qui ad unitatem Ecclesiæ pertinent, eandem fidem profiteri et eandem tenere communionem debeant. Si utraque aut alterutra desit, Ecclesiæ unitas nec est, neque concipi potest. Etenim ad unitatem fidei quod spectat, nota sunt Apostoli verba: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (2); ad unitatem vero charitatis seu communionis quod attinet, præterquam quod Christus mortuus perhibetur, *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* (3),

(1) Plura testimonia Dr. Palmer, op. cit. *De Ecclesia*, part. 1, cap. 4, sect. 2, congerit ex Calvino, ex anglicanis, presbyterianis, methodistis, etc. qui unanimiter profitentur, grave esse peccatum scindere unitatem, ac omnes teneri ad communionem cum iis, qui censentur veram Christi Ecclesiam constituere. Verum illud sedulo animadvertendum est cum Fratribus de Walem-

burch, in controv. *De notis seu signis Ecclesiæ*, part. post. § 2, licet Protestantibus omnes, saltem ipsorum tempore, agnoverint Ecclesiam unam, nullas tamen confessiones Protestantium ponere unitatem tanquam notam vel signum veræ Ecclesiæ.

(2) Ephes. iv, 5.

(3) Joan. xi, 52. Ubi pariter animadvertendum est, cum dicimus, no-

id est, ut in unam Ecclesiam coadunaret illos, qui partim ex Judæis partim ex gentibus in ipsum essent credituri, eam Patri suo maxime commendavit, dicens, Joan. XVII : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.* Et paulo post rogat, ut hæc Ecclesiæ suæ unitas in fide et charitate perpetuo duratura sit : *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Utrumque complexus pariter est Apostolus scribens ad Ephesios : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus... donec occurramus omnes in unitatem fidei... veritatem autem facientes in charitate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus. Ex quo totum corpus, compactum et connexum per juncturam subministrationis secundum operationem in mensura uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate* (1); et alibi passim.

158. Nec aliam notam unitatis Ecclesiæ, prout exterior ac visibilis est, agnoverunt sancti Patres præter eam, quæ exurgit ex duplici capite, nempe ex fide, quæ una in omnibus est, et ex charitate seu communione, cujus vinculo omnes colligantur. S. Ambrosius Ecclesiam definit *Congregationem, quæ in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et charitatis assurgit* (2).

tam unitatis exurgere seu conflari etiam ex unitate *charitatis*, hoc nomine hic minime significari charitatem illam, qua nos mutuo diligere debemus veluti virtutem personalem et privatam, qua vel cum infidelibus ipsis conjungi debemus, qui extra Ecclesiam sunt; sed significamus charitatem specialem totius christiani populi propriam, qua omnes absque divisione adhæremus pastoribus et episcopis ad idem corpus constituendum, profitentes eandem fidem et tenentes eandem communio-

nem. Hoc sensu Patres ut notam essentialem Ecclesiæ constituunt charitatis unitatem; hac de causa adjecimus illam explicationem *seu communionis*. Alioquin privatus homo ex eo, quod alium odio prosequeretur, scinderet unitatem Ecclesiæ, et extra Ecclesiam esset, quod est absurdum, ac nemo unquam ne somniavit quidem. Cfr. Maldonat. in hunc loc.

(1) Loc. cit. v. 316.

(2) *De Officiis*, lib. III, cap. 3, n. 19, edit. Maur.

Et ante ipsum Tertullianus : *Communicamus*, scribebat, *Ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa* (1), nempe ob ejusdem fidei unitatem. Idem docet S. Augustinus in libro *De unitate Ecclesie* (2), et reliqui unanimiter. Quapropter Episcopi africani in Sardinia exules : *Membra, inquit, ecclesiastici corporis... in unitate fidei compages retinet unitatis* (3).

159. Hinc duo sunt, quæ homines ab Ecclesia potissimum excludunt, hæresis, qua tollitur unitas fidei, et schisma, quo adimitur charitatis seu communionis unitas. Ex alterutrius aut utriusque defectu quovis tempore Ecclesie Patres sectas ab unica vera Ecclesia Christi distinxerunt, et contra eas sive simul sive seorsum sumptas pugnarunt, ut illas extra viam salutis aberrare ostenderent. Quoniam vero Christus Ecclesiam suam unam esse voluit tum unitate fidei tum unitate charitatis, debuit eam instruere mediis idoneis ad utramque unitatem sartam tectamque servandam, cum finis sine mediis obtineri nequeat. Ex hoc vero infertur, quod ab initio præmisimus, unitatis notam non solum complecti unitatem fidei et communionis, sed præterea principium, ex quo unitas hæc profluit et conservatur, quod quidem aliud esse non potest nisi auctoritas. Hac enim solum fit, ut fidei

(1) *De Præscript.* cap. 21, edit. Rig.

(2) Cap. 4, ubi scribit : *Totus Christus caput et corpus est. Caput unigenitus Dei Filius, et corpus ejus Ecclesia, sponsus et sponsa, duo in carne una. Quicumque de ipso capite ab Scripturis sanctis dissentiunt (id est, non tenent veram fidem), etiamsi in omnibus locis inveniantur in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus quicumque, de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, et unitati Ecclesie non communicant, non sunt in Ecclesia; quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt.* Quæ deinde fuse evolvit, ut os-

tendat, quod, alterutra conditione deficiente, aut unitatis fidei aut unitatis communionis, nemo possit censi esse in vera Christi Ecclesia, quæ utramque unitatem in suo conceptu involvit et includit.

(3) In epist. Synodica, quæ creditur S. Fulgentii, data anno 521, apud Harduin. *Acta Conc.* tom. II, col. 1055. Alia plura Patrum in hanc rem testimonia cfr. apud Nicole in op. *Unité de l'Église*, lib. I, ch. 7; nec non apud Thomassinum, in op. *Traité de l'unité de l'Église*, Paris 1687, tom. II, part. I et II; apud Ballerinium, *De vi ac ratione primatus*, Ferm. 1766, cap. 10.

et charitatis seu communionis unitas tum in membris singulis tum in toto corpore haberi possit et conservari. Quapropter illa sola unitas ceu nota veræ Christi Ecclesiæ haberi debet, quæ utrumque complectitur, unitatem scilicet fidei et communionis, cum medio idoneo eam producendi et jugiter conservandi. Ex quo pariter legitime infertur, eas societates non posse spectari ut veras Christi Ecclesias, quæ ejusmodi nota destitutæ sunt (1).

DE NOTA SANCTITATIS.

160. Sanctitatem notam esse veræ Ecclesiæ, nemo est qui ambigat. Christus enim venit in hunc mundum et passus est, ut *illam* (Ecclesiam) *sanctificaret* (2), et elegit nos, *ut essemus sancti et immaculati* (3), seu *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem honorum operum* (4). Hic enim est finis proximus et immediatus, quem sibi Redemptor noster proposuit in sua Ecclesia instituenda. Nec ulla secta est, quæ non profiteatur, Ecclesiam Christi sanctam esse (5). Difficultas, si qua est, versatur circa modum, quo hæc nota, prout visibilis est, internoscatur. Cum vero communionem omnes, sive merito sive immerito,

(1) Hoc etiam agnovit et fassus est Palmer, in op. cit. part. 1, cap. 4, sect. 2, ubi in conclus. n. 2, scribit: *Quoniam Deus præcepit unitatem in Ecclesia sua, et quoniam Christus adeo eam optavit et oravit pro ipsa, necessario sequitur, quod ipse debuerit media suppeditare ad hanc unitatem servandam; ideoque quod omnis societas, quæ media non possidet ad servandam unitatem communionis, et cujus principia fundamentalia eam adstringunt ad tolerandam aut etiam ad fovendam divisionem absque termino, non possit esse Ecclesia Dei.* Notanda sunt verba illa *absque termino*, quæ omnino cohærent systemati, quod

paulo post exponam hujus auctoris anglicani.

(2) Ephes. v, 26.

(3) Ibid. i, 4.

(4) Tit. ii, 14.

(5) Id reipsa profitentur *Confess. Helvet.* poster. cap. 17, prior, art. xiv; *Belgica*, art. xxviii; *Basileensis*, art. v; *Bohemica*, art. viii; *August.* art. vii; *Saxonica*, art. xii; *Catech. gall.* dom. 15; *Catech. Heidelberg.* q. 23; Ursinus, dom. 21, *quæst.* 54, § 4. Nihilominus, prout iidem Walenburchici observant, loc. cit. § 26, nullæ protestantium confessiones ponunt sanctitatem tanquam notam vel signum veræ ecclesiæ.

sibi arrogant sanctitatem, quæ provenit tum ex ratione capitis et plurimorum saltem membrorum, tum ex ratione doctrinæ et sacramentorum, ne longam ac difficilem discussionem ineamus, juxta methodum, quam proposuimus, dicimus, hanc notam deprehendi ex interioris vitæ supernaturalis manifestatione. Hæc autem manifestatio non solum fit per exercitium virtutum omnium et consiliorum etiam evangelicorum in summo gradu, seu uti vocant *heroico*, verum etiam per charismatum affluentiam, miraculorum præsertim ac vaticiniorum, quam Ecclesiæ suæ nunquam defuturam Christus promisit, et per fœcunditatem perennem, quam ei pariter juxta dicta Christus pollicitus est.

161. Si qua igitur societas ea doctrina instructa non sit, quæ ad sanctitatem homines informet, multo magis si eam doctrinam profiteatur, quæ sanctitati adversetur, quæque opera bona minime promoveat, aut etiam excludat, absque alio indicio evidens est, eam hac nota sanctitatis esse destitutam, nec proinde veram esse Christi Ecclesiam. Si præterea non præ se ferat indubia signa ac ineluctabilia Dei testimonia, quibus interior supernaturalis ejus vita, quæ in gratia habituali, virtutibus theologalibus ceterisque adnexis consistit, exterius aperte manifesta sit, quamvis sanctitatem jactet, nunquam certo nobis constabit, utrum notam veræ Ecclesiæ habeat nec ne. Fucata enim sanctitas absque ejusmodi divino testimonio esse potest; nota autem ita certa esse debet ac indubia, ut in omnium oculos facile incurrat. Cum vero ex dictis hæc nota sanctitatis certa ac ineluctabilis non sit, nisi per exteriorem vitæ manifestationem se prodatur ea, qua exposuimus, ratione, patet illam solam societatem, quæ ejusmodi nota sanctitatis sit insignita, veram posse dici et esse Christi Ecclesiam.

DE NOTA CATHOLICITATIS.

162. *Catholicitatem* seu *universalitatem* pariter notam esse veræ Ecclesiæ, Scripturarum oracula ac Patrum omnium consensus luculenter ostendunt. Etenim Deus, Genes. XII, 3; XXII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14, collat. Act. Apost. III, 25, et Gal. III, 9, promisit Abraham, Isaac et Jacob, quod gentes omnes in eorum

semine, scilicet in Christo, benedicendæ essent. Psalmo autem II, 8, Deus item sic alloquitur Filium suum: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Quæ quidem aliaque ejusmodi pene innumera divinorum eloquiorum oracula nullus christianus dubitat, quin ad Christi Ecclesiam pertineant. Huc etiam spectant Christi ipsius promissiones et vaticinia; siquidem, Matth. XXVI, 13, et Marc. XIV, 9, Christus prædicit, Evangelium suum prædicatum iri *in universo mundo*; misit Apostolos suos, Matth. XXVIII, 19, ad docendas et baptizandas *omnes gentes*, seu ut legitur Marc. XVI, 15, eos misit *in mundum universum prædicare Evangelium omni creaturæ*; et reipsa idem Evangelista Marcus, ibid. 20, eosdem exhibet prædicantes *ubique*; et Apostolus Rom. X, 18: *Et quidem, in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*; in epistola vero ad Coloss. I, 6, loquens de Evangelio, testatur, quod *in universo mundo est et fructificat et crescit sicut et in vobis.* Patres autem non solum catholicitatem ut notam veræ Ecclesiæ propugnant unanimiter, sed præterea exinde validissimum desumunt argumentum, ut evincant, acatholicos, seu schismaticos et hæreticos, non constituere veram Christi Ecclesiam, imo et in ea non esse, eo quod hac nota destituti sint (1).

(1) Horum testimonia profert Lud. Thomassinus, in op. cit. *Traité de l'unité de l'Eglise*, ubi, part. I, exhibet auctoritatem Patrum græcorum; in part. autem II, auctoritatem Patrum latinorum, qui unanimes sunt in universitate veræ Christi Ecclesiæ adstruenda. Ne longior sim, unum aut alterum testimonium ex iis describam. S. Justinus, *Dial. cum Tryphone*, contendit, ad Christum ejusque Ecclesiam pertinere Prophetarum oracula, quibus gentium ubique terrarum ad Deum conversio prædicitur, et reipsa in Christi Ecclesia sortita esse suum effectum.

Sic inter cetera scribit, n. 110: *Καὶ ὅτι οὐκ ἔστιν ὁ ἐκφοβῶν καὶ δουλαγωγῶν ἡμᾶς τοὺς ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν πεπιστευκίτας κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν, φανερόν ἐστι, id est: Neminem autem esse, qui nos in Jesum per totum orbem terrarum credentes exterreat, et in servitutem redigat, in promptu est.* Quod quidem ibidem sæpius inculcat, negatque, hanc notam sive Judæis sive indololatriis competere posse. Sic etiam S. Irenæus, lib. I, cap. 10, n. 1, p. 48, edit. Mass. scribit: *Ἡ μὲν γὰρ ἐκκλησία, καὶ περ κατ' ἅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ δὲ τῶν ἀποστόλων,*

163. Verum quod magis mireris est, omnes acatholicos, seu sectas recentiores idipsum profiteri; nam et ipsi admittunt catholicitatem esse veræ Ecclesiæ proprietatem, recitant et ipsi articulum symboli apostolici: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam* (1).

καὶ τῶν ἰκείων μαθητῶν παραλαβούσα τὴν εἰς ἓνα Θεόν, κ. τ. λ. id est: *Etenim Ecclesia, tametsi per universum orbem usque ad extremos terræ fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quæ est in unum Deum*, etc. Plura alia cfr. ejusdem S. Martyris in hanc rem testimonia apud Massuetum in *Diss. III Iren.* art. 1v, n. 40. Sic etiam inter Latinos Tertullianus, *Cont. Marc.* lib. v, cap. 19, edit. Rigal. in medium allato Apostoli testimonio de Evangelio, quod pervenit usque ad vos, sicut et in totum mundum, prosequitur: *Nam si jam tunc traditio evangelica ubique manavit, magis quam omnis hæretica, nedum Antoniani Marcionis, nostra erit apostolica... enim et sic constabit esse, quæ prior mundum replevit, illius scilicet Dei Evangelio; qui et hæc cecinit de prædicationibus ejus: In omnem terram exiit sonus eorum, et in terminos orbis verba eorum.* Sic etiam S. Cyprianns, sic reliqui omnes.

(1) Alias monui, passim Protestantes ex hoc symboli articulo expunxisse vocem *catholicam*; alii tamen quodam pudore suffusi eam retinuerunt. Summa enim apud eos libertas est sive abjiciendi sive retinendi in fidei confessione, quod libuerit et prout libuerit, regula quippe carent. Ceterum Palmer, op. cit. pag. i, cap. 7. ostendit testimoniis addu-

ctis ex Calvino, et ex confessionibus Augustana et Helvetica, catechismo genevensi, confessione Bohemica, catechesi Heidelbergensi, declaratione Thorunniensi, ex Presbyterianis, e Barclejo, ex Owenio, ex Anglicanis, etc. omnes sectas admittere catholicitatem veluti notam veræ Ecclesiæ. Inter Anglicanos hoc refert episcopi Pearsonii testimonium: *Magis obvia ac generalis idea hujus catholicismi consistit in diffusibilitate Ecclesiæ, quæ missioni innixa est collatæ ejusdem fundatoribus: ite et docete*, etc. *Ecclesia Christi in primæva sua constitutione effecta est natura sua diffusiva... Rationem hanc attulerunt veteres Patres, quare Ecclesia fuerit CATHOLICA nuncupata, et Ecclesiæ natura ita describitur in Scripturis. Ego video* (prosequitur idem auctor) *hanc Ecclesiam, non jam ut Judæorum Ecclesiam circumscriptam uno populo, uniusque gentis limitibus coarctatam, sed ob ordinationem et mandatum Christi et ob efficaciam potentiæ suæ disseminari inter omnes gentes, ac propagari in omnem locum, extendi ad omnes ætates. Hinc merito concludit Palmer: Fieri ne potest, ut habeatur validior probatio de essentiali universalitate Ecclesiæ isto omnium ætatum, ecclesiarum et sectarum consensu? Verumtamen et hic pariter animadvertendum est, nullas confessiones prote-*

164. Ne igitur in ambiguo versemur, cum sectæ omnes catholicitatem sibi vindicent, perspicue exponendum est, in quo præcise hæc nota universalitatis consistat. Duo porro in sua notione complectitur, quorum si alterutrum desit, multo vero magis si desit utrumque, ejusmodi nota haberi nequit: alterum igitur est Ecclesiæ per universum orbem diffusio juxta veteris Testamenti vaticinia et Christi promissiones; alterum autem est ipsius Ecclesiæ identitas tum quoad fidem, tum quoad communionem quovis loco. Prius non inepte partem *materialem* catholicitatis vocaveris, posterius partem *formalem*. Hac identitate fit ut Ecclesia eadem prorsus sit ratione doctrinæ et communionis, ratione loci et ratione temporis.

165. Notionem hanc novam non esse, ceteris omissis, aperte patet ex antiquorum Patrum doctrina. Sane S. Irenæus ita describit hanc Ecclesiæ universalitatem, ut non solum asserat, esse veram Christi Ecclesiam *per universum orbem usque ad fines terræ seminatum* (1), apud *multas gentes barbarorum et per universum mundum* constitutam, circumeuntem mundum universum (2); sed præterea insistit in eo potissimum, quod *una fides sit, doctrina et traditio, una anima, unum cor, unum os, una et eadem prædicatio, ac regiminis ecclesiastici forma* (3). Tertullianus vero Marcionem perstringens, et in eo hæreticos

stantium admittere ejusmodi Ecclesiæ diffusionem ut *notam* aut *signum* veræ Ecclesiæ. Cfr. Fratres de Walemburch, loc. cit. § 45. Hallucinatur proinde Palmer, permiscens catholicitatem in se spectatam, quam præfatæ confessiones quidem agnoscunt, cum nota ad discernendam veram Ecclesiam, quam *nullæ* admittunt.

(1) Ἡ μὲν γὰρ Ἐκκλησία, καίπερ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, κ. τ. λ. Lib. I, cap. 10, n. 1, pag. 48.

(2) Lib. III, cap. 4, n. 2; et T. VIII.

cap. 12, num. 7, circa finem; lib. IV, cap. 36.

(3) Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφύϊα, καὶ ταύτην τὴν πίστιν... ἡ Ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῃ τῇ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῆς φυλάσσει, ὡς ἐν ἑνὶ οἴκῳ οἰκοῦντα καὶ ἰμοίως πιστεύει τοῦτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει, καὶ διδάσκει, καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἐν στόμα κεκτημένη. Lib. I, cap. 10, n. 2 et seqq. Cfr. etiam Massuetus, diss. et loc. cit.

ceteros , postquam ostendit, Ecclesiam ubique esse diffusam , subdit : *Marcionis autem quum totum impleverit mundum , ne tunc quidem se defendere poterit de apostolica. Eam enim et sic constabit esse , quæ prior mundum replevit , illius scilicet Dei Evangelio , qui et hæc cecinit de prædicationibus ejus : in omnem terram exiit sonus eorum , et in terminos orbis verba eorum* (1). Negat scilicet , catholicam esse posse Marcionis sectam , etiamsi per universum orbem diffusa fuerit , quia semper erit destituta catholicitate formali ex defectu identitatis doctrinæ , quovis loco et quovis tempore.

166. Quapropter illa sola Ecclesia hanc notam possidebit , adeoque erit vere catholica et vera Ecclesia Christi , quæ non modo materiali verum etiam formali catholicitate gaudet ex sua institutione et natura ; quævis autem societas utcumque diffusa , si hac destituta sit , neque Christi Ecclesia erit , sed secta et synagoga Satanæ (2).

DE NOTA APOSTOLICITATIS.

167. Circa necessitatem hujus notæ ad cognoscendam veram Christi Ecclesiam nulla est controversia ; omnes fatentur , veram Ecclesiam debere esse apostolicam. Christus enim missionem dedit Apostolis instituendi seu fundandi Ecclesias per universum mundum , illis verbis : *Sicut misit me Pater , et ego mitto vos* (3). *Euntes docete baptizantes* (4) ; et Apostolus admonebat , fideles superædificatos esse *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum* (5). Joannes vero refert se vidisse civitatem Hierusa-

(1) Loc. cit.

(2) Pulchre Augustinus in lib. *De Pastorib.* cap. 8 , docet , Ecclesiam esse ubique , et hæresim ubique. Sed Ecclesiam esse *unam et eandem* ubique ; hæreses autem non easdem , sed diversissimas , quæ se invicem non noverunt , et proinde nullam earum esse catholicam. Origenes vero , apud Card.

Hosium in *Confessione cathol. fidei* , cap. 21 : *Catholici dicimur* , scribebat , *quia sentimus idem , quod universus mundus*. Idipsum docet S. Cyrillus Hierosolym. *Catech.* xviii , n. 23 , edit. Touttei.

(3) Joan. xx , 21.

(4) Matth. ult.

(5) Ephes. ii , 20.

lem, nempe Ecclesiam, cujus murus habebat *fundamenta duodecim*, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni (1).

168. At enim in quonam ejusmodi apostolicitatis nota consistit; quidnam in suo conceptu involvit? Præter Apostolorum doctrinam exposcit illa publicam, perennem seu nunquam interruptam ab Apostolis ad nos usque successionem. Diximus autem *publicam successionem*, qua nempe, solemnibus et externa inauguratione ministrorum per ritum a Christo institutum et ab Apostolis adscitum, propagatus fuerit cœtus eorum, qui in magisterio et regimine Apostolis successerunt, ad opus continuandum ab Apostolis inceptum, ad conversionem scilicet infidelium et fidelium sanctificationem. Diximus insuper *perennem seu nunquam interruptam successionem*, ad significandam *formalem* ejusmodi successionem; nec enim satis est ad apostolicitatis notam constituendam *materialis* ut ita loquar, ab Apostolis successio; sed requiritur præterea successio *formalis*; ita ut debeat, qui succedere Apostolis dicitur in publico magisterio et Ecclesiae regimine, conservare unitatem fidei et communionis cum Ecclesiae universae capite et centro. Id quod inferius data opera ostendemus. Alioquin si quis Ecclesiae cujusdam apostolicæ seu ab aliquo Apostolo aut Apostolorum discipulo institutæ Episcopus in hæresim aut schisma incideret, uti ex. gr. Dioscorus Episcopus Alexandrinus, dicendus esset Apostolorum successor; quod absurdum quidem est.

169. Sane hæc est tessera, qua antiqui Ecclesiae Patres veram apostolicitatis notam a spuria distinxerunt. Sic inter ceteros loquitur Tertullianus adversus hæreticos: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesie apostolicæ census suos deferunt... Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis Ecclesiis, quæ, licet nullum*

(1) Apoc. XXI, 14.

ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quæ denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses, ad utramque formam a nostris Ecclesiis provocatæ, probent se quaquam putant apostolicas. Sed adeo nec sunt; nec probare possunt, quod non sunt; nec recipiuntur in pacem et communicationem ab Ecclesiis quoquo modo apostolicis, scilicet ob diversitatem Sacramenti nullo modo apostolicæ (1). Eodem modo loquuntur Irenæus (2), Cyprianus (3), Ambrosius (4), Hilarius (5), Augustinus (6), quorum testimonia paulo post exhibebimus.

170. Interim ex postremis Tertulliani verbis patet, ad constituendam apostolicitatem non absolute requiri, ut aliqua Ecclesia ab Apostolis immediate aut viris apostolicis instituta sit; sed sufficere, ut ab apostolica Ecclesia originem habuerit, et cum ea communicet in fide et charitate. Sic enim innumeræ pene Ecclesiæ hac nota fruuntur, quia in apostolica Ecclesia inoculatæ sunt (7).

(1) *De Præscript.* cap. 32. Quid hic significet Tertullianus *Sacramenti* nomine, critici inter se non conveniunt. Nonnulli jusjurandum intelligunt; alii Sacramentum Baptismi, ut La Cerda; alii verisimilius cum Albaspinæo accipiunt eam vocem de religione ipsa, seu religionis professione. Cfr. Pamelius in hunc loc.

(2) Lib. v, cap. 20, n. 1 et seqq.

(3) *Epist. lxxiii*, et in lib. *De unit. Ecclesiæ*, edit. Maur. pag. 195 et alibi passim.

(4) Lib. *De Incarnat. dominicæ sacramento*, cap. 5, n. 34; et lib. *De pænit.* cap. 7, n. 33.

(5) *Comment. in Matth.* cap. 10, n. 9 et 10, edit. Maur., et alibi.

(6) *Cont. epist. Petil.* lib. II, cap.

38; lib. *De unit. Eccl.* cap. 2; *Brevic. collat. cum Donatistis*, cap. 3 et seqq. etc.

(7) Ecclesiæ tractu seculorum fundatæ ideo apostolicæ vocantur, quod ab Ecclesia apostolica missi fuerint ad annunciandum Evangelium et fundandas Ecclesias viri ad hoc delecti, et hi Ecclesias a se fundatas in communione fidei et charitatis cum Ecclesia apostolica instituerint. Hoc igitur interest discrimen inter Ecclesias immediate ab Apostolis fundatas et eas, quæ insequentibus temporibus institutæ sunt, quod illæ vere et proprie apostolicæ vocentur et sint, istæ autem per participationem, ut postea uberius exponemus.

171. Illa igitur omnis et sola societas apostolicitatis nota frui dicenda est, adeoque vera Ecclesia Christi censenda, quæ utraque, materiali scilicet et formali successione, in publico et perenni magisterio et regimine ecclesiastico ab Apostolis pollet; contra vero illæ omnes societates e censu Christi Ecclesiæ sunt expungendæ, quæ sive alterutra sive utraque successione, ex quibus pendet catholicitatis nota, sunt destitutæ (1).

172. Ex his, quæ de Ecclesiæ notis singillatim disseruimus, constat, quod ab initio hujus propositionis animadvertimus, ita inter se ejusmodi notas esse connexas, ut una in altera includatur, aut certe ab altera pendeat, ut nulla divelli possit, quin altera pereat; imo constat, ita omnes posteriores tres in unitate contineri, ut earum quælibet vim suam ab illa mutuetur; constat demum, eas nos ducere in cognitionem certam illius societatis, quæ ad instar individui jugiter viventis a Christo instituta est, anima scilicet et corpore, utriusque nexu seu commercio, ac proinde vita pollutis. Ita vero singulæ hæ notæ in sua formali ratione inter se comparatæ sunt, ut unitas *divisioni*, sanctitas *vitæ defectui*, catholicitas *differentiæ*, apostolicitas *interruptioni* in successione opponatur.

DIFFICULTATES

Adversus Ecclesiæ notas in genere.

173. Obj. prima. Inutilis plane est de veræ Ecclesiæ notis disceptatio; 1^o quia, nisi prius cognoscatur, quæ sit vera Ecclesia, non possunt notæ veræ Ecclesiæ constitui, ipsius naturam et essentialia proprietates patefacientes; 2^o quia, ut aliquid pro nota habeatur, debet esse notius re notata; jam vero quidquid pro nota

(1) *Esse Ecclesiam apostolicam*, scribunt Walemburgici, loc. cit. § 49, agnoscunt protestantes. *Conf. Helvet. pöster. cap. 18, et omnes illi, qui continuatum evangelicæ prædicationis ministerium admittunt. Imo et successione personarum ac doctrine*

pro nota Ecclesiæ habet Zanchius, tom. VII, de Eccles. cap. 8, col. 84. Verum nullæ confessiones protestantium ponunt continuatam doctorum successione tanquam notam vel signum veræ Ecclesiæ, licet Scriptura citata sit expressa.

veræ Ecclesiæ assignetur, minus profecto notum erit ipsa Ecclesia; 3^o in hypothese præsertim Catholicorum, qui Ecclesiæ definitionem suo modo præstituunt, eamque visibilem esse contendunt, imo manifestam ad instar solis, qui luce sua se prodit; 4^o denique quia nec prodest ejusmodi inquisitio infidelibus neque Catholicis neque hæreticis; non prodest infidelibus, qui cum in Christum non credant, nequeunt solliciti esse de vera ejus Ecclesia; non Catholicis, qui cum fide jam teneant se esse in vera Ecclesia, notis non indigent ad eam internoscendam; non demum hæreticis, qui nunquam cum Catholicis convenient in notis assignandis, adeoque supervacanea prorsus evadit hæc de notis veræ Ecclesiæ controversia. Ergo.

174. Resp. *Neg. ant.* Summi enim momenti est, tum nosse, utrum via certa ac tuta pateat, qua ad veræ Ecclesiæ cognitionem deveniamus, hanc secernentes a sectis, illius appellationem et rem inique sibi usurpantibus (1), tum determinare, quænam signa sint, ex quibus absque ambage illa deprehendatur, et a falsis secernatur, uti permagni interest secernere ovem a lupo, qui se illius pelle contexerit (2).

175. Ad 1^m prob. *Dist.* Id est, nisi prius *theoretice* cognoscatur, quæ vera debeat esse Christi Ecclesia, *conc.*; nisi prius cognoscatur *in concreto*, *neg.* Profecto cum notæ esse debeant totidem

(1) Apposite pius et doctus Card. Hosius, in opp. cit. *De confessione fidei catholicæ*, cap. 20: *Quoniam vero, inquit, fieri videmus, quod sicut Scripturas et earum verum intellectum sibi falso arrogant hæretici, ita et Ecclesiæ nomen, cujus auctoritate se premi videant, sibi temere et impudenter usurpant; ac sicut Scripturarum professione, in qua pridem præscriptum est a Catholicis, a quibus eas habere se negare non possunt, ita e piorum cætu homines impii pios omnes et in christiana fide religione-*

que fixos et immobiles permanentes excludunt: illud nobis dicendum restat, quibus notis Ecclesia, quæ domus est Dei vivi, ab ea, quam odovit Deus, Ecclesia malignantium discerni recte possit. Tom. 1, pag. 17, opp. edit. Colon. 1584.

(2) Id demum fassus est Calovius, qui in *Synops. controuv. disp.* 23, thes. 14, pag. 145, scripsit: *Quæstio de notis Ecclesiæ, et quænam sit vera Ecclesia, non est inutilis, sed maxime necessaria atque utilissima.*

signa certa, quæ nos ducant in cognitionem veræ Ecclesiæ, nisi prius theoretice noscamus, quænam debeat esse natura, quænam proprietates essentielles veræ Ecclesiæ, nunquam poterimus dignoscere notas constitutivæ illa nobis manifestantes. Adstructis propterea origine, natura ac essentialibus Ecclesiæ proprietatibus, deprehendimus, quæ debeant esse notæ ad discernendam in concreto ex tot societatibus vulgo christianis veram Ecclesiam a Christo Jesu institutam (1). Sic prius definiendus homo, quam determinemus notas, quibus, a brutis animantibus secerni debeat aliquod individuum humanum, cum in hoc non agatur nisi de applicatione.

176. Ad 2^m, *Dist. min.* Quidquid pro nota assignetur, minus notum erit ipsa Ecclesia generice spectata, *conc.*; specificè et in concreto, *neg.* Etenim veram aliquam Christi Ecclesiam existere notius est quibusvis notis; at non ita se res habet, cum agitur de determinando in specie, quænam ea sit, ut patet ex controversiis diversarum, ut vocant, communionum, quæ omnes pro

(1) Javerit et hic exscribere, quæ laudatus Cardinalis ibid. subdit post recitata verba: *Neque vero novum hoc est, quod, qui hostes Ecclesiæ sunt, ipsi dici et videri volunt Ecclesia; et Irenæi et Tertulliani temporibus factitatum hoc legimus. Sic enim de sui temporis hæreticis scribit Tertullianus: Faciunt favos et vesperæ, faciunt Ecclesias et Marcionitæ (lib. cont. Valent.). Lactantius quoque scribit, quod singuli quique cætus hæreticorum se potissimum christianos, et suam esse catholicam Ecclesiam putant (lib. iv, cap. 30, Divin. instit.). Et ante eum Cyprianus de Novatiano memoriæ prodidit, quod more simiarum, quæ cum homines non sint, homines imitantur, cum ipse in Ecclesia non esset, imo adhuc insuper contra Ecclesiam re-*

bellis exitisset, hoc sibi vindicabat, ut apud se Ecclesiam esse diceret, ac nos hæreticos faceret (in lib. Ad Jubbajan.). Et qui sequutus utrumque videtur, Hilarius narrat de Anti-Christi synagoga, quod se Christi Ecclesiam mentiebatur (lib. Ad Constant.). Idem faciebant Augustini temporibus Donatistæ (De unit. Eccl.). Suo quoque seculo fuisse scribit Bernardus quosdam, qui se vocabant apostolicos, qui se Ecclesiam esse dicebant, sed contradicebant ei, qui dixit: Non potest abscondi civitas supra montem posita. Quorum temeritatem imitati sunt proximis superioribus seculis pauperes de Lugduno, sive Picardi, Wicleffitæ et alii id genus hæretici, qui et ipsi sibi sicut sanam doctrinam, ita Ecclesiæ auctoritatem arrogant.

certo sumunt, veram dari Ecclesiam, at deinceps unaquæque se talem esse contendit. Sic notius est, quid sit vita quam motus aut actio: attamen in dubio, utrum aliquod peculiare individuum vita sit præditum. id non agnoscimus nisi per motum aut actionem tanquam per illius signa, indicia seu notas, quia in particulari magis nota est actio aut motus quam vita.

177. Ad 3^m, *Dist.* Præstituunt Catholici definitionem Ecclesiæ Christi ejusque proprietatum, *conc.*; Ecclesiæ propriæ seu catholicæ, *neg.* Nempe talis est methodus, quam Catholici in suo sectantur examine, ut prius, quod logica postulat, definiatur res, de qua agitur, deinde proprietates declarentur, quibus Christus instructam eam esse voluit, et quomodo constituta ab eo sit; ex his notas eruunt, quibus res hæc, seu vera Christi Ecclesia, juxta præmissa, ab iis societatibus, quæ perperam sibi Ecclesiæ nomen adsciscunt, tuto secernatur et dignoscatur; tandem inquirunt, cuinam societati notæ illæ in concreto convenient, atque hanc inferunt et non aliam veram esse Christi Ecclesiam. Nec aliorum iter ingrediuntur hæretici ipsi, quando ad hanc inquisitionem adiguntur (1).

178. Ad 4^m, *Neg.* Sed omnibus aut reipsa maxime prodest ejusmodi controversia, aut saltem prodesse potest, sub diverso tamen respectu.

179. Ac primo prodest infidelibus, qui cum annunciatum ipsis fuerit Evangelium, ac velint, Dei gratia adspirante, in Christum credere ejusque religionem profiteri, si perspectas habeant notas,

(1) In *Apolog. confessionis August.* art. iv, § 144, legitur: *Ecclesia non est tantum societas externarum rerum, sicut aliæ politiæ; sed principaliter est societas fidei, spei et Spiritus Sancti in cordibus; quæ tamen habet externas notas, ut cognosci possit, videlicet puram Evangelii doctrinam, et administrationem Sacramentorum consentaneam Evangelio Christi.* Bellarminus, *De eccl. milit.* lib. iv,

cap. 2, § 1, refert septem notas a Luthero assignatas ad veram Ecclesiam secernendam; deinde §§ inseqq. refert sententias hæc de re aliorum hæreticorum. Ex his patet, constantem hanc fuisse hæreticis protestantibus agendi rationem. Quod tamen ipsi faciunt, Catholicis adscribunt, qui non alias notas assignant quam eas, quæ ipsi hæreditario jure a symbolo Nicæno-Constantinopolitano acceperunt.

quibus vera Ecclesia a Christo instituta tuto a falsis secernatur, minime animo hærebunt, cui societati nomen suum dare debeant ex tot, quæ sibi veræ Ecclesiæ gloriam vindicant.

180. Prodest præterea Catholicis, tum ut se tueantur ab hæreticorum et schismaticorum incursibus, tum ut magis ac magis in sua fide confirmentur.

181. Prodest denique hæreticis, ut, si velint ex animo veram Ecclesiam investigare, eam e vestigio deprehendant; quod si nolint, habeant, unde ipsorum culpæ isthæc perfidia vertenda sit. Nec enim satis est, ad se coram Deo purgandos de propria defectione, technas movere; alioquin pharisæi, qui tot machinas instruxerunt adversus Christi miraculum, quo visum dedit cæco nato, de sua incredulitate excusarentur. Etenim, ut sæpius admonuimus, notæ veræ Ecclesiæ non ex uniuscujusque arbitrio assignandæ sunt, verum ex ipsa rei natura depromendæ.

182. Obj. secunda. Dato etiam quod utile possit esse hoc examen, non aliæ tamen notæ assignari possunt præter eas, quas Christus ipse expressit. Porro Christus 1^o alias omnino diversas assignavit ab eis, quas obtrudunt Catholici; nam 2^o ut notam Ecclesiæ suæ Christus dedit sinceram verbi Dei prædicationem et veræ fidei confessionem, dicens, Joan. X, 27: *Oves meæ vocem meam audiunt*; ibi igitur est vera Ecclesia, ubi prædicatur et auditur verbum Dei; et iterum ibid. 35: *Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est*; rursum vero ib. XV, 3: *Vos mundi estis*, inquit Christus, *propter sermonem, quem locutus sum vobis*; cum autem nemo inficiari possit, illam esse veram Ecclesiam, quæ est munda coram Deo, quandoquidem decore cohonestatur, quæ sincere prædicat Dei verbum, et quæ illud excipit, patet, hanc esse veræ Christi Ecclesiæ notam. 3^o Quo sensu recte S. Joan. Chrysostomus scribebat: *Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas* (1)? Cui 4^o consonat Augustinus, dicens: *In Scripturis discimus Christum, in Scripturis discimus Ecclesiam* (2). Et clarius adhuc: *Quæstio, inquit, inter nos versatur, ubi sit Ecclesia; quid ergo*

(1) Hom. XLIX, in Matt.

(2) Epist. CV, al. CLXVI, n. 14.

facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capituli sui D. N. J. C.? Puto, quod in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas est, et optime novit corpus suum (1). 5^o Sane Scriptura seu verbum Dei notius est Ecclesia, quæ per Scripturam probatur. 6^o Ut notam præterea Ecclesiæ suæ proposuit Christus legitimum Sacramentorum usum, præsertim Baptismi, asserens: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (2); negari autem non potest, ad veram Christi Ecclesiam pertinere, qui salvantur. Non est igitur, cur alias notas ab hominibus excogitatas quæramus.

183. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Hoc ipso enim quod Christus Ecclesiam suam velut ovile, domum ac regnum, imo ut regnum cælorum exhibeat, illudque duraturum usque ad sæculi consummationem, exhibet Ecclesiam suam unam, sanctam, catholicam et apostolicam, ex quibus essentialibus proprietatibus, ut vidimus, notæ totidem germinant exteriores, quibus ut talis Ecclesia sua ab omnibus deprehendatur. Cetera, quæ de Ecclesia sua Christus enunciavit, aut in iis continentur aut eas supponunt. Vidimus insuper, non abnuere plerosque Protestantes, quas recensuimus notas, veræ saltem Ecclesiæ esse proprietates.

184. Ad 2^m, In sensu adversariorum, *neg.* Alioquin nulla esset ratio discernendi veram Ecclesiam a Satanæ synagogis; nullum siquidem est conventiculum, quod sibi non arroget sinceram verbi Dei prædicationem. Si enim cuilibet societati fixum ratumque non foret, se sinceram verbi Dei prædicationem habere, non constitueret cœtum particularem ab alio quovis divisum (3).

(1) Lib. *De unit. Eccles.* cap. 2.

(2) Marc. ult.

(3) Quare in *Confess. August.* art. 11, et in apolog. iv, 156, dicitur: *Certissimum est, quod promissio salutis pertinet etiam ad parvulos. Neque vero pertinet ad illos, qui sunt extra Ecclesiam Christi, ubi nec verbum nec Sacramenta sunt, quia regnum Christi tantum cum verbo et Sa-*

cramentis existit. Et in Catech. maj. § 503: Quicumque extra christianitatem sunt, sive gentiles, sive Turcæ, sive Judæi, aut falsi etiam Christiani et hypocritæ, quanquam unum tantum et verum Deum esse credant et invocent, neque tamen certum habent, quo erga eos animatus sit animo, neque quidquam favoris aut gratiæ de Deo sibi polliceri audent aut possunt;

Quare, cum Christus affirmat oves suas vocem suam audire, aut deos dici, ad quos sermo Dei factus est, aut demum mundos eos esse, quos ipse allocutus est, nihil aliud significat, quam eos, qui inveniuntur in vera Ecclesia, illa præstare ac ejusmodi donis frui, minime vero ex his veram Ecclesiam agnosci. Hæc enim omnia incerta sunt ac subjectiva, et plerumque etiam incerta vel ipsi subjecto, nec possunt propterea notam constituere.

185. Ad 3^m, *Neg.* Adducta enim verba non sunt S. Joan. Chrysostomi, sed incerti auctoris, ac referuntur ad Antichristi tempora (1).

186. Ad 4^m, *Dist. Mediate, conc.; immediate, neg.* Ideo enim ex S. Augustino in Scripturis discimus Ecclesiam, quia Scripturæ patefaciunt, quænam sint notæ, ex quibus cognoscimus Ecclesiam (2); nec alius est sensus alterius loci, qui ex Augustino objicitur (3).

quamobrem in perpetua manent ira et damnatione. Neque enim habent Christum Dominum, neque ullius Spiritus Sancti donis et dotibus illustrati et donati sunt. Calvinus, *Instit.* lib. IV, cap. I, § 4: *Extra ejus (Ecclesiæ) gremium, inquit, nulla est speranda peccatorum remissio, nec ulla salus.* Apud Wegsch. § 183, not. (h). Ubi notandum est, *Ecclesiæ* nomine proprium cætum adversarios significare; quo factum est, ut postea videbimus, ut sectæ diversæ invicem se anathematizarent.

(1) Objecta verba, ex *Hom.* XLIX de prompta, inveniuntur in edit. opp. S. Joan. Chrysostomi Parisiensi Sebast. Nivellii an. 1581, tom. II, col. 992, ubi larvatus hic Chrysostomus aperte loquitur de ætate Anti-Christi, cui dabitur plura signa facere; nititurque ostendere, in tanta rerum omnium perturbatione nullam aliam viam su-

peresse ad agnoscendam veram Ecclesiam catholicam, quam sacram Scripturam, cum in ea tunc defuturum sit donum miraculorum, et hæretici cuncta, quæ veræ Ecclesiæ sunt, sibi sint vindicaturi. Sed cfr. loc. cit.

(2) Sane S. Augustinus, in lib. *De utilitate credendi*, cap. 14, n. 31 et 32, totus in eo est, ut evincat adversus hæreticos, nos Christum et Scripturas cognoscere, et in illum et has credere ob auctoritatem Ecclesiæ catholicæ. Ejus verba suo loco proferam.

(3) Satis est seriem ejus orationis expendere, quæ ita se habet: *Quæstio certe inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, an apud illos (Donastistas). Quæ utique una est, quam majores nostri catholicam nominarunt, ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est. Secundum totum enim, καθ' ὅλον* græce dici-

187. Ad 5^m, *Neg.* Nam non novimus Scripturam nisi per Ecclesiam, quæ Scripturis Novi Testamenti anterior est, uti ostendimus. Itaque prius nobis innotescere debet Ecclesia, quæ veras Scripturas tanquam divinitus inspiratas tradit, nobisque patefacit verum earum sensum, quem ipsa immediate a Christo assecuta est; in his deinde veluti in publicis tabulis relatos deprehendimus titulos ac privilegia, quibus a Christo aucta est atque insignita. Sane nisi prius Ecclesia ethnicis fidem prædicasset, et ipsi credidissent, nunquam eos libros habuissent perspectos, quos divinos seu inspiratos divinitus nominamus. Quamobrem non solum in se, verum etiam quoad nos notior est Ecclesia quam Scriptura (1).

188. Ad 6^m, *Neg.* Tum quia, utrum legitima an vero illegitima sit Sacramentorum administratio, nobis exterius constare nequit, cum legitimitas afficiat jus, non autem solum actum materiale; tum quia privatorum defectu fieri potest, ut in nonnullis particularibus Ecclesiis rectus non habeatur Sacramentorum usus, quamvis propterea haud cessent illæ esse vera Christi Ecclesia (2); tum demum quia semper controversia moveri potest, quænam habenda sit legitima Sacramentorum administratio, utrum ea ex. gr. quæ in Ecclesia Romana viget, an vero illa quæ apud hæreticos obtinet (3). Porro notæ debent esse ita propriæ veræ Ecclesiæ,

tur. Hæc autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit: Pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Unde utique manifestum est, eum, qui non est in membris Christi, christianam salutem habere non posse. Membra vero Christi per unitatis charitatem sibi copulantur, et per eandem capiti suo cohærent, quod est Christus Jesus. Deinde ostendit ex Scripturis Donatistas in Ecclesia esse non posse, eo quod non sint in hac unitate. En in quo versaretur quæstio, ad quam solvendam S. Augustinus provocat ad Scripturas.

(1) Quare Bellarminus, *De Eccles.*

lib. 1v, cap. 2, § 283, ad propositam difficultatem hæc habet: *Respondeo simpliciter, Ecclesiam esse priorem et notiozem, quam sit Scriptura. Nam Ecclesia fuit ante Scripturam, et ipsi data est Scriptura a Deo, et ipsa eam aliis tradit et explicat.*

(2) Cfr. Bellarm. *ibid.* § 24, ubi id nonnullis exemplis confirmat.

(3) Sic ex. gr. Lutherani et Calvinistæ divisi inter se sunt, eo quod unaquæque secta putet, se solam habere legitimam Sacramenti Eucharistici administrationem. Idem dic de Socinianis, Methodistis aliisque hæreticis.

ut alii cœtui convenire nullatenus possint. Exinde responsio patet ad objectum textum de Baptismo; ecquis enim judicare poterit, an aliquis Baptismate tinctus recte crediderit necne?

DIFFICULTATES

Adversus notam unitatis.

189. Obj. prima. 1^o Unitas eo saltem sensu, quo exposita hactenus est, nequit constituere notam veræ Ecclesiæ, et certe tam perfecta in nullo cœtu haberi potest. 2^o Etenim si sermo in primis sit de unitate fidei, posse hanc conservari, quamvis plures aut pauciores doctrinæ articulos Christiani profiteantur, imo hæreticos etiam aut erroneos, exploratum est ex facto S. Cypriani cum Stephano; etsi enim hic doctrinam Cypriani condemnaverit, unitas tamen semper conservata est; 3^o sic quamvis Concilium aliquod œcumenicum quidpiam de fide definiverit aut damnaverit ut hæreticum, qui sunt errore facti decepti, quin scindant unitatem, possunt contrarium profiteri ab eo, quod in Concilio definitum fuerit, ut patet ex Ecclesiis occidentalibus in quæstione trium capitulorum definita a Conc. œcumenico V. Idem dic de Concilio Nicæno II rejecto ab occidentalibus, aut de Concilii Florentini auctoritate relate ad Gallos, et Conciliorum Constantiensis et Basileensis relate ad Italos, qui quamvis doctrinam profiteantur contrariam illi, quæ in hisce Conciliis definita est, neque Galli propterea neque Itali hæretici censentur. 4^o Fieri etiam potest, ut nonnullæ Ecclesiæ particulares, solidis innixæ rationibus, putent aliquam doctrinam definitam esse, quæ reapse definita non sit, imo erronea sit aut etiam hæretica; hoc tamen errore facti deceptæ in crimen hæresis non impingunt, nec solvunt unitatem. 5^o Accedit, nullam inveniri in sacris Litteris promissionem, quod quovis tempore unanimis Ecclesia esse debeat in omnibus fidei articulis. 6^o Quapropter *actualis* unitas circa omnes fidei articulos non potest esse nota aut signum Ecclesiæ; quia differentia apparens circa doctrinas in societatibus christianis non suppeditat *sola* ullam probationem de differentię realis existentia, prout unitas apparens non est argumentum

unitatis realis; 7^o eo vel magis quod apparens ejusmodi unitas potest esse unitas erroris, ut patet ex. gr. in sectis nestoriana atque eutychniana, quæ non minus inter se apparenter conjunctæ sunt, ac sint Ecclesiæ orientales seu græcæ et Ecclesiæ romanæ. 8^o Cum vero ad internoscendum, utrum differentia aut unitas sit apparens tantum an realis, opus sit longa ac difficili discussione et examine, sequitur, non posse unitatem esse notam aut signum veræ Ecclesiæ (1). 9^o Adde, unitatem Ecclesiæ *moralem* tantum

(1) Hactenus fere Palmer in op. cit. *A treatise of the Church of Christ*, seu *Tractatus de Ecclesia Christi*, edit. sec. Lond. 1839. part. 1, cap. 5, sect. 3 et 4, cujus difficultates in compendium redegit. Atque hic juverit tum hujus tum ceterorum recentiorum Oxoniensis universitatis doctorum systema paucis exponere, ut istorum mens in allatis et afferendis difficultatibus penitus dignoscatur. Hi igitur viam mediam ineunt inter illum, quem ipsi vocant *ultra-protestantismum et romanismum*. Admittunt idcirco præter Scripturas etiam traditionem, non illo tamen sensu, quo eam amplectuntur Catholici, sed solum quatenus inservit ad Scripturæ dogmaticam interpretationem; rejiciunt propterea interpretationem privatam, seu sensu privato factam, quam acriter tuentur Protestantes; venerantur etiam sanctorum Patrum auctoritatem. Contendant porro, se esse Catholicos seu pertinere ad Ecclesiam catholicam, quæ juxta ipsorum placita coalescit ex diversis sectis et communionibus, dummodo servent hierarchiam et profiteantur principium auctoritatis in rebus fidei. Ecclesiam Romanam veluti partem agnoscunt Ecclesiæ catholicæ, sed non in sensu exclusivo,

prout *Romanenses*, ut ipsi vocant, profitentur. Ut autem ita a se confictam catholicam Ecclesiam adstruant, admittunt quidem et ipsi quatuor notas veræ Ecclesiæ nobiscum; attamen rentur, posse existere unitatem fidei, etiamsi non omnes in eadem doctrina profitenda conveniant; ac etiam posse haberi unitatem communionis, quamvis externa non habeatur inter partes omnes societatis christianæ communicatio, quæ in istorum systemate quandoque salva unitate penitus interrumpi potest, ac longo etiam temporis intervallo. Admittunt auctoritatem Conciliorum œcumenicorum, ea tamen conditione, ut hæc ab universa Ecclesia catholica, ea nimirum, quam ipsi sibi percommode excogitarunt, probata fuerint, quo fit ut nulla alia Concilia pro œcumenicis habeant præter sex priora. Non agnoscunt absolute infallibilitatem Ecclesiæ, quamvis plurimum ejus auctoritati deferant; et ita porro. Quod enim attinet ad ceteras hujus systematis partes, eas oblata opportunitate evolvemus. Hic satis erit animadvertere, recentiore hanc Oxoniensem scholam hæc pervenisse, ut ecclesiam quam vocant anglicanam ab universali protestantismi naufragio incolumem

seu *externam* esse debere, quæ coalescere quidem potest ex iis omnibus, qui in Christum credunt, quamvis proprias formas quilibet coetus habeat; quo sensu omnibus prorsus sectis non modo seorsum, sed simul etiam sumptis unitas conveniret (1). Ergo.

190. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Cum enim ex dictis unitas non solum *materialem*, ut ita dicam, communionem seu professionem fidei in sua notione includat, verum etiam *formalem*, quæ exurgit ex principio auctoritatis veluti medio unice idoneo ad eam gignendam et conservandam, liquet, in sola illa societate hanc reperiri, quæ legitimæ auctoritati a Christo institutæ in hunc finem subijcitur. Hac autem destitutæ sunt omnes sectæ.

servaret. Eminent in hac schola Joan. Henricus Newman, E. B. Pusey, Guillelmus Palmer, Keble, etc. Inter eos Palmer doctrina ac moderatiōe cæteris præstare nobis visus est; siquidem ex reliquis plures, sive quod nondum ipsis odium exuerint, quo adversus Ecclesiam catholicam, nempe Romanam, ferebantur, sive quod affectent se liberare ab illo, quod ipsis objectum est, adagio: *Tendimus in Latium*, nullum persæpe modum servant in Ecclesia romana calamniis et conviciis proscindenda. Prout vero contingere solet iis, qui viam mediam insistere volunt et certa regula carent, nova hæc schola plures in ipsa Anglicana ecclesia nacta est adversarios, atque præterea secum ipsa divisa est, ut suis locis expendemus. Quapropter diu in præsentī statu consistere non poterit; aut enim, quod summopere optamus, ad verum catholicismum perveniet, aut certo in pristinum protestantismum ac ultra protestantismum relabatur. Cum interim haud pauci ab hoc, quem sibi

tribuunt, larvato catholicismo detineantur in propria secta, nec veram catholicam fidem profiteantur, ideo cogimur istorum doctorum placita refellere.

(1) Ita Wegscheider, qui § 186, hæc scribit: *Neque tamen impedit ista ecclesiarum pluralitas atque diversitas, quo minus inter se conveniant, ut omnes unum eundemque profiteantur atque colant religionis auctorem Jesum Christum... Quapropter summopere optandum est, ut non tam de adunandis vel confundendis ecclesiis, quæ doctrinæ formulas defendunt plane sibi oppositas, quam de morali quadam consensione inter singulos harum ecclesiarum sodales efficienda et confirmanda sedulo jam cogitetur, ut, quicumque Christo nomen dederint, quantumvis ceteroquin diversi, concordie tamen mutue studiosissimi sint et maneant.* Pro qua doctrina allegat Stendel, Koppen et Böhr.

191. Ad 2^m, *Dist.* Ante horum articulorum definitionem, *trans.*; post editam ab Ecclesia definitionem, *neg.* Sic negamus, S. Stephanum damnasse sententiam S. Cypriani; tantum enim edidit decretum de servanda recepta in Ecclesia traditione, ita ut in praxi nihil deberet innovari. Imo addo, neque expressam hac de re datam esse definitionem in ipso Concilio Nicæno, ut suo loco ostendimus (1).

192. Ad 3^m, *Dist.* Errore facti invincibili decepti, et quin peculiare coetus faciant divisos ab Ecclesia universali, *conc.*; errore vincibili et per coetus peculiare segregantes se ab Ecclesia universali, *neg.* Et exinde responsio patet ad exemplum adductum ex occidentalium oblectatione in admittenda damnatione trium capitulorum emissa a Concilio œcumenico V. Plures siquidem ab initio errore invincibili decepti varias ob causas, quas hic non vacat recensere, recusabant sese subicere illi definitioni, nec tamen separarunt se ab Ecclesia; postea vero, cum res satis eliquata esset, pervicaces in sensu suo veluti schismatici habiti sunt, nec nisi post aliquot seculorum tractum reconciliati sunt cum Ecclesia atque in communionem recepti, ejurata nempe prius propria sententia, et admissio illius Concilii decreto (2). Idem contigit circa Concilium Nicænum II, cujus genuina mente detecta, ab omnibus occidentalibus Germanis et Gallis veluti œcumenicum habitum est (3). Quoad Concilium Florentinum, licet a nonnullis gallicanis ad tempus eandem ob causam sub-

(1) In tract. *De sacram. in genere*, cap. 3, prop. I, num. 119 et seqq.

(2) Cfr. de hoc argumento Christ. Lupus, dissert. *De quinta synodo generali*, tom. II, pag. 165 et seqq. opp. edit. Venet. 1724; Sirmondus, in *Propemptici* lib. II, cap. 7. opp. edit. Paris. 1696, tom. IV, col. 216; præcipue vero Card. Norisius, qui in *Dissertatione historica de synodo quinta*, cap. 9, § 1 et seqq. erudite rem universe tractat, opp. edit. Veron. 1729, tom. I, col. 675 seqq. ubi ostendit,

Episcopos Istriæ, ac in genere *autocephalos* nuncupatos, vere schismaticos fuisse, atque ab Ecclesia universa divisos extraque viam salutis constitutos, nec admissos ad unitatem esse, nisi præmissa formula eis a S. Gregorio M. proposita.

(3) Cfr. Ch. Lupus in diss. *De septima synodo generali*, cap. 15 et seqq. opp. edit. cit. tom. III; nec non Nat. Alexand. diss. III in sec. VIII, atque diss. VI, ibid. § 7 seqq. adversus Dalæum.

dubitatum fuerit, utrum esset inter œcumenica accensendum, redemum melius discussa, omne dubium depositum fuit, et communi calculo inter vere œcumenica recensetur a gallicanis ipsis (1). Contra vero Concilia Constantiense et Basileense, quoad illas sessiones in quibus actum est de superioritate Concilii supra Pontificem, apertissime constat nunquam ab Ecclesia universali ut œcumenica agnita fuisse, plures ob causas, quas suo loco expendemus.

193. Ad 4^m, Eadem esto distinctio, si tamen id aliquando saltem ad longum tempus contingere potest. Addo in utroque casu nullam unquam divisionem propterea locum habuisse.

194. Ad 5^m, Vel *neg.* vel *dist.* In articulis nondum solemniter ab Ecclesia definitis, *trans.*; in definitis, *neg.* Tot enim extant in sacris Litteris hac de re promissiones, quot Ecclesiae infallibilitatem adstruunt, quas pariter paulo post afferemus.

195. Ad 6^m, *Neg.* Dummodo ratio habeatur notionis, quam dedimus unitatis, prout nota seu signum veræ Ecclesiae est, patebit, aut negandum unitatem esse Christi Ecclesiae proprietatem,

(1) Sane non modo Concilium Florentinum inter œcumenica recensetur a gallicis Conciliorum editoribus, Labbeo et Cossartio, Harduino, Cabassutio, etc., sed peculiaris Card. Lotharingæ aliorumque paucorum gallicanorum sententia rejicitur ac refellitur a Natali Alexandro, qui in dissert. x ad sec. xv et xvi, quæ est *De synodo Florentina*, art. 1, aperte ostendit, vere œcumenicam esse hanc Synodum ac ab universa Ecclesia receptam. Præterea difficultates petitas adversus hujus Concilii œcumenicitatem ex decretis Conc. Basileensis et ex absentia Episcoporum gallorum nervose solvit, concluditque: *Verum postquam attenta magis consideratione innotuit, Florentinum Concilium synodorum Con-*

stantiensis et Basileensis sacrosanctis decretis de suprema Conciliorum generalium auctoritate non repugnare (prout hic auctor rigidus gallicanus autumat), *ipsum et galli plerique omnes theologi, excusso scrupulo, œcumenicum absque hæsitatione appellarunt.* Eidem assentiuntur Tournely, edit. Paris. seu potius Venetæ, tom. v, part. II, pag. 158; De Marca, Bossuet, Facultas theologica Parisiensis et clerus gallicanus apud Berthier, *Histoire de l'église gallicane*, tom. xvi, liv. 48. Ad hæc accedit, nihil definitum fuisse in hoc Concilio, quod definitum jamdiu non fuerit in superioribus Conciliis, quodque ut dogmaticum professi non fuerint gallicani universi.

aut unitatem *actualem* veræ esse Ecclesiæ notam. Sic inficiamur, apparentem duntaxat quandoque esse posse ejusmodi unitatem, post editam præsertim aliquorum articulorum definitionem, aut apparentem tantum differentiam; quotquot enim ad veram Christi Ecclesiam pertinere satagunt, intellectum in obsequium Christi seu fidei ab Ecclesia propositæ captivare tenentur (1).

196. Ad 7^m, *Dist.* Sed sine principio, ex quo profluit ejusmodi unitas, ac sine medio eam conservandi, *trans.*; cum ejusmodi principio ac medio, *neg.* Porro, fatente ipso adversario, quem impugnamus, non est censenda, veram habere unitatem, nec propterea veram constituere Christi Ecclesiam, illa societas, quæ hoc medio destituitur. Cum vero societates seu sectæ, quæ ab adversario commemorantur, se separaverint ab Ecclesia universa, et excusserint a se auctoritatem, per quam solum in unitate detinebantur, patet, eodem jure quempiam ex his sectariis posse innovare, prout libet. Hinc sectæ vere apparentem habere possunt unitatem seu potius *unionem*, nunquam autem realem unitatem. Etenim, ut scite observat Tertullianus: *Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare* (2). Quod vero dicitur de Valen-

(1) Permiscet adversarias controversias, quæ oriuntur interdum in Ecclesia, antequam ulla ab ea data sit definitio, cum iis, quæ perseverant ex parte pervicacium post emissum solemne ab Ecclesia judicium. Id clarius constat ex eo, quod ipse, loc. cit. pag. 112 et seq. commemoret controversias Jansenismi, item Jesuitarum et Dominicanorum et Augustinianensium, nec non Thomistarum et Scotistarum. Jam vero ecquis est qui nesciat, domesticas illas concertationes non spectare ad fidem, nec proinde per illas divisionem induci? præsertim cum partes omnes disceptantes eo animo sint comparatæ, ut illico se subjicerent Ecclesiæ judicio,

si quod ab ipsa circa eas ferretur? Contra vero nemo pariter est qui dubitet, quin a Catholicis eos habendos ut ethnicos et publicanos, qui Ecclesiæ definienti auscultare detrectent. In horum censu Jansenistæ sunt, qui latæ a Pontifice romano ex cathedra condemnationi quinque Jansenii propositionum, cui accessit universæ Ecclesiæ consensus, restiterunt. Magna perpetuo viget in hoc auctore, quem impugnamus, idearum confusio; attamen huic soli innotitur, dum cohonestare studet schisma anglicanum, ut ex dicendis magis semper ac magis patebit.

(2) *De Præscript.* cap. 42.

tinianis et Marcionitis, idem dici debet de Lutheranis, Calvinistis, Anglicanis ceterisque sectis, cum eadem ratio militet pro istis ac pro illis.

197. Ad 8^m, *Dist.* In hypothesi adversarii, *conc.*; juxta regulam constantem Ecclesiæ, *neg.* Hæc enim regula est auctoritas infallibilis, ut postea ostendemus, qua posita, jam consequitur, absque ulla discussione aut examine satis esse attendere, quid Ecclesia definierit aut damnaverit, ut illico innotescat, utrum unitas aut differentia sit realis vel apparens (1).

198. Ad 9^m, *Neg.* Alioquin Ecclesia Christi foret ad instar turris Babel cum confusione linguarum. Coalesceret enim non solum ex diversis, verum etiam ex heterogeneis et plane contradictoriis veritatibus, quod est absurdum. Ecclesia tempore Apostolorum coaluisset ex Apostolis et ex Nicolaïtis, Simonianis, Cerinthianis, Ebionitis, quos tamen ab Ecclesia Apostoli repulerunt.

199. Obj. secunda et inst. 1^o Exterior communio in Ecclesia interrumpi potest, salva ejus unitate. 2^o Nec enim, spectata humana individuorum infirmitate, aliter fieri potest absque speciali, imo singulari divinæ omnipotentiae auxilio; 3^o porro neque ex Scriptura, neque ex traditione ostendi potest, dari divinas pollicitationes, quod Ecclesia semper ita perfecte una esse debeat, ut nunquam exterius divisa sit. 4^o Scripturæ enim affirmant

(1) Exinde etiam patet, supervacaneas prorsus esse discussiones, quas idem Palmer ibid. faciendas contendit, ad hoc ut æquum judicium feramus circa articulum aliquem, utrum nempe spectet ad veritates certo revelatas an vero ad opiniones tantum. Vult enim, ut prius determinetur, utrum differentia, quæ invenitur in puncto controverso, sit tolerabilis nec ne; deinde ut dispiciatur, an hæ differentie *apparentes in fide* potius verbales sint quam reales; in super utrum oriantur nec ne ex eo, quod contrariæ partes mutuo se male intellexerint; demum utrum controversi

articuli habiti fuerint veluti res *probabiles* absque animo determinato, an veluti res *certæ*, utrum sint doctrinæ individuorum intra ecclesias, an ecclesiarum ipsarum. Etenim ejusmodi disquisitiones supponunt, a spiritu singulorum privato esse de his judicandum, quod tamen est systema Protestantium ab adversario nostro rejectum; nec unquam ad ullam dirimendam controversiam inserviant, ut experientia etiam docet. Catholicis via tuta et compendiosa est Ecclesiæ definitio, qua sola omnis contentio cessat.

quidem, Ecclesiam unum ovile esse, unumque pastorem, unum regnum aliaque ejusmodi; verum hoc completum est in unione utriusque populi judaici et gentilis sub uno Christo; ceterum nusquam in Scripturis expresse promittitur, externam communionem aliquando interrumpi non posse. 5^o Patres, si unum vel alterum excipias, Cyprianum ex. gr. aut Augustinum, nec ipsi contrarium docent. 6^o Historia vero ecclesiastica innumeris prope referta est factis apertissimis, in quibus salva unitate exterior communio interrupta est. Sic ex. gr. licet S. Victor excommunicaverit Ecclesias asiaticas, ac S. Stephanus se separaverit a S. Cypriano et Episcopis africanis, S. Leo M. excommunicaverit S. Hilarium Arelatensem; attamen una semper et identica Ecclesia catholica perseveravit, quamvis diversæ illius partes separatæ ab invicem essent in communione externa. Idem contigit ætate S. Joannis Chrysostomi ac diu post ejus obitum; Ecclesiæ siquidem orientales et occidentales, licet unam eandemque Ecclesiam catholicam efficerent, minime exterius inter se communicabant. Idem contigit ex occasione schismatis Acaciani, quod annos XXXV perduravit, et *una* nihilominus Ecclesia permansit. Quod a fortiori dici debet, ceteris prætermisissis, de magno illo schismate occidentali, quo ad quadraginta plus minus annos scissa Ecclesia est primum inter duas, deinde inter tres, quas vocant, obedientias, salva tamen Ecclesiæ catholicæ unitate. 7^o Patet igitur, unitatem non postulare communionis exterioris nunquam interruptam continuationem; ac satis proinde esse, quo aliquis in Ecclesiæ communione censeri possit, ut spiritu cum Christo ejus capite jungatur; 8^o patet, *actua-*lem unitatem non esse Ecclesiæ essentialem, prout fatentur non pauci catholici theologi, atque inter ipsos Nicolius, qui admittit *actua-*lem unitatem non consistere in unione effectiva totius Ecclesiæ, cum hæc unio turbari possit divisionibus et concertationibus, quas Deus permittit, quibus in casibus dum modo partes sincere tendant ad unitatem, et agnoscant judicem communem, ad quem referant suas controversias, cujusmodi est Concilium œcumenicum, semper ad unitatem Ecclesiæ pertinebunt. 9^o Qui igitur contendunt, se habere regularem successionem ab Apostolis, damnari non debent ab aliis Ecclesiis formæ et successionis apostolicæ, quin prius

audiantur, præsertim damnari non debent ab iis qui spectant ad Romanam communionem; sed quæstio actualis schismatis seu separationis ab Ecclesia catholica candidè est examinanda (1). Ergo.

200. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Christus enim perfectam unitatem tanquam proprietatem essentialem ac tesseram voluit esse Ecclesiæ suæ, ut constat ex allatis probationibus, quæ proinde nunquam *formaliter* interrumpi potest, quin pereat Ecclesia ipsa, ac deficiat nota, qua a sectis quovis tempore unica vera Ecclesia discerni possit.

201. Ad 2^m, seu ad 1^m prob. *Dist.* Id est, necesse est, spectata humana infirmitate, *ut veniant scandala* ex parte individuorum, et *oporteat hæreses* seu schismata *esse*, quæ tamen idoneo medio divinitus instituto compescantur, *conc.*; quæ inducant divisionem formalem in ipsa unitate Ecclesiæ, *neg.* Hoc enim posterius repugnat et est aperte contradictorium; esset enim Ecclesia una et non esset, esset unita et divisa, identica et diversa. Si itaque, spectata humana individuorum aut etiam multitudinis infirmitate,

(1) Ita rursus Dr. Palmer, qui op. cit. part. 1, cap. 4, sect. 3, pag. 71 et seqq. prolixam hac de re instituit disputationem, quam nos in compendium redegimus, ut nobis persuadeat, Ecclesiam catholicam coalescere etiam ex societatibus, quas nos uti schismaticas damnamus, ac propterea inferat, societatem anglicanam ad Ecclesiam catholicam pertinere, quamvis nullam cum catholica Ecclesia, id est, romana, communionem habet. Ut hoc paradoxum adstruat, nullum non movet lapidem, atque ex statu accidentali ac temporario, in quo juxta ipsum viguit in Ecclesia aliqua divisio, quæ pacatis rebus sublata est, ipse concludit ad statum divisionis permanentis et vere schismaticæ, quæ a tribus ferme seculis obtinet inter Ecclesiam, quam vocat britannicam seu anglicanam, et

Ecclesiam romanam seu catholicam. Ast nec vera sunt facta, quæ Palmer objicit ex historia ecclesiastica, ad sensum et scopum, quem intendit, ut patet ex responsionibus, quas subjecimus. Ceterum hoc paradoxum jamdiu excogitaverat Jacobus I, Angliæ Rex, qui apud Card. du Perron, *Réplique à la réponse du Roy*, ch. lx, edit. Paris. 1633, pag. 474, aiebat: *L'Eglise Romaine, dont la Grecque, l'Antiochienne, l'Égyptienne, l'Abbyssine, la Moscovitique et plusieurs autres sont membres, plus excellents à la vérité en doctrine et en sincérité de foy les uns que les autres, mais toutefois membres de l'Eglise catholique, de laquelle la masse et la con-texture, quant à la forme externe, est jà long-temps dissoute et des-semblée.*

suapte natura oriantur scandala , contentiones et divisiones , istæ non separant ab Ecclesia , donec formali iudicio de his pronunciatum fuerit. Hoc autem edito , qui se eidem subjiunt pertinent ad unitatem ; qui ei resistunt , schismatici efficiuntur atque ab Ecclesia extorres , ac propterea ab unica salutis via. Ita divina omnipotentia prospicit Ecclesiæ unitati.

202. Ad 3^m, *Neg.* Tot enim habentur in Scripturis hujus perpetuæ unitatis promissiones , quot Ecclesiam exhibent duraturam , prout eam Christus instituit ; instituit autem unam et individuum ; promisit igitur unam et individuum eam perpetuo fore. Sane nisi velimus , in partes scindi posse corpus Christi mysticum , quod est Ecclesia , cum qua præterea Christus juxta Apostolum se copulavit indissolubili conjugio (1) , concludamus oportet , nunquam interrumpi posse , juxta Christi promissa atque ipsius Ecclesiæ constitutionem , ejus unitatem. Nec alius unquam fuit sensus traditionalis , ut mox ostendemus.

203. Ad 4^m, *Dist.* Id est , in Ecclesia , quæ , utpote coalescens ex Judæis et gentibus conversis , sub Christo una est , *conc.* ; alio sensu , *neg.* Utique Ecclesia coaluit ex gentibus et Judæis ad Christum conversis ; sed coaluit ad unum et individuum ovile efficiendum , ad unum et individuum regnum Christi constituendum , ad unum ejus corpus efformandum , quod Christus gratia sua informat ut vivum sit , regitur ab ejus spiritu , atque ad instar humani individui , ut superius exposuimus et ostendimus , vivit ac perseverat. Qui igitur culpabiliter ab hoc corpore divisus est , membrum hujus corporis esse desinit , nec vivificatur a spiritu Christi (2).

204. Ad 5^m, *Neg.* Nec enim solus est Cyprianus , qui vocet Christi Ecclesiam *vestem inconsutilem* (3) , aut solus Augustinus ,

(1) Ephes. v, 32 , in quem locum cfr. Bernard. a Piconio.

(2) Huc referantur innumera prope S. Augustini testimonia , quibus ostendit , Donatistas , ac proinde schismaticos reliquos , qui divisi sunt ab Ecclesia catholica seu romana , non vivificari

a spiritu Christi , quia non sunt de corpore Christi. Cum hæc notissima sint , ac paulo ante nonnulla attulerimus , non est quare hic ea denuo afferamus. Cfr. integerejus *Tractatus xxvi in Joan.*

(3) In lib. *De unitate Eccl.* edit. Maur. p. 196. Hic Palmer contendit,

qui scribat : *Huic Ecclesiae, quae per totam terram diffunditur, quisquis non communicat, cui non communicet vides, si cujus (Christi) ista verba sint audis* (1); sed Patres reliqui unanimiter. Etenim ad unum omnes ut tesseram veræ Ecclesiae Christi statuunt ejus *unitatem et universalitatem*, seu unitatem in eo positam, quod ubique terrarum eadem sit; ita Justinus (2), Tertullianus (3), Irenæus (4), Clemens Alex. (5), Dionysius

hunc typum adhibitum potius esse ut argumentum theologicum, quam veluti ex apostolica traditione proveniente; atque admonet, argumenta ejusmodi non sine examine esse admittenda, eo plane modo quo fit quoad motiva rationesque, quæ ab œcumenicis Conciliis in suis decretis afferuntur, prout ipsi docent catholici theologi. Verum, præterquam quod hi ipsi theologi docent, discernendam in Patribus thesim a probationibus, quia in thesi Patres se gerunt ut testes fidei, quæ obtinebat sua ætate in Ecclesia, et traditionis; in probationibus vero se exhibent ut theologos, evidens est, hanc indivisibilem unitatem a S. Cypriano adstrui ut dogma inconcussum, quod passim ibidem inculcat, pluribusque rationibus confirmat. Describerem libenter integrum textum, nisi nimis prolixus esset. Afferam tantummodo verba, quibus S. Martyr thesim suam evincit ex ipsis Christi verbis : *Quis ergo, inquit, sic est sceleratus et perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut audeat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi? Monet ipse in Evangelio suo, et docet, dicens : Et erit unus grex et unus pastor. Et esse posse uno in loco aliquis existimat aut*

multos pastores aut plures greges? Ex his postremis verbis Palmer occasionem sumit exponendi mentem S. Cypriani, perinde ac si solum contenderit, adversus Novatianos, haud posse in uno eodemque loco plures esse Episcopos, minime vero quod unitas scindi non possit inter diversas ecclesias. Ast perperam; etenim ibid. p. 165, de Ecclesia universali se loqui ostendit, scribens : *Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit. Unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur*, etc. quæ clara sunt adeo, ut non possint eludi.

(1) *Contra litter. Petil.* lib. II, cap. 55.

(2) In *Dialog. cum Tryph.* n. 116, edit. Maran. p. 209, ubi affirmat, Christianos omnes esse *ad instar unius hominis, ως εις ανθρωπος παντες*, seu ut alii legunt, *πιστευσαντες*. Eadem passim inculcat.

(3) *Cont. Marcion.* lib. V, cap. 18 et 19.

(4) Cujus verba superius retulimus, quibus de tota Ecclesia per universum orbem disseminata affirmat, *unam inhabitare domum, unam animam habere, unum cor, unum os*, etc.

(5) *Strom.* lib. VII, n. 17, ubi præclare indivisibilem Ecclesiae catholicæ

Alex. (1), Epiphanius (2), Optatus (3), Hilarius (4), Ambrosius (5) ceterique subsequentes. In eo omnes conveniunt, necessariam esse communicationem cum centro unitatis, ut Ecclesiæ catholicæ membra haberi queant. Eorum Patrum effata suo loco effere-
mus. In eo conveniunt iterum omnes, ut affirmant Ecclesiam scindi nullo modo posse (6). Mirum est post adeo luculenta et vulgata testimonia, adversarium affirmare potuisse, ex Patribus non constare, unitatem esse debere actualem, perfectam ac sine interruptione.

205. Ad 6^m, *Neg.* vel *dist.* Constat ex historia ecclesiastica, interdum salva unitate communionem interruptam fuisse schismate materiali, aut interruptione imperfecta, *conc.*; schismate formali ac interruptione perfecta, qua vere in partes discissa sit Ecclesia, *neg.* Res plana fiet ex singulorum, quæ objiciuntur, factorum discussione.

unitatem commendat, vocatque ejus excellentiam. Cfr. edit. Potteri, Venet. 1757, tom. II, p. 898. et seq.

(1) *Epist.* III, ad *Novatian.* opp. edit. De Magistris, Romæ 1796, pag. 123, in quam cfr. not. editor. loc. item *Epist.* IX ad *Dionysium*, quæ est VI, *De Baptismo*, ibid. pag. 160.

(2) Hæres. LXXX, n. 10 et 11, edit. Petav. item in *Expositione fidei*, cap. 6, ubi ad rem nostram præclare adnotat S. Epiphanius, hoc intercedere discrimen inter Ecclesiam sanctam catholicam et sectas, quod illa virgo semper sit, intemerata, ac una semper, sectæ vero sive hæreses in plures partes scindantur. En ejus verba: 'Ἄλλα καὶ ἐκείνο παρατηρητέον, ἔτι πολλάκις καθ' ἑαυτὴν πάλιν ἐκάστη αἵρεσις σχίσασα εἰς πολλὰ μέρη, καὶ ὀνόματα διέστη, κ. τ. λ. Id est: *Quin et illud observatione dignum est, sæpe numero quamlibet per sese*

hæresim scissam, ac divisam varias in partes, et vocabula distrahi, etc.

(3) Lib. II, pag. 48, edit. Albaspin. Paris. 1631.

(4) *De Trinit.* lib. VIII, num. 4.

(5) Loc. cit. collato cum lib. I *De fide* cap. 1, n. 11, ubi exponit, quo sensu dixerit Ecclesiam unum corpus, etc. scribens: *Non enim dividitur unitas nec scinditur, et ideo nec corruptelæ subditur nec ætati.* edit. Maur. Juxta Palmer vero unitas Ecclesiæ posset interrumpi et scindi, per diuturnum quoque, imo indefinitum tempus.

(6) Præter textum hic adductum ex S. Ambrosio, S. Joan. Chrysostomus, *Hom.* XI in *epist. ad Ephes.* totus in eo est, ut ostendat, Ecclesiæ unitatem scindi nullo modo posse aut interrumpi, cfr. n. 3, 4, 5, 6. Quoad reliqua testimonia cfr. Thomassini, tract. cit. *De l'unité de l'Église*; item opusc.

206. In primis seponenda sunt tria priora facta; siquidem exploratum nunc apud eruditos est, neque S. Victorem excommunicationis sententiam tulisse in Asiaticos, neque S. Stephanum adversus S. Cyprianum et africanos Episcopos (1). Nescio porro, unde adversarius didicerit S. Leonem excommunicasse S. Hilarium Arelatensem, de qua excommunicatione nuspiam in fastis ecclesiasticæ historiæ vestigium occurrit (2).

207. Ætate autem S. Joan. Chrysostomi nunquam fuerunt in universum divisæ Ecclesiæ orientales ab occidentalibus, cum nunquam anathema latum fuerit ab Innocentio, aut Concilio occidentalium adversus orientales (3). Sed post Chrysostomi obitum Innocentius excommunicavit *homines* illos, qui iniquam tulerant adversus eundem Chrysostomum sententiam, aut eos qui cum ipsis communicabant; nec omnino aliter voluit in communionem recipere reos Episcopos, quam prius sacris diptycis nomen Joannis restituerent, quod paulo post ab omnibus factum est. Hinc nulla hic habetur Ecclesiæ divisio, sed mulctatio tantum eorum, qui se gravissimo crimine commaculaverant (4).

ex gallico idiomate conversum cum tit. *Trattato dello scisma*, 1718.

(1) Quoad Asianos cfr. Natal. Alex. diss. v, in sec. 11, art. 5, et Eusebius *Hist. eccl.* lib. v, cap. 24, cum not. Valesii. Quod vero spectat ad factum S. Cypriani ejusque asseclorum, cfr. idem Nat. Alex. diss. xii, in sec. 111, art. 1, prop. 1.

(2) Cfr. eruditæ observationes fratrum Ballerini in dissertationem v Quesnelli, quæ apologiam pro S. Hilario Arelatensi et pro antiquis Arelatensis Ecclesiæ juribus præfert, opp. S. Leonis, tom. 11, Venet. 1756, a pag. 899 ad pag. 1068. Ubi quamvis particulatim gesta omnia, quæ ad celebrem hanc causam spectant, expendantur, nec syllaba nec vocula occurrit de excommunicationis sententia lata a

S. Leone adversus S. Hilarium; sed solum ex iis discimus, S. Hilarium privatam fuisse juribus metropoliticiis, cui sententiæ S. Hilarius humillime se subjecit.

(3) Cfr. S. Joan. Chrysostomi vita a Montfauconio adornata, tom. xiiii, edit. opp. ejusdem sancti, pag. 153, ubi auctoritate Palladii innixus, scribit: *Secundum hæc Innocentius papa utriusque parti Joanni simul et Theophilo literas misit, utriusque communionem se admittere quidem dicens, ne Ecclesiam scinderet, judicium tamen a Theophilo latum improbens*, etc.

(4) Cfr. Baronius ad an. 407, n. 21 et seqq. et Theodoretus, *Hist. eccl.* lib. v, cap. 34, edit. Cantabrig. pag. 234, ubi inter cetera refert: *Τῶν δὲ πρὸς ἡλίον ἀνίσχοντα πάλαι οἱ πλείστοι*

208. Schisma Acacianum pariter personale fuit; et, si ipsum Acacium excipias, qui in schismate defunctus est, ejus successores Euphemijs et Macedonius schismaticis minime sunt accensendi, quamvis peculiare ob causas nomen Acacii minime e diptycis expunxerint. Jamdiu præterea nomen Rom. Pontificis Felicis iisdem sacris diptycis, a quibus per incredibilem audaciam Acacius abstulerat, fuerat restitutum. Cum tamen Acacius plures habuerit fautores, S. Hormisdas, antequam plenam pacem restitueret Orientalibus, sub Justino iis celebrem formulam subscribendam proposuit (1).

209. Magnum vero schisma occidentale materiale omnino fuit, non autem *formale*; singulæ enim obedientiæ, in tanta rerum perturbatione probabilibus rationum momentis innixæ, putabant sincera fide legitimo Pontifici subjici. Omnes porro in eo conveniebant, se centro unitatis oportere conjungi, ut ad veram Christi Ecclesiam possent pertinere; error si quis erat, versabatur circa personam. Una propterea Ecclesia absque interruptione permansit. Verum de hoc schismate inferius iterum.

210. Ad 7^m, *Neg.* illationem; alioquin Ecclesia fieret invisibilis, quod neque adversarius admittit.

ἔφυγον μὲν τῆς ἀδικίας τὴν κοινωνίαν
τὸ δὲ τῆς ἐκκλησίας οὐκ ἐμέρισαν σῶμα.
Id est : *Orientalium vero urbium
quam plurimi communionem quidem
sceleris refugerunt, corpus tamen Eccle-
siæ haudquaquam disciderunt.*

(1) Cfr. Nat. Alex. *Hist. eccl. sæc.* v, art. 16, de schismate Acacii, tum dissert. XIX et XX in sec. v; cfr. præterea Bollandiani, in *Act. Sanct.* ad diem IV Jul. tom. II ejusd. mens. pag. 22 et seqq. in vita SS. Flaviani et Eliæ; nec non Petrus Ballerinius, in Appendice ad § I, cap. II, *De vi et ratione primatus*, ubi agit de Sanctis Viris, qui floruerunt in schismatibus Meletii Antiocheni et Acacii Constantinopolitani : *Num et quate-*

nus caruerint communionem sedis Apostolicæ. Observat, porro tantum abfuisse, ut Euphemijs et Macedonius schisma foverint, ut potius omni nisu conati sint apostolicæ sedis communionem, jamdiu vivente Acacio interruptam, revocare. Quod si nomen Acacii a diptycis non expunxerunt, non ea ratio fuit, quod nutarent in fide, pro qua ambo fortiter dimicaverunt; sed aliæ fuerunt causæ particulares, quæ pro ejus temporis et loci circumstantiis satis æquæ iisdem videbantur. Interim vero nomen Rom. Pontificis Felicis jamdiu fuerat diptycis restitutum. Porro quid fecit Ecclesia anglicana, ut in communionem ab Ecclesia Romana reciperetur?

211. Ad 8^m, *Dist. Unitas actualis materialis non pertinet ad Ecclesiae essentiam, trans.; formalis, neg.* Neque alio sensu catholici theologi id fatentur. Materialem porro divisionem illam voco, quae enascitur ex concertationibus tumultibusque, qui identidem excitari ad tempus possunt peculiare inter ecclesias aut praelatos, aut privata etiam individua ad invicem, donec per solemne iudicium quaestio dirempta fuerit, dum tamen ista pergunt communicare cum universa Ecclesia; formalem vero divisionem appello, qua aliqua individua, sive Ecclesiae singulares volentes scientesque ab Ecclesiae catholicae aut a Romani Pontificis communione se subtrahunt, ut in coetus coeant eidem contrarios, aut solemni iudicio ab Ecclesia sunt separata. Isti porro cum extra Ecclesiae unitatem sint constituti, non Ecclesiam scindunt, sed ipsi ab Ecclesia scissi sunt (1). Quod vero speciatim ad Nicolium attinet, ejus auctoritate non movemur; quamvis enim illius opus *De unitate Ecclesiae* magni faciendum sit, ea tamen identidem in illo interserit, quae factionis jansenisticae seu appellantium placitis faveant, de quorum grege ipse erat (2).

(1) Bene huc quadrat, quae de Marcione scripsit S. Epiphanius, haeres. XLII, edit. Petav. tom. I, pag. 303: *Ζηλώσας λοιπὸν, καὶ εἰς μίγαν... καὶ εἰπὼν· ἔτι ἐγὼ σχίσω τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν, καὶ βαλῶ σχίσμα ἐν αὐτῇ εἰς τὸν αἰῶνα· ὡς τάληθῆ μὲν σχίσμα ἔβαλεν οὐ μικρὸν, οὐ τὴν ἐκκλησίαν σχίσας, ἀλλ' ἑαυτὸν καὶ τοὺς αὐτῷ πισθύντας.* Id est: *Ille (Marcion) vehementius excandescens... et Ecclesiam, ait, vestram ego dissociabo, in eamque schisma sempiternum immittam. Quod ille revera nec mediocre quidem iniecit, non ita tamen ut Ecclesiam, sed ut se potius ac suos discinderet.*

(2) Id patet ex ipsius verbis ex cit. tract. lib. II, ch. 10: *Secondement il est nécessaire de reconnaître un juge commun auquel on se rapporte de ce*

différend, qui est le Concile général, ce qui empêche que la division ne soit entière; puisque ceux qui, étant en division sur quelque point, contenant néanmoins d'un juge commun, sont unis réellement par l'obéissance et la soumission à ce juge. Quod quidem principium in sensu auctoris verum omnino non est. Peccat praeterea Nicolius in applicatione, dum censuit, adhuc pertinere potuisse jansenistas ad Ecclesiae unitatem, quamvis a rom. Pontifice proscripta fuerit eorum doctrina, accedente totius Ecclesiae consensu, idque sub obtentu appellationis ad futurum Concilium. Vapulat etiam Nicolius a Petro Ballerino in cit. Appendice, n. 14, in eo quod affirmat, sententiam in Acacium et communicatores latam non fuisse ab Ecclesiae corpore

212. Ad 9^m, *Dist.* Contendunt, se regularem ab Apostolis successionem habere, sed non habent, *conc.*; reipsa habent, *neg.* Causa enim anglicana a tribus fere seculis jam judicata est; unica ratio anglicani schismatis extinguendi est reditus ad communionem cum Romano Pontifice, et per hanc cum Ecclesia vere catholica; alioquin, velint nolint Anglicani, in eadem sunt conditione, in qua fuerunt Novatiani, Donatistæ aliæque schismaticæ societates, prout paulo post plenius ostendemus (1).

DIFFICULTATES

Adversus notam sanctitatis.

213. Obj. Sanctitas prout nota exterior est seu signum veræ Ecclesiæ, semper dubia erit. 1^o Etenim unica ratio, qua certo nobis de ea constare posset, esset ejusdem manifestatio per aliquod divinum testimonium, seu per miracula, aliaque charismata; jam vero quæstio de miraculis proprie ingredi nequit in notas veræ Ecclesiæ, 2^o Ipsa involvit nimis longas disquisitiones circa idem jus, quod variæ sibi communionem tribuunt 3^o Quod si vero signorum operatio ostenderetur, hæc haud necessario statueret sanctitatem eorum, qui illa patrarint, cum sanctitas absque ejusmodi signis consistere possit. 4^o Deus certe uti peccatoribus potest ad magna quævis opera perficienda (ut patet ex Balaam), aut permittere dæmoni, ut homines malos eorum ope decipiat. 5^o Quamvis negari nequeat, vera miracula post ætatem apostolicam patrata fuisse sive ad confirmandos fideles, sive ad infideles potissimum convertendos, cum vera adsit probabilitas, imo *certitudo*, quod ejusmodi signa patrata fuerint; vehementer tamen negandum est, ea a nobis expendi debere eum in finem, ut vera dignoscatur Ecclesia; 6^o eo vel magis quod non appareat, aliquod ex illis miraculis, quæ sibi quamdam fidem conciliari possint, patratum

probatam. Cohæret nempe Nicolius suæ factionis principiis.

(1) Cfr. de hoc argumento Card. du Perron, op. cit. *Réplique à la réponse*

du Roy de la Grande-Bretagne, ch. 75, quo sæpe utemur, cum in eo pleraque argumenta a Palmer reproducta repariantur jamdiu disjecta.

fuisse ad fidei vel disciplinæ controversias dirimendas inter existentes communionem, quæ christianismum profitentur (1). Ergo.

214. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Dist.* Id est, una esset ex præcipuis, *conc.*; unica, *neg.* Nec enim coarctare cogimur divinum testimonium ad manifestationem sanctitatis, vigentis in Ecclesia sua, per sola miracula et reliqua charismata, cum plures ipsi viæ suppetant ad hoc præstandum; ultro tamen fatemur, miracula unum esse ex præcipuis, quando præsertim donum ejusmodi ordinarium est ac perenne, ut paulo ante declaravimus. Hoc porro sensu quæstio de miraculis, ut loquitur adversarius, non solum ingredi potest, sed vere ingreditur in notas veræ Ecclesiæ, cum juxta dicta Christus donum hoc in perpetuum Ecclesiæ suæ pollicitus fuerit, et nulla societas, quæ Christi non sit, tali dono fruatur.

215. Ad 2^m, *Neg.* Longa siquidem disquisitione opus non est; cum nulla secta contendat, penes se donum miraculorum ordinarium ac jure perseverare. Quod si aliquæ sint, quæ sibi tribuant nonnulla miracula, hæc ad summum facta essent singularia, et quod caput est, omni historico fundamento destituta, et quorum futilitas brevi detecta est, uti opportuniore loco expendemus.

216. Ad 3^m, *Dist.* Solitarie spectata, *trans.*; una cum adjunctis, quæ miraculorum operationem comitantur, *neg.* Haud inficiamur, absolute loquendo miracula minime necessaria esse ad sanctitatem, quandoquidem hæc cum illis et sine illis consistere valeat, neque de hoc ulla movetur controversia. Verum contendimus, non posse Deum cohonestare cœtum aliquem, qui divinam sibi perperam arroget originem atque institutionem, multiplici et continuata miraculorum serie ceterorumque charismatum per longum seculorum tractum, nempe ab ortu illius

(1) Ita fere Palmer, op. cit. part. 1, cap. 6, pag. 141 seq. ubi plura congerit ad infirmandum argumentum, quod deducitur ex miraculis, quibus adstruitur Ecclesiæ sanctitas. Quoniam vero quæ hic objiciuntur, partim superius disjecerimus, cum ageremus de com-

mercio inter animam et corpus, partim expendi commodius possint, cum agemus de applicatione notarum ad Ecclesiam Romanam, hic ea tantum attulimus, quæ presse magis ad præsentem generalem quæstionem spectabant.

usque in præsens, prout contigisse in Ecclesia catholica paulo post ostendemus. Sub hoc respectu debet nota hæc impugnari; qui aliam inivit viam, diverticula quærit et elabi conatur.

217. Ad 4^m, *Dist. Potest, conc.*; solet, *neg.* Alioquin dubitare possemus, utrum Moyses, Prophetæ, Apostoli, ceterique sanctissimi viri, quibus Deus usus est ad magna molienda, fuerint mali homines ac peccatores, atque adeo nos decipere etiam potuerint utpote dæmonis instrumenta. Hæc absona omnino sunt; atque ex eo quod Deus interdum, et extraordinaria prorsus ratione, malis hominibus usus fuerit, aut etiam permiserit justo iudicio suo, ut peccatores a dæmone deciperentur, concludere ad ordinarium et consuetum suæ providentiæ ordinem paralogismus est, quem profecto intorquere in divinæ revelationis notas increduli facile possent (1).

218. Ad 5^m, *Dist. Directe, trans.*; indirecte, *neg.* Quamvis daremus, quod tamen haud concedimus, miracula, quæ Deus post ætatem apostolicam per homines pios in Ecclesia operari dignatus

(1) Apposite Fratres de Walemburch, in contro, III, *De notis seu signis veræ Ecclesiæ*, art. *Usus controversiæ de notis*, etc. § 17, ad similem difficultatem, quæ desumitur ex prædicatione falsorum miraculorum, respondent: *Sicut per prædictionem falsorum miraculorum in veteri Testamento non tollitur vis et veritas miraculorum Christi, quæ etiam a Prophetis erant prædicta: ita per prædictionem falsorum miraculorum in novo Testamento non tollitur vis et veritas miraculorum, quæ contingunt in Ecclesia Christi, juxta Prophetiam Christi. Assignent nobis Protestantes Ecclesiam, in qua successivis temporibus contigerunt et contingunt miracula. Hoc si non possunt, jam illorum cavillationes non tam erunt contra miracula Ecclesiæ catholicæ*

quam contra prophetiam Christi, ut illam destruunt. Hactenus illi. Nos vero addimus, hæc ipsa objici ab incredulis adversus veritatem divinæ revelationis, ut patet ex iis, quæ tract. *De vera relig.* disseruimus, part. 1, cap. 3; ab adversariis proinde etiam solvi deberent. Accedit, rarissima esse exempla in Novo Test. quod Deus vel per homines impios ediderit miracula, aut permiserit dæmoni, ut per præstigias homines deciperet malos; et si in N. T. excipias, quod legitur de Caipha, qui prophetavit, nullum prorsus exemplum occurrit de ejusmodi deceptione a Deo permissa. Licet vero Caiphas fuerit pessimus homo, disposuit tamen Deus, ut in eo, quod ille pessima intentione protulerat, prophetia contineretur. Cfr. Maldonatus, in cap. XI Joan. v. 51.

est, directe ordinata esse ad confirmationem fidelium (1) atque ad infidelium conversionem, nemo tamen negaverit, indirecte saltem ea conferre ad patefaciendum, gratum acceptumque Deo esse coetum illum, in quo solo ordinare fiunt. Quæri insuper jure posset ab adversariis, qui fiat, ut ejusmodi prodigia constanter ab hominibus tantum ad illum peculiarem coetum seu societatem spectantibus patrentur, minime vero ab aliis, nisi quia Deus aperte vult hominibus exhibere signum, quo dignoscatur, illam et non aliam esse societatem a se institutam?

219. Ad 6^m, Resp. 1^o *Neg.* Eadem nempe ratione, qua olim Deus peringentia patravit miracula ad controversiam dirimendam de vera religione inter Israelitas et Judæos (2), sic in novo foedere non destitit, cum opus fuit, eadem signa edere ad veram Ecclesiam suam a falsis quibusque sectis discernendam (3).

220. Resp. 2^o *Dist.* Quia ad controversiam sive fidei sive disciplinæ dirimendam opus miraculis non est, *conc.*; secus, *neg.* Deus enim satis providit hominibus in ejusmodi controversiis per infallibile Ecclesiæ magisterium, cui si fidem adhibere sectarii noluerint, neque prodigiis acquiescent, uti Christus ipse testatus

(1) Nescio, quomodo sibi cohæreat adversarius, dum contendit miracula fieri ad confirmationem fidelium, et nihilominus negat hæc veram Ecclesiam patefacere seu manifestare. In qua enim fide confirmarentur Christiani? Num in falsa? At hoc absque impietate dici nequit, perinde ac si Deus ederet miracula ad confirmandos Christianos in fide falsa. Num in vera? Sed si ita est, ergo hoc ipso per miracula Deus veram illam Ecclesiam esse ostendit, in qua ejusmodi miracula eduntur.

(2) Cfr. III Reg. XVIII, 21 et seqq.

(3) Plura identidem miracula edidit Deus, sive antiquis sive recentioribus temporibus, ad Ecclesiæ suæ veritatem confirmandam atque a sectis

sive hæreticis sive schismaticis discernendam. Cfr. quæ in confirmationem disciplinæ Ecclesiæ catholicæ adversus sectam Novatianorum refert ex Dionysio Alex. Eusebius, *Hist. eccl.* lib. VI, cap. 44; item quæ per S. Basilium M. adversus sectam Arianorum refert Garnerius in ejus vita, opp. tom. III, pag. 103 et seqq.; et quæ in vita S. Joannis Damasceni adversus sectam Iconomachorum referuntur apud P. Le Quien, tom. I, pag. 11 et seqq. ut alia pene innumera præteream adversus alias sectas, quæ studiosos historiæ ecclesiasticæ minime latent. Hæc speciminis gratia nobis attulisse sufficiat ad falsitatis arguendam adversarii assertionem.

est (1), et experientia identidem ostendit. Deinde cum ex dictis miracula, quæ in vera Ecclesia fieri consueverunt, saltem indirecte eam patefaciant, non est cur in eum finem alia edi miracula debeant.

DIFFICULTATES

Adversus notas catholicitatis et apostolicitatis.

221. Obj. prima. Nequit catholicitas ut veræ Ecclesiæ nota assignari; 1^o quia nota talis esse debet, ut ejus ope vera Ecclesia quovis tempore agnosci queat; porro in Ecclesiæ primordiis nota hæc Christi societati nondum aptari poterat; 2^o quia interdum adeo coarctari Ecclesia potest, ut intra unicam provinciam aut regnum contineatur; 3^o quare nonnulli theologi catholici, quos inter Bellarminus, receperunt se ad adstruendam catholicitatem *sucessivam*, non autem permanentem; cui sententiæ imprudenter aliqui Protestantes subscripsere, eo quod sibi favere ipsis videretur; sed si ita esset, in quonam differret christianismus a judaismo? 4^o Nunquam promisit Christus, ejusmodi Ecclesiæ suæ per universum orbem diffusionem fore perpetuam. 5^o Nondum verificaretur hæc nota in ulla societate christiana; siquidem innumeræ adhuc gentes sunt, inter quas Ecclesia necdum diffusa est, cum illis Evangelium nondum sit annuntiatum. 6^o Nulla denique peculiaris communio christiana seorsum sumpta ubique terrarum propagata est, adeoque nulli competeret hæc nota. Ergo.

222. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Dist.* Ecclesia in suis primordiis nondum materiali, ut ita dicam, diffusionem fruebatur, ita ut sub hoc respectu aptari non posset hæc nota, *trans.* vel *conc.*; nondum natura sua erat catholica et ad illam diffusionem ordinata, *neg.* Catholicitas, uti ostendimus, natura sua profluit ex unitate Ecclesiæ, adeoque proprietas ipsi intrinseca est; propterea et nota hæc ipsi perpetuo adhærere debet. Quod si ab initio rei christianæ nondum Ecclesia ubique erat diffusa, cum ex Christi institutione ordinata esset ad hanc universalem diffusionem.,

(1) Luc. xvi, 19.

quam etiam ipse futuram prædixit, jure merito dici poterat, et natura sua erat catholica. Adde, neque necessariam tunc temporis fuisse hanc notam, prout signum externum est, ad veram discernendam Ecclesiam, cum nullæ adhuc sectæ prodiissent, cum quibus comparari posset. Cito vero ubique locorum diffusa est, ut vidimus ex Apostolo Paulo, et tunc exortis sectis illico ex hac notaprehendebatur vera Ecclesia.

223. Ad 2^m, Vel *neg.* vel *dist.* Ita ut per communicationem cum eadem Ecclesia, quæ ubique locorum olim disseminata fuit, semper catholica maneat, *trans.*; secus, *neg.* Responsio ex mox dicendis patebit.

224. Ad 3^m, *Dist.* Id est, nonnulli theologi catholici docuerunt, non semper necessariam esse diffusionem universalem simultaneam, *conc.*; docuerunt in sensu exclusivo posse esse successivam, *neg.* Etenim Bellarminus unice contendit cum Driedone aliisque paucis, necesse non esse ad Ecclesiam catholicam constituendam, ut uno eodemque tempore *innotescat in omnibus provinciis et in omnibus fructificet*, prout statuerat cum S. Augustino (1), sed sufficere, si successive fiat, ita tamen, ut in hypothesisi, quod Ecclesia ad unam coarctaretur provinciam, manifeste constet, eam communicare cum eadem Ecclesia, quæ alia ætate per universum terrarum orbem fuerit diffusa. Quidquid porro sit de singulari hac sententia, quam non cogimur amplecti aut adstruere, quæque hypothetica potius est quam absoluta, patet, eam nullo modo favere sectis quibuscumque, quæ ostendere nunquam poterunt communicationem cum Ecclesia, quæ totum aliquando orbem occupaverit, multo vero minus confundi Ecclesiam cum synagoga, quæ ad unum tempus et ad unum locum ordinata erat, secus ac postulet institutio et natura Ecclesiæ Christi, ut in objecto loco accurate expendit Bellarminus (2).

(1) Epist. xcix, *Ad Hesychium*, *De fine mundi*, al. lxxx, cap. xii, n. 46 et seqq.

(2) *De notis Ecclesiæ*, lib. iv, cap. 7, ubi quatuor circa notam catholicitatis

observat: 1^o ut Ecclesia sit catholica, requiri, *ut non excludat ulla tempora, loca, vel hominum genera*, in quo distinguitur a synagoga, quæ erat Ecclesia particularis, non catholica, utpote al-

225. Ad 4^m, *Dist. Expresse, trans.; æquivalenter, neg.* Huc pariter aptari potest responsio, quam simili difficultati superius dedimus, cum objiceretur, nusquam Christum promisisse, nullam unquam fore in Ecclesia sua divisionem aut interruptionem in unitate. Nam hoc ipso, quod Christus pollicitus fuerit Ecclesiam suam fore perpetuam, pollicitus est talem futuram cum proprietatibus suis omnibus essentialibus, unitatis nempe, sanctitatis, catholicitatis et apostolicitatis, ac propterea cum notis, quæ exinde profluunt et efflorescunt. Sane de ejus regno, quod est Ecclesia, scriptum est: *Regnum ejus regnum omnium seculorum* (1), et *Regni ejus non erit finis* (2).

226. Ad 5^m, *Neg.* Etenim jam a tempore Apostolorum verificata fuerat, testante Paulo, et adhuc verificatur, et verificabitur usque ad consummationem seculi, juxta Christi vaticinium: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in*

ligata tempori, nempe usque ad adventum Christi, item uni loco et uni familiæ, seu filiis Jacob; 2^o non requiri, ut sit in omnibus locis totius mundi, sed tamen *ut innotescat omnibus provinciis et in omnibus fructificet*, ita ut in omnibus provinciis aliqui sint de Ecclesia; 3^o non requiri, ut hoc fiat simul, ita ut uno tempore in omnibus provinciis necessario esse oporteat aliquos fideles. Satis enim est, si fiat *successive*. Ex quo id sequitur, inquit, quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc vere et proprie diceretur Ecclesia catholica, dummodo clare ostenderetur, eam esse unam et eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore vel diversis in toto mundo, quemadmodum nunc quælibet diœcesis dicitur catholica, quæ est continuata cum aliis, quæ faciunt Ecclesiam catholicam; denique quod, etsi Ecclesia non necessario debuit simul

esse in omnibus locis, tamen hoc tempore debet necessario vel esse, vel fuisse in majori parte orbis terræ. Hac ratione exposita mens Bellarmini nihil habet, quod repugnet. Attamen Palmer perstringit tertiam observationem Bellarmini, quasi vero ex ea sequeretur, universalitatem debere esse successivam, ita ut ex una in alteram provinciam migrare deberet Ecclesia semper coarctata ad unam provinciam ad instar judaismi. Hanc porro non esse Bellarmini mentem ex iis, quæ adduximus manifestum est. Nec alia mens Driedoni fuit, cujus sententiam Bellarminus suam fecit, aut Cano, ut patet ex iis, quæ eleganter disputat, lib. IV, cap. 6, in solutione decimi tertii argumenti. Quorum omnium ratio petitur ex identitate Ecclesiæ quovis tempore et quovis loco.

(1) Ps. cXLIV, 13; Dan. VII, 18.

(2) Luc I, 33.

testimonium gentibus, et tunc veniet consummatio (1). Igitur, donec consummatio veniat, prædicatio Evangelii in universo terrarum orbe perpetuum erit testimonium, seu signum aut nota veræ Ecclesiæ. Quod verò jam inde ab ætate apostolica hæc nota verificata fuerit, testatur Paulus, dicens: *Prædicatum est* (Evangelium) *in universa creatura, quæ sub cælo est*. Hoc porro prædicationis opus, inceptum ab Apostolis, jugiter per Ecclesiam continuatum est ad hæc usque tempora, et continuabitur usque ad secundum Christi adventum (2).

227. Ad 6^m, *Dist.* Physice ac mathematice, *cono.*; moraliter, *neg.* Nemo autem est qui contenderit, Ecclesiæ diffusionem debere physicam esse, quod plane adversaretur Pauli expositioni innumerisque aliis Scripturarum locis (3). Moraliter vero Ecclesiam catholicam ubique terrarum semper fuisse et esse diffusam ad discrimen sectarum, paulo post ostendemus.

228. Obj. secunda. 1^o Cum apostolicitas in successione doctrinæ, non autem in successione personarum proprie consistat, jure infertur, nihil ex illa extundi posse, quod uni potius quam alteri societati christianæ faveat. 2^o Nulla est, secta quæ non jactet se habere doctrinam apostolicam; 3^o imo nulla est quæ ideo exorta non sit, ut corruptionem hominum vitio tractu temporis inductam in doctrinâ apostolica convelleret, ac propterea ut doctrinam ad primævam puritatem, ad verbum scilicet Dei sincere ab Apostolis prædicatum revocaret. 4^o Quod si quis contendat, etiam in successione personarum apostolicitatis notam sitam esse, meminisse is debet, haud paucas societates hanc præ se ferre successionem in episcopis suis, cujusmodi sunt præter romanam, nestoriana, eutychiana, græca, russica, etc, quas tamen omnes veram esse Christi Ecclesiam nemo certo affirmabit. Ergo.

229. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Apostolicitas consistit in successione

(1) Matth. xxiv, 14.

(2) Cfr. Fratres de Walenburch, tom. II, *De Eccles.* part. III, contr. III, part. post. § 27 et seqq.

(3) Rom. x, 18; Coloss. I, 5; I Tim. III, 15; Ps. LXXI, 8, etc. Cfr. S. Augustinus epist. cit. CXIX, *Ad Herychium*, cap. 12, n. 46 et seqq.

doctrinæ per successionem personarum, *conc.*; in sola successione doctrinæ, *neg.* Hoc ipso enim, quod juxta adversarios apostolicitas consistit in successione doctrinæ, seu potius in doctrinæ identitate, consistere eandem constat in successione personarum. Intelligi quippe nequit, quomodo eadem propagari possit doctrina, quin eodem tempore sibi invicem succedant, qui eandem doctrinam propagant; nam *Fides ex auditu... quomodo autem audient sine prædicante* (1)? Unica igitur et vera ratio cognoscendi, utrum eadem vigeat doctrina, quæ semel ab Apostolis tradita est, successio est eorum, qui sine interruptione ab Apostolis ad nos usque perseverant; cum vero ejusmodi successio non nisi in vera Christi Ecclesia reperitur, patet hanc notam nulli prorsus societati, quæ Christi non sit, favere posse.

230. Ad 2^m, *Dist.* Nulla est secta, quæ eam se habere non jactet, *conc.*; quæ vere habeat, quod jactat se habere, *neg.* Nam cum ex modo dictis ostendi nequeat absque personarum legitima successione identitas doctrinæ cum ea, quam Apostoli prædicarunt, hac vero careant sectæ prorsus omnes sive hæreticæ sive schismaticæ, jure infertur, nunquam illas ostendere posse se eam possidere doctrinam, quæ apostolica sit.

231. Ad 3^m, *Dist.* Id est, nulla est secta, quæ hoc pallio contegere nisa non sit propriam perduellionem adversus legitimam veræ Ecclesiæ magisterium, *conc.*; quæ re ipsa id fecerit, *neg.* Eodem pallio usi sunt antiqui Docetæ, Cerinthiani ac Gnostici quo suam tegerent perduellionem adversus magisterium Apostolorum, ut scilicet eorum doctrinam revocarent ad puriorem Christi doctrinam perperam ab Apostolis rudibus intellectam (2). Cum præterea sectæ contradictoria doceant, licet ad unam omnes eodem prætextu usæ fuerint, argumento est ineluctabili, eas non revocasse Ecclesiam ad primævam Apostolorum doctrinam, sed

(1) Rom. x, 14.

(2) Ita testatur S. Irenæus, lib. III, n. 12, scribens de hæreticis: *Putaverunt semetipsos plus invenisse, quam Apostoli, ... et Apostolos quidem, adhuc quæ sunt Judæorum sentientes,*

annunciassent Evangelium, se autem sinceriores et prudentiores Apostolis esse. Eandem impietatem renovasse ex protestantibus rationalistas, ostendimus in tract. *De vera religione*, p. II.

incredibili audacia sibi munus arrogasse docendi matrem suam, perinde ac si ab ipsa, cui soli docendi munus Christus demandavit, perverse instituti essent (1).

232. Ad 4^m, *Dist.* Haud paucæ societates christianæ hanc præ se ferunt successionem materialem, *trans.* vel *conc.*; formalem, *neg.* Jam superius declaravimus, quidnam intersit inter utrumque successionem; quamvis propterea nonnullæ societates, quæ hierarchicum regimen servaverunt, materialem episcoporum successionem aliqua ratione præ se ferant, cum tamen nulla habeat successionem formalem, præter romanam, ut inferius ostendemus, patet, eas non potiori jure dici posse apostolicas quam quo se potuerint vocare Ecclesiam judaicam schismaticæ tribus israeliticæ, eo quod sacerdotes a Jeroboam vitulis aureis præfecti originem traxerint ex levitico genere (2).

ARTICULUS II.

Recensitæ veræ Ecclesiæ notæ soli Romanæ Ecclesiæ et competunt et competere possunt, quæ proinde ex eisdem sola vera esse Ecclesia Christi dignoscitur.

233. Propositio, ut patet ex ejus enunciatione, duas complectitur partes, alteram positivam, qua Ecclesiæ romanæ adscribuntur et vindicantur quatuor recensitæ notæ, alteram negativam, qua communionibus omnibus seu societatibus quibuscumque ab Ecclesia romana divisis ac separatis, quæque christiano

(1) Optime idem S. Martyr, lib. 1, ex contradictoriis hæreticorum doctrinis, atque ex Ecclesiæ catholicæ, in eadem tradenda, firmitate et constantia colligebat, eos agi spiritibus erroris, hanc autem a Deo esse edoctam. Sic enim disserit, cap. 9, n. 5: *Bene habere putavimus ostendere primo, in quibus ipsi patres hujus fabulæ (hæreticorum) discrepant adversus se in-*

vicem, quasi qui sint ex variis spiritibus erroris. Et ex hoc enim diligenter cognoscere est, et ex ostensione, eam firmam, quæ ab Ecclesia prædicatur, veritatem, et ab iis, quod fingitur, falsiloquium. Quod deinde prosequitur ibid. cap. 10.

(2) Cfr. Massuetus adversus Grabium, *Diss. III Irenaica*, art. 4, n. 41; nec non Card. Du Perron, loc. cit.

nomine censentur, eadem notæ prorsus ablegantur. Seorsum proinde unaquæque pars assertæ thesis evincenda est.

334. Ad technas autem omnes præoccupandas adnotamus: 1^o hic nomine *Ecclesiæ Romanæ* minime nos significare particularem Ecclesiam, quam Romanus Pontifex immediate ac per se regit atque administrat (1), sed Ecclesias universas, quæ cum romana communicant. 2^o Ideo nos eas vocasse Ecclesiam *Romanam*, non autem catholicam, tum ne assumere videremur, quod est in quæstione; tum ne relinqueremus effugium adversariis, qui, quamvis abhorreant ab Ecclesia catholica eamque oppugnent, affectant nihilominus cœtus suos peculiare *Ecclesiam catholicam* denominare (2); tum denique ut excluderemus Ecclesiæ catholicæ notionem, quam non ita pridem nonnulli invexerunt, perinde ac si ipsa esset collectio plurium sectarum; quæ sibi invicem adversantur, dummodo regimen hierarchicum servent (3).

Quibus ita compositis, sic inceptum iter insistimus.

(1) Hunc sensum interdum adversarii affingunt Ecclesiæ romanæ; sic confessio Helvetica post art. 17, p. 51, in qua legitur: *Nec romanensem approbamus clerum, qui solam prope romanam Ecclesiam venditant pro catholica*. Qui talia effutiant, andabatarum more pugnans, et aërem verberant.

(2) Ita passim se vocat Ecclesia anglicana, multo vero magis Ecclesia russica aliæque non paucæ.

(3) Tale est systema doctorum Oxoniensium, præsertim vero Palmer, qui ex præjacto principio, quod paulo ante discussimus, dari posse unitatem Ecclesiæ, quamvis hæc patiatur interruptionem in exteriori communione, infert, part. 1, cap. 9 et seqq. Ecclesias orientales, nempe græco-schismaticas, et

Ecclesias britannicas concurrere una cum *Ecclesiis obedientiæ romanæ*, ut ipse loquitur, ad constituendam Ecclesiam catholicam, cujus romana veluti pars collateralis sit. Quoad Ecclesias lutheranas et reformatas, *generaliter saltem quodam sensu* eas etiam ad Ecclesiam pertinere contendit, eo quod voluntarie minime se ab Ecclesia catholica separaverint, sed ab Ecclesia romana expulsæ sint. Hæc omnia inferius expendemus. Interim patet, quænam vigeat apud adversarios idearum, ut ita dicam, confusio, et quanto in pretio habeatur Ecclesia catholica, a qua licet divisæ sint eorum sectæ et damnentur veluti hæreticæ aut schismaticæ, nomen tamen et communionem cum ipsa affectant. Tanta est vis veritatis!

*Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas Ecclesiae
Romanæ.*

235. Ac primo quidem unitatem Romanæ Ecclesiæ competere evincitur ex notione, quam hujus notæ exhibuimus, quæque nimirum exurgit ex unitate fidei et communionis una cum medio ad utramque producendam et conservandam idoneo, quod aliud neque est neque esse potest nisi principium auctoritatis. Porro Ecclesiæ Romanæ constitutio principio auctoritatis, et quidem infallibilis in docendo, et supremæ in regendo (quas dotes paulo post ei vindicabimus), innititur. Quo fit ut omnia et singula membra ejusdem Ecclesiæ teneantur ejus solemnibus definitionibus non solum corde, sed et mente se subjicere, si velint in eadem permanere; fit ut membra ejus singula ita debeant et cum capite ejus visibili, Romano Pontifice, et secum invicem communicare, ac pastoribus suis sub Romano Pontifice obtemperare et subjici, ut tanquam ethnici et publicani habeantur quicumque sub quovis prætextu superioribus suis respectivis, Romano præsertim Pontifici ejusmodi subjectionem detrectant. Omnimoda proinde ex ipsa Ecclesiæ Romanæ constitutione profluit unitas, seu unum ovile, unus grex, unum regnum, una domus, unus spiritus, unum corpus, una fides, unus pastor, unum caput, unum fundamentum, cujusmodi nempe vidimus a Christo suam fuisse Ecclesiam institutam. Vi propterea hujus constitutionis Ecclesia Romana servavit hanc omnimodam unitatem sive fidei, expellendo quovis tempore novatores in sensu suo pervicaces, sive communionis, rejiciendo veluti schismaticos quoscumque, qui debitam ei subjectionem denegant. Tota historia ecclesiastica hujusce Ecclesiæ Romanæ agendi rationis testis est locupletissima.

236. Quum vero ex dictis in nota unitatis ceteræ includantur, aut ex ea suapte natura dimanent, pronum est inferre, una cum illa posteriores notas Ecclesiæ Romanæ pariter competere. Sane cum nota sanctitatis, prout exterior et visibilis est, uti ejus natura postulat, patefiat non modo exercitio omnium virtutum etiam in summo gradu, quatenus complectitur etiam consilia evan-

gelica (1), verum etiam affluentia charismatum, præsertim miraculorum, quam Christus in perpetuum Ecclesiæ suæ promisit, atque mira fœcunditate in gentium conversione, qua idem Christus eam præditam voluit, si hæc omnia in Ecclesia romana semper reperta sunt ac reperiuntur, jure concluditur, eam hac nota fulgere. Jam vero quovis tempore homines sanctitate eximia conspicuos eosdemque pene innumeros in illa floruisse, ille solus ignorat, qui ejus fastos minime perlustraverit (2). Item consilia evangelica viguisse et adhuc vigere in eadem Ecclesia, innumeræ

(1) Merito S. Franciscus Salesius, postquam pluribus ostendit, Christum evangelica consilia dedisse Ecclesiæ suæ, concludit, illam esse veram Ecclesiam, quæ quovis tempore ea executioni mandavit. Sed lubet ejus verba hic describere: *Egli, (Christus), inquit, li ha praticati, e li ha fatti praticare alla primitiva sua Chiesa; tutti sono scritti, e registrati; e la vita istessa del Salvatore altro non è che un' instruzione per i suoi fedeli; dunque la Chiesa ne debbe fare il proprio profitto, ed uno degli esercizi della cristiana religione è di praticare questa povertà, quest' ubbidienza, e questo annegamento di sè medesimo. E di fatto, la Chiesa ha sempre frequentati esercizi in ogni suo stato, dunque son tutti proprj di lei: altrimenti a che utile tante esortazioni, se non dovessero essere praticate? D'onde ne segue, che nella vera Chiesa, debba risplendere la vera perfezione della vita cristiana. Collezione completa di tutte le opere di S. Francesco di Sales. Brescia 1830, tom. viii, disc. xiv, pag. 191. Cfr. etiam disc. viii et seqq. in quibus sanctus et doctus Præsul, qui tot tum voce tum scriptis de protestantium erroribus*

triumphos reportavit, evolvit singillatim argumenta, quæ nos vix innumis brevitatis gratia.

(2) Satis est ad hoc sibi persuadendum, ut quis immensam evolvat Bollandianorum collectionem. Cfr. etiam Coccias, in *Thesouro catholico*, Colon. 1600, tom. i, lib. 3, *De signis Ecclesiæ*, art. 11, *Vitæ morumque sanctimoniam esse certum Ecclesiæ signum*, ubi exhibet catalogum illustrium Ecclesiæ Sanctorum ab origine mundi usque ad annum 1580 Christi, pag. 1099 et seqq. Hic autem catalogus facile produci posset usque ad ætatem nostram; siquidem nullum effluit seculum, in quo passim non fiant solemnnes servorum Dei *beatificationes*, ac Beatorum *canonizationes*, in quarum singulis quinque aut septem in Sanctorum album referri solent post longum et accuratum de virtutum omnium in summo gradu exercitio examen, de quo mox dicemus. Sane a Pio vii anno 1807 quinque, et a Gregorio xvi totidem, die 26 Maji 1839, Sanctis adscripti sunt. Sic Ecclesia romana, quæ vera Christi Ecclesia est, producit fructus suos.

prope religiosorum familiæ, quæ tum propriæ perfectioni student tum proximorum utilitati, ineluctabile sunt documentum. Insuper prophetiæ ac miraculorum dono ceterorumque charismatum per ætates singulas quamplurimos in eadem Ecclesia claruisse, monumenta indubia testantur, quæ nonnisi ab incredulis despici possunt (1), nec pauci adversarii fatentur; rigidum præterea examen, quod de iis institui solet, quamvis rationabilem dubitationem de illorum veritate excludit (2). Mira demum fœcunditate

(1) Cfr. Judocus Coccius, op. et loc. cit. *De signis Ecclesiæ*, art. 13, *Perpetuis miraculis veram Ecclesiam a falsa internosci*, ubi exhibet catalogam illustrium Ecclesiæ miraculorum ante et post Christum natum ad hæc usque tempora, nempe 1580. Quamvis non omnia, quæ hic auctor recenset, miracula ad critices severioris leges exigi possint, plura tamen sunt, quæ in dubium absque levitate ac temeritate revocari nequeunt. Vid. etiam Segneri, *L'incredulo senza scusa*, p. 11, cap. 5 ad 9; Card. Gotti, *La vera Chiesa di Cristo*, Bologna 1719, tom. 1, cap. 2; Bollandiani, mens. septemb. tom. vi, edit. Antwerp. ad diem xix, pag. 852, § 29, *Ostenditur luculentissimis testimoniis, gratiam miraculorum perseverasse in Ecclesia; inauditæ calumniæ Joannis Clerici id impudenter negantis*.

(2) Confecto examine, ac per decretum Pontificis dubio de virtutibus resoluta, aliud proponitur a sac. rituum Congregatione: *An et de quibus miraculis constet ad effectum, de quo agitur?* Hic jam supponitur confectus juridicus processus de *facti veritate*, et inquiritur in ejus valorem ac naturam, et gradum miraculorum, quæ patrata ad

invocationem alicujus servi Dei perhibentur. Ut porro felix hujus resolutionis exitus contingat, requiritur: 1° Ut per testes de visu, aut etiam de auditu a testibus de visu, aut præterea a testibus auditus de auditu, constet de utroque, ut vocant, miraculi extremo, mortis ex. gr. et excitationis, morbi et sanationis. 2° Cum de hoc posteriori miraculorum genere sermo est, constare præterea debet de septem concurrentibus ad vere et proprie dictum miraculum constituendum; quod scilicet morbus sit gravis, vel impossibilis vel curatu difficilis; quod morbus, qui depellitur, non sit in ultima parte status, ita ut haud multo post declinare debeat; quod nulla adhibita fuerint medicamenta, vel, si fuerint adhibita, certum sit ea minime profuisse; quod sanatio subita sit atque instantanea; quod sanatio sit perfecta, non manca vel concisa; quod nulla notatu digna crisis præcedat temporibus debitis et cum causa; postremo quod sublatus morbus non redeat. 3° Ut vero tuto de iis constare possit, præter testes, de quibus diximus, adsciscuntur a causæ postulatoribus medici, pharmacopolæ, chirurgi, etc. ii nimirum omnes qui, curam ægroti susceperunt; his adjii-

in gentibus convertendis præditam eandem Ecclesiam esse, fidem faciunt populi omnes, qui ab ætate apostolica in Christum crediderunt (1). Cum igitur ex fructibus cognoscatur arbor, et ex actionibus vita, patet, Romanam Ecclesiam esse plantationem illam, quam plantavit Pater coelestis; esse corpus vivum, corpus Christi mysticum, vita ac vigore pollens, anima seu gratia sanctificante informatum, cum virtutibus reliquis, quæ ex ipsa et cum ipsa subsistunt.

237. Catholicam pariter esse Romanam Ecclesiam, seu ad eam spectare catholicitatis notam, duo illa criteria, quibus hæc nota juxta dicta distinguitur, apertissime conficiunt. Etenim Ecclesia Romana imprimis ubique semper diffusa est, ac ubique diffunditur, et ita diffunditur, ut eadem plane sit sive unitate fidei, sive unitate communionis, tum ratione temporis, tum ratione loci. Sane ad diffusionem quod attinet, universas provincias sive orientales sive occidentales Ecclesiam Romanam occupasse, constat ex disputationibus Patrum adversus hæreticos, potissimum vero adversus schismaticos Novatianos, Donatistas, Luciferianos, etc. (2);

ciuntur ab iisdem postulatoribus alii ad minus duo medici doctrina præstantes, ut circa morbi naturam et sanitatem suffragium ferant; præter quos duo alii a sacra Congregatione deputantur, ut pro rei veritate iterum rem expendant et suffragium in scriptis emittant, qui omnes et singuli non nisi interposito jurisjurandi sacramento suam possunt aperire sententiam. 4° Ut constet de invocatione sive expressa sive tacita per applicationem imaginis aut reliquiarum servi Dei, vel ab infirmo, vel ab alio aliquo. 5° Hæc omnia ad trutinam ter revocantur, appositis semper novis Promotoris fidei seu oppugnantis animadversionibus; et donec cujusvis dubitationis vel levissima haud fuerit depulsa nubecula, non pronunciat S. Sedes veritatem miraculi, sci-

licet de illo constare. Si vero vel unus supersit in recensitis defectus, qui tolli non possit, miraculum plane rejicitur. Cfr. Benedict. XIV, *De beatificat. et canonizat. Sanctorum*, lib. IV, p. 1, cap. 8, n. 2 et seqq. Nunc provocamus acatholicos omnes, ut inveniunt alicubi tribunal, in quo severo adeo examini subjiciantur quæcumque causæ. Attamen ipsi sunt qui rident miracula Ecclesiæ romanæ!

(1) Nulla prorsus gens est, quæ ad Christum conversa sit, nisi Ecclesiæ romanæ seu catholicæ ministerio. Cfr. quæ scripsimus in tract. *De vera religione*, p. II, prop. X.

(2) Cfr. apud Thomassinum, op. et loc. cit. et apud Fratres de Walemburch, controv. III, part. II, § 4 prob. ex Patribus.

post detectas indicas regiones illico Ecclesiam Romanam ad eas appulisse sat notum est; nulla est regio, nulla est mundi cogniti plaga, quamvis in eis aut infideles aut hæretici et schismatici dominantur, quæ Ecclesiæ Romanæ plura aut pauciora membra non contineat. Imo etsi ubique fere gentium hæc Ecclesia persecutionem patiatur, potissime ab hæreticis, tamen numerosior omnibus sectis est, etiam simul sumptis (1), et quotidie crescit et fructificat (2). Quod vero spectat ad identitatem, ea liquet vel ex ipsius constitutione, quæ necessario ab omnibus et singulis membris suis exposcit unitatem fidei et communionis, prout exposuimus. Hæc confirmantur 1^o ex eo, quod facta sit ejus propria *Ecclesiæ catholicæ* denominatio, quamvis, ut diximus, aliqui cœtus ab ea divisi eam sibi frustra usurpare tentaverint (3);

(1) Sane Græci schismatici, quibus accensemur Russos, quamvis isti patriarcham Constantinopolitanum minime agnoscant, numerantur 30,000,000, quibus alii adjicientes Nestorianos, Jacobitas, Armenos, Coptos, Abyssinos, etc. summam ex istis omnibus conficiunt 41,000,000. Protestantes, cum innumeris divisionibus suis, numerantur in Europa 46,000,000, et in fœderatis provinciis, cum pluribus sectis, 11,000,000, qui tamen numerus nimis auctus dicitur. Itaque ex his omnibus simul sumptis summa conficitur 98,000,000. Contra vero Catholici per universum orbem numerantur 180,000,000. De parva anglicanorum fractione postea dicam. Cfr. Franc. Patricius Kenrick coadjutor Episcopi Philadelphiae in provinciis fœderatis Americae, in *Theologia dogmatica*, tom. 1, tract. 11, de Ecclesia, pag. 117, Philadelphiae an. 1839. Quod si ipsam Adriani Balbi computationem sequaris, *Abrégé de Géographie*, p. 75, Paris 1834, qui schismaticis, sive Græ-

cis, sive Russis, sive Orientalibus, 62,000,000; protestantibus autem cujusque generis 59,000,000; Ecclesiæ vero catholicæ 139,000,000 tribuit (cui tamen computationi haud ita facile subscribimus), patet, magnum semper intercedere discrimen inter numerum Catholicorum ac numerum heterodoxorum.

(2) Cfr. *Annales de la propagation de la foi*, Lion 1820 et seqq.

(3) De Ecclesia romana scripsit S. Irenæus, lib. III, cap. 3: *In qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio*. S. Cyprianus semper eam, quæ cum romano Episcopo communicavit, catholicam significavit; scribens enim ad Antonianum, epist. LII, ut eum certiore faceret, quod communicaret cum Ecclesia catholica, his verbis utitur: *Scripsisti etiam, ut exemplum earundem litterarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem, ut deposita omni sollici-*

2^o ex eo quod adversus illam solam hæreses omnes, schismata, factiones, sectæ, increduli omnes quovis tempore conspiraverint et adhuc conspirent, et cum illis vires contra eam conjunxerint judaica perfidia et pagana superstitio; 3^o ex ipsa haud paucorum adversariorum agendi ratione, qui quamvis aperte ab ea divisi sunt, adhuc se tamen ad illam pertinere contendunt, ne schismatici aut hæretici audiant (1).

238. Nota denique apostolicitatis Romanam frui Ecclesiam, compertum fit ex nunquam interrupta Romanorum Pontificum successione a S. Petro ad nos usque, et Episcoporum omnium per orbem Ecclesiarum, quæ cum ipso communicarunt et communicant in unitate fidei et communionis ad hæc usque tempora. Adeo hæc successio explorata est, ut neque ab adversariis in dubium revocetur, sive quoad partem ejus materialem, sive quoad formalem. Extorquet ipsorum admirationem ejusmodi successio, qua fit, ut apostolica Sedes decem et octo seculorum tractu ad-

tudine jam sciret, te secum, hoc est, cum catholica Ecclesia communicare. S. Augustinus, contra *Epist. Fundamenti*, cap. 4; *In catholica enim Ecclesia*, inquit, ... *tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendam oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum catholicæ nomen.* Sic Patres, ceteri quibus perinde erat romanam ac catholicam Ecclesiam nominare. Quod uberius ex dicendis opportuno loco constabit.

(1) Hoc novum non est; siquidem habemus ex remotissima antiquitate, quod etiam veteres hæretici et schismatici, perinde ac hæretici et schismatici nostri temporis, effectaverint pro suis costibus *Ecclesiæ catholicæ* denominationem. At frustra tum istum illi. Sic enim S. Augustinus illos

refellebat: *Una est catholica, cui hæreses aliæ diversa nomina imponunt, cum ipsæ singulæ propriis nominibus, quæ negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur, judicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit catholicum nomen, ad quod omnes abiunt, tribuendum (lib. De utilit. credendi, cap. 7).* Et alibi: *Tenenda est nobis christiana Religio, et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim, ipsi quoque hæretici et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant; non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur (De vera relig. cap. 7).*

huc perseveret inter tot vicissitudines sive religiosas sive politicas, quas Europa universa subiit, et ita perseverat, ut in pleno vigore subsistat (1). Adeo firma est illa petra quam nunquam vicerunt superbæ inferorum portæ! Quot tamen impetus ea sustinere non debuit, ille solum ignorat, qui hospes plane sit in christianæ Religionis historia; attamen insani conatus splendidiore effecerunt ejusmodi triumphos, siquidem incassum omnes illi impetus cesserunt, et *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* (2).

239. Quæ cum ita se habeant, merito concludimus, Romanam Ecclesiam illis fulgere notis, quibus vera Christi Ecclesia a falsis internosci debet, eamque propterea veram esse Ecclesiam a Christo Domino Salvatore nostro institutam.

Predictarum notarum defectus in omnibus societatibus, quæ non communicant cum Ecclesia Romana.

240. Ut compendio utamur, ad ostendendum nullis prorsus societatibus ab Ecclesia romana divisis competere aut competere posse recensitas notas, ea urgebimus argumenta, quæ iis omnibus communia sint.

241. Ac 1^o communis est omnibus his cœtibus defectus unitatis. Etenim omnes acephalæ sunt, et proinde legitima illa auctoritate sunt destitutæ, quæ principium est unitatis tum fidei tum communionis. Hac porro sublata auctoritate, non solum omne dissolvitur unitatis vinculum, sed necessario oritur principium divisionum sive fidei sive communionis, cum nemo sit,

(1) Javerit hic describere verba protestantis Frid. Hurter, juxta versionem gallicam Al. Saint-Chéron, Paris 1838, in *Vita Innocentii III*, lib. 1, pag. 76. *En portant nos regards en arrière, scribit, et en avant sur la suite des siècles, en voyant comment l'institution de la papauté a survécu à toutes les institutions de l'Europe, comment elle a vu naître et périr tous les états,*

comment, dans la métamorphose infinie des choses humaines, elle a seule conservé invariablement le même esprit, devons-nous nous étonner, si beaucoup d'hommes la regardent comme le rocher dont la tête immobile s'élève au-dessus des vagues mugissantes du cours des siècles?

(2) Cantic. iv, 4.

qui cogi possit ad eandem fidem profitendam, et ad eandem servandam communionem. Hinc eodem jure, quo quilibet *sacrorum emendatores* ab ævo apostolico usque ad nos, id est a Nicolaïtis et Simonianis usque ad Quakeros, Methodistas seu Wesleyanos, Whitefieldistas, Kilhamitas, Jumperos, Irvingitas, etc. insurrexerunt adversus Apostolos et Ecclesiam catholicam seu romanam, insurgere possunt adversus communionem seu cœtum, in quo instituta sunt individua singula, ac novos cœtus condere. Sic eodem jure, quo novatiani, donatistæ, græci, russi, anglicani, *prava in Galliis ecclesia*, a centro unitatis romano scilicet Pontifice recesserunt, eodem poterunt jure recedere a proprio patriarcha, primate, episcopo, aut sacerdote eorum subditi, et in novas societates coire (1). Sane experientia ostendit, ita semper factum esse. Quod si plena dissolutio integri cœtus cujuslibet non contigit, ideo est aut quia homines non semper sibi cohærent, aut quia causæ exteriores et politicæ plerumque obstiterunt (2). Quod si sermo sit de ultra-protestantismo, ut vocant, qui systema profitetur liberi examinis, res adhuc evidentior fit; exinde enim ortæ sunt fluctuationes, mutationes, phases, quibus

(1) Sane eodem jure, quo, ex. gr. Photius aut Michaël Cærularius se subtraxerunt ab auctoritate romani Pontificis, eodem poterunt singuli Episcopi se subtrahere ab auctoritate patriarchæ Constantinopolitani, imo a fortiori; cum hujus patriarchatus institutio ecclesiastica sit, auctoritas autem supremi capitis in universa Ecclesia sit juris divini, ut postea ostendemus. Idem dic per analogiam de ceteris cœtibus schismaticis. Idem de hæreticis; si enim licuit innovare hæresiarchis adversus Christi Ecclesiam, quare non licebit innovare contra peculiaria uniuscujusque hæresiarchæ dogmata, eo magis quod nemo possit sibi tribuere infallibilitatem, quam ecclesiæ, unde dis-

cessit, denegavit? Et hoc adversus anglicanos quoque obijciunt dissidentes ipso referente Palmer, qui perperam, ut ab illorum ictibus suam tueatur ecclesiam, ad speciosum sed gratuito confictum Oxoniensium modernorum systema confugit.

(2) Exinde oritur systema persecutionis, quæ in omnibus sectis acatholicis, apud quas obtinet principatus politicus, plus minus viget ac viget. Satis est ad hoc sibi persuadendum lustrare publicas ephemerides, et publica documenta. Nimirum hisce armis ac præsidiis sectæ, quæ omni carent vita, stabilitatem sibi querere conantur!

sectæ illius omnes obnoxia fuerunt et sunt (1); exinde cuilibet fas est impune quodvis doctrinæ caput, prout lubet, aut admittere aut rejicere aut immutare pro subjectiva persuasione; exinde rationalismus et mythicismus prodierunt, qui sub christiani nominis larva atheismum aut certe nudum theismum invexerunt. Hæc est ultima periodus, ultra quam protestantismus progredi non potest (2).

(1) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De vera religione*, part. II, prop. IX.

(2) Omnium sectarum et schismatum, nec non rationalismi et mythicismi fontem perbelle detegit et exponit cit. Harter, lib. XIV *Vitæ Innocentii III*, pag. 4, 5. Cujus philosophicas, ut ita dicam, hac de re meditationes hic placet referre. *L'esprit humain*, inquit, dans le pressentiment d'une dignité supérieure, dans la conscience de sa vaste activité, dans la joie de parvenir à s'élançer dans les hautes régions d'où découle toute existence, et de pénétrer les profondeurs immenses, qui voilent le mystère de la vie, se roidit quand on veut lui imposer du dehors ce qu'il se croit capable de découvrir en lui-même. Souvent il regarde comme une barrière indigne de lui la prétention de lui assigner une source suprême de toutes connaissances, parce que, dans son orgueilleuse suffisance, il croit porter en lui la vie et la force, pouvoir séparer à sa volonté la lumière des ténèbres, et fonder sur l'indépendance de son jugement la différence entre le bien et le mal. C'est ainsi que dans tous les temps l'ancienne défection s'est renouvelée sous mille formes, mais toujours la même dans sa nature. Il est

vrai, l'Éternel, dans sa miséricorde, a envoyé Celui qui est le chemin de la vérité et de la vie, et par lequel les enfans égarés doivent retourner auprès de leur Père; mais pour les uns ce chemin n'était qu'une de ces innombrables voies qui, dans tous les temps, pouvaient être tracées par les hommes les plus distingués; ils ne regardaient cette vérité que comme une de celles qui avaient été découvertes en grand nombre par des génies supérieurs, et cette vie uniquement comme un phénomène particulier de l'existence universelle, dont le problème ne peut jamais être résolu dans sa mystérieuse obscurité. Les autres, au contraire, reconnaissaient et acceptaient ce chemin, cette vérité et cette vie, comme un fait, mais soumettaient, soit le mode de connaissance, soit la mesure de l'acceptation, au jugement ou à la volonté des hommes. L'erreur des uns et des autres ne diffère que par la forme; la première appartient exclusivement à un système qui ne veut pas connaître le Christianisme, et la seconde à celui qui n'admet la vérité et la divinité du Christianisme qu'autant que la faculté de connaître donnée à l'homme peut les admettre. La première erreur

242. Cum vero notæ reliquæ juxta dicta in unitate virtute saltem contineantur, et ex ea progignantur, jam patet, si nulli societati ab Ecclesia Romana sejunctæ competere potest unitas, competere pariter ceteras notas non posse. Profecto sanctitas, qua corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, vivit, nequit haberi, ubi non est unitas; nam si membra nullo sint inter se nexu conjuncta, si careant capite, impossibile omnino est, ut corpus constituent, quale describit Apostolus (1), ac propterea a spiritu informetur ac vivat; tales porro sunt ex modo dictis societates omnes ab Ecclesia Romana sejunctæ, omnes igitur vita supernaturali, de qua loquimur, seu sanctitate plane sunt destitutæ. Quod si sanctitate omnes ejusmodi coetus orbatii sunt, impossibile pariter ipsis est, ut exterius per notam visibilem manifestent eam sanctitatem, quam non habent: non per professionem fidei, quam juxta excussum systema libertatis examinis habere nequeunt, aut saltem non possunt integram conservare defectu auctoritatis (2); non per donum miraculorum

procède avec plus d'indépendance et de loyauté, l'autre avec plus de partialité et de séduction; l'une et l'autre sont la racine de cette inimitié contre l'Eglise, inimitié qui attaque principalement la doctrine sur laquelle elle repose, ou qui la dénature.

Une autre propriété de l'esprit humain, c'est que plus les développemens d'une institution sont brillans, plus il met d'activité à rechercher un côté faible; plus cette institution s'efforce de perfectionner son organisation intérieure par une hiérarchie fortement constituée, plus il s'applique à en épier les imperfections; et plus un édifice s'élève audacieusement, plus aussi il s'occupe d'en sonder les fondemens, dans l'espoir de découvrir des défauts à ce monu-

ment qui étale à ses yeux l'ordre, la gloire et la puissance; par là il se croit autorisé à miner l'édifice, à séparer violemment ce qui a été réuni, à paralyser l'action de ce qui est fort. Integer hic liber XIV dignissimus est qui legatur, in quo protestantismus graphice describitur in sectis, quæ medio eruperunt ævo, quæque reformationi sæculi XVI facem prætulērunt.

(1) Ephes. IV, 16.

(2) Hujus rei luculentissimum exemplum habemus in Ecclesia anglicana, quæ defectu hujus auctoritatis impedire non potuit, quominus asseclæ sui in protestantismum dilaberentur; qui vero nunc ad pristinum statum eam revocare satagunt, romanenses audiunt ac papistæ. Idem dic de innumeris particulis, in quas Ecclesia illa dissecta est.

ceterorumque charismatum, quibus Deus Ecclesiam suam præditam voluit, cum ejusmodi dono coetus isti prorsus omnes destituantur (1); non per vitæ sanctimoniam, quæ complectatur ipsa evangelica consilia, quæque propria est veræ Ecclesiæ Christi, siquidem societates istæ; præsertim recentiores, ab iis summo-
pore abhorrent (2); non per fœcunditatem in gentium conversione, utpote sterilitate mulctatæ. Et hæc quidem in universum. Si enim ad protestantismum et ad sectas ab eo progenitas singillatim oculos convertamus, præter ignobilitatem originis, quæ accepta referenda est hominibus nequissimis et in omnem libidinem effusis, superbis, invidis, elatis, omnique vitiorum colluvie inquinatis (3), tales in eo doctrinæ vigent aut saltem vige-

(1) Hinc Erasmus, *Diatribæ de lib. arbit.* loquens de Lutheranis: *Nullus, inquit, illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit.* Cui Lutherus, in lib. *De servo arbitrio*, respondebat: *A nobis, qui negamus liberum arbitrium, miracula exigi non debent;* et Calvinus, præf. *Instit.* *Improbe faciunt, ait, quod miracula a nobis poscunt.* Attamen nemo ignorat fraudes, ad quas identidem recurrerunt, ut saltem miracula confingerent; ast, Deo obnitente, et hac incassum reciderunt. Cfr. quæ retulimus in tract. *De vera relig.* part. 1, cap. 3, num. 161, not. (3), tom. 1, pag. 60.

(2) Consulantur controversistæ, præsertim vero Bellarminus in lib. 11, *De monachis.* Profecto novissime E. B. Pusey, regius professor in universitate Oxoniensi, in opusc. cui tit. *Lettre to the Right Rev. Lord Bishop of Oxford on the tendencies to romanism*, etc. seu *Epistola ad episcopum Oxoniensem circa tendentiam versus romanismum adscriptam doctrinis antiquitus*

propugnatis, etc. edit. 2, Lond. 1839, amare conqueritur de tyrannide, quam exercet Ecclesia anglicana, dum omnes ministros suos cogit ad ineundum conjugium, ac eos impedit, quominus *excellentiorem viam*, ut vocat Apostolus consilium virginitatis seu cœlibatus, sequantur. Id Christi et Pauli verbis palam adversari profitetur, qui virginitatem non commendarunt modo, sed etiam aperte consulaerunt. Id christianæ perfectionis nervos in sacris ministris elidere dolet. Quin etiam sacras virgines in anglicana Ecclesia sicut in romana vitæ castimonia florere vellet! Egregia sane ac merito laudanda animi vota. Quæ tamen quid aliud produnt, nisi Ecclesiam illam, quæ hac vitæ christianæ perfectione omnino caret, Christi Ecclesiam esse non posse? Cfr. pag. 209 et seqq. Integrum ejus textum referremus, nisi esset nimis prolixus.

(3) Cfr. Lessius, in op. *Quæ fides et religio sit capessenda consultatio.* Inter *Opuscula*, edit. Antwerp. 1626, pag. 790 et seq. consid. 1x, *Ratio*

runt, ut sanctitas omnis eliminetur; ex. gr. Deum plures condidisse homines in eum tantum finem, ut perpetuo damnarentur (1); in omnibus Adæ posteris extinctum penitus esse liberum arbitrium, adeoque ferrea illos necessitate sive ad bona sive ad prava opera impelli (2); inutilia esse opera bona ad salutem, imo prava opera ad sanctitatem conferre (3), aliaque sexcenta id genus errorum monstra, quæ protestantismus docuit ac docet, quorumque vel ipsos ethnicos suppuderet.

quinta. Ex vitæ et morum conditione. Item in ejusd. appendice: *Utrum Calvinus convictus fuerit sodomice et ob eam causam stigmatè inustus.* Cfr. etiam *Le ministre protestant aux prises avec lui-même*, par M. A. F. Lyon 1836, in app. pag. 167 et seqq. *Les apôtres du protestantisme peints les uns par les autres.* Plura pariter in hanc rem suppeditat documenta Dr. August. Theiner, in op. *La Svezia e le relazioni di essa colla santa Sede*, etc. Roma 1838, part. 1, cap. 5, pag. 186 et seq.

(1) Cfr. Lessius in cit. *Consultat.* et in cit. append. cap. 3, *Utrum Calvinus docuerit Deum esse auctorem omnium scelerum.* Sed præstat ejusdem Calvinus verba describere; sic porro loquitur, *Instit.* lib. III, cap. 27, § 7: *Iterum quæro: unde factum est, ut tot gentes una cum liberis eorum infantibus æternæ morti involceret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia Deo ita visum est? Hic obmutescere oportet tam dicaces alioqui linguas. Decretum quidem horribile, fateor; inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, et ideo præsciverit, quia decreto suo*

sic ordinarat. Edit. Amstelod. 1667.

(2) En textum Lutheri, quem excersi ex ejus libro *De seruo arbitrio: Sic humana voluntas in medio posita est ceu jumentum; si insiderit Deus, vult et vadit, quo vult Deus... si insiderit Satan, vult et vadit, quo vult Satan; nec est in ejus arbitrio ad utrum sessorem currere, aut eum quærere; sed ipsi sessores certant ob ipsum obtinendum et possidendum.* Opp. Luth. edit. Jenæ 1557, tom. III, fol. 177, verso. Ne plura alia testimonia referam, ea cfr. apud Coccium, op. cit. pag. 1038, qui conguessit pene innumera ex Luthero, Calvino, Melanctone, etc. Cfr. etiam Bossuet, *Deuxième avertissement aux protestans*, edit. de Versailles 1816, tom. XXI, § 19, pag. 117 et seqq. nec non Th. Moore, *Voyages d'un jeune irlandais à la recherche d'une religion*, trad. de l'angl. Paris 1836, chap. XL, *Doctrine de Luther, esclavage de la volonté*, pag. 244 et seqq.

(3) Alias hujus assertionis attulimus documenta. Cfr. præterea Moore, op. cit. chap. LV, pag. 335 et seqq. ubi ostendit, Amsdorfium et Agrippam, Lutheri discipulos, rejecisse obligationem legis Dei utpote judaicam et antichristianam; plures item sectas adhuc idip-

243. Deest autem hoc ipso societatibus his omnibus catholicitas ejusque nota; si enim illis deest unitas, quomodo poterit apud eas identitas fidei et communionis inveniri? Historia variationum locupletissimum est argumentum ejusmodi defectus. Possemus hos omnes provocare cœtus ad edendam fidei professionem, quæ communis vel uni illorum sit, et quæ semper apud eum obtinuerit, si forsan excipias partem negativam et aversionem a communi ipsorum matre, Ecclesia nempe romana seu catholica. Nihil dicemus de particulis, in quas unaquæque societas disseccatur, quæ vix numerari possunt, cum hæc notissima sint (1).

sum in Anglia docere; Fleteherum, Wesleyi discipulum, docentem Methodistas accusare *legalitatem* bonorum operum, excusare adulteria, homicidia, etc. Neque reponi potest, hos homines aut sectas excessisse; siquidem hæc necessario profluunt ex intima protestantismi doctrina, ut patet per se, et clarissimo in lumine collocavit Moëhler in celebri sua *Symbolica*, et patet præterea ex ipsis Lutheri principiis. Nam in lib. *De captiv. Babylon.* cap. *De baptismo*: *Vides, inquit, quam dives est homo christianus sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla peccata eum damnare possunt, nisi sola incredulitas.* Et in serm. *De piscatura Petri*: *Erga Deum non operibus, sed nuda fide indigemus. Debemus enim cum solo Isaac venire, hoc est, cum fide; servos et asinas, hoc est, opera deorsum demittere oportet. Quanto sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit.* Hæc aliaque ejusmodi Lutheri principia cfr. apud Coccium, op. cit. pag. 1115. Ex his collegerunt Antinomiani, in *Con-*

fess. Mansfeldensi: *Lex non est digna, ut vocetur verbum Dei; si meretrix es, si scortator, si adulter, vel quicumque alius, tantum crede, et es in via salutis, cum in medio peccati hæres. Decalogus ad curiam pertinet, non ad suggestum; quibuscumque cum Mose res est, recta via tendunt ad diabolum, imo ad malam rem cum Mose. Dictum Petri: Certam facite vocationem vestram per bona opera, est inutile. Quandocumque tibi talis incedit cogitatio, hoc vel illo modo in ecclesia rem geri debere, ut sint homines boni, honesti, sancti et casti, jam aberrasti ab Evangelio, etc. Ibid.* Jam vero, ubinam pagani ipsi talia docuerunt? O præclaros *sacrorum emendatores!* O egregios romanæ Ecclesiæ *reformatores!*

(1) Cfr. ex antiquis S. Irenæus, *Adv. hæreses*, lib. v; S. Epiphanius, lib. iii; S. Augustinus, *De hæresibus*, lib. i; Theodoretus, *Hæreticarum fabular.* lib. v; Philastrius Brixienus. *Hæreseologia*, in *Biblioth. Patrum* de la Bigne edit. II, Paris 1689, tom. iv; ex recentioribus Bernini, *Istoria di tutte le eresie*; Paletta, *Storia ragionata*

Quod dictum est de identitate fidei, patet, dici pariter debere de identitate communionis, quæ ex defectu capitis subsistere nequit; unaquæque enim in propria regione, ubi reperitur, suum *consistorium*, ut vocant, suum præsidem, suos ministros habet, qui nulla ratione consistorio, præsidi aut ministris alterius regionis subjiciuntur. Quapropter, quod consequens est, nulla universalis reperitur apud eos diffusio sed quilibet cœtus, et uniuscujusque cœtus portio divisi sunt ab invicem et independentes juxta regimen, cui subsunt; hinc quælibet secta seorsum sumpta non nisi angustum terræ angulum occupat. Carent proinde istiusmodi societates omnes catholicitate, et catholicitatis nota quoad utramque sui partem, materialem scilicet atque formalem.

244. Denique nullis ejusmodi cœtibus competere, aut competere posse apostolicitatem ejusque notam, evidenter constat ex singulorum origine; unusquisque enim eorum erupit determinata epocha, quæ ab historia assignatur: ex. gr. ante Lutherum nulli erant lutherani; nisi Henricus VIII in Annæ Bolenæ oculis novum evangelium legisset, adhuc ignorarentur anglicani, et ita porro. Nulla omnino secta ascendit usque ad Apostolos, aut perseveravit in communionem fidei et charitatis cum legitimis successoribus Apostolorum seu cum Ecclesiis per legitimam ordinationem nunquam interruptam Apostolicis. Utrumque enim ad apostolicitatem et ad ejus notam constituendam requiri ostendimus. Jam vero nullus est cœtus a romana Ecclesia separatus, qui hunc characterem præ se ferat. Si qui autem ætate Apostolorum exorti sunt, præterquam quod fuere ab Apostolis damnati et ab Ecclesia rescissi, cito evanuerunt, adeo ut ex tot sectis, tunc temporis aut paulo post exortis, seculo III exeunte nulla superfuerit, si aliquot misere huc illuc palantes fortasse excipias.

245. Atque ut jam fructum aliquem capiamus ex his, quæ fusiori calamo pro rei gravitate, de qua agitur, disseruimus, tum de Ecclesia romana, cui omnes et singulas notas veræ Christi Ecclesiæ competere ostendimus, tum de societatibus ab ea sejunctis,

quarum nulli pariter luculenter demonstravimus nec unam competere aut competere posse, ut illuc redeat oratio, unde discessit, concludimus.

246. 1^o Ergo Ecclesia romana est sola vera Christi Ecclesia, est unicum corpus Christi mysticum individuum ac jugiter vivens, quod a Christo ejusque Apostolis semper et ubique perseverat ac manet, unica ejus sponsa ac dilecta, una ejus columba sancta et immaculata.

247. 2^o Ergo societates omnes, quæ identidem ab ea divisæ sunt aut expulsæ ob suam ipsarum pervicaciam, totidem sunt sectæ antichristianæ, Deo odibiles, jamdiu a Christo ejusque Apostolis in earum antesignanis proscriptæ et reprobatae, aut totidem humanæ superbiæ monumenta, *arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sidera errantia; quibus procella tenebrarum servata est in æternum* (1). Loquimur autem, ut patet, de sectis; nam quod spectat ad individua, quæ ad eas pertinent, quid sentiendum de iis sit, exposuimus in tractatu *De vera religione* (2).

DIFFICULTATES

Petitæ ex Ecclesia romana, adversus notam unitatis.

248. Obj. Romanæ Ecclesiæ unitas nominis dumtaxat est, non autem rei. 1^o Deest enim illi in primis unitas fidei, cujus regula adhuc nutat; alii siquidem in ea Ecclesia contendunt hanc regulam constitui a Rom. Pontifice, cujus inerrantiam propugnant; alii vero mordicus pugnant pro infallibilitate, ut vocant, Conciliorum œcumenicorum; neutri proinde eam competere concludendum est. 2^o Sed quod magis mireris, illud est, quod nondum convenerint Pontificii in recensione Conciliorum œcumenicorum; Gallis enim œcumenica Concilia sunt Constantiense et Basileense, Italis vero Lateranense V et Tridentinum. 3^o Verum non est cur hæc fusius persequamur, cum ex facto luculentissime constet,

(1) Epist. Judæ vv. 12, 13.

(2) Part. II, prop. XI.

nuspiam in Ecclesia romana reperiri fidei unitatem. Etenim omis-
sis acerrimis disceptationibus, quæ in scholis catholicis circa præ-
destinationem et gratiam, circa probabilismum ac singula fere
ethices capita exardescunt, quo fit ut in plures factiones scindat-
tur (1), his, inquam, omissis, nemo negaverit, Ecclesiam roma-
nam refertam *hæreticis* esse; fatentibus quippe romanensibus
omnibus, doctrina Jansenii hæretica est; porro longe lateque per
Ecclesiam universam janseniani diffusi sunt, et a ducentis annis
adhuc perseverant eidem Ecclesiæ mordicus adhærentes. Nemo
inficias iverit, refertam *incredulis* esse et *indifferentistis* tam
magno numero, ut eam obruere videantur ac fidem subjicere
ejusdem membrorum. Constat præterea, eamdem Ecclesiam re-
fertam esse *schismaticis*, ut liquet ex *episcopis constitutionalibus*
eorumque asseclis, qui in Galliis non communicant cum Epi-
scopis a Pio VII constitutis; deest igitur etiam unio charitatis seu
communions. 4º. Quæ cum ita se habeant, quo abit illa roma-
nensium jactantia, quod in sua Ecclesia omnimoda, plena ac
perfecta vigeat unitas ad discrimen sectarum, quæ in frustra scin-
duntur? Ubi illa auctoritas infallibilis sive Ecclesiæ sive Ponti-
ficis, quam tantopere commendant veluti principium seu medium
efficax unitati conservandæ, quam neque agnoscunt filii ejus?
5º. Ne vero hæc amplificata videantur, juverit ea confirmare au-
toritate Gregorii XVI, qui in encyclica anno 1832 edita, inter
cetera hæc habet: *Vere dixerimus, horam nunc esse potestatis*
tenebrarum ad cribrandum sicut triticum filios electionis.
Vere luxit et defluxit terra infecta ab habitatoribus suis, qui

(1) Ita passim protestantes recentio-
res, inter quos Gablerus in orat. *De*
tenuibus initiis, vera natura et indole
doctrinæ evangelicæ, Jenæ 1818,
pag. 18, scribere non veretur: *Quantæ*
lites, quanta dissidia, quanta odia,
inprimis inter ordines monachorum,
Dominicanorum, Franciscanorum,
Jesuitarum, hucusque Ecclesiam ca-
tholicam misere turbarunt! Non modo

antiquiores doctores ecclesiastici, Pa-
tres vocant, in quocumque fere do-
ctrinæ ecclesiasticæ capite admodum
inter se dissident, verum et recentio-
res romano-catholici, ipsique præsu-
les romani, quorum decreta haud
raro inter se pugnant. Atque etiam-
num acres agitantur lites inter Pon-
tificis romani asseclas et episcopales,
ultramontanos et mere catholicos.

*transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissiparunt fœdus sempiternum... Loquimur, Ven. Fratres, quæ vestris ipsi oculis conspicitis, quæ communibus idcirco lacrymis ingemiscimus. Alacris exultat improbitas, scientia impudens, dissoluta licentia. Despicitur sanctitas sacrorum, et quæ magnam vim magnamque necessitatem possidet, divini cultus majestas ab hominibus nequam improbatur, polluitur, habetur ludibrio... vexatur acerrime romana hæc nostra B. Petri Sedes... et vincula unitatis in dies magis labefactantur, abrumpuntur; divina Ecclesie auctoritas oppugnatur, ipsiusque juribus convulsis substernitur ipsa terrenis rationibus; ac per summam injuriam odio populorum subjicitur, in turpem redacta servitute... Personant horrendum in modum academicæ et gymnasia novis opinionum monstris, etc. Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflicti in præsens comprobamus Ecclesiam, indifferentismum scilicet, seu pravam illam opinionem, quæ improborum fraude ex omni parte percrebuit, etc. Vividioribus sane coloribus pingi Ecclesia romanensis non poterat (1). 6° Quod si post hæc aliqua unitatis umbra deprehenditur in ea Ecclesia, coactiva potius dicenda est quam voluntaria aut ex ejus natura progenita; etenim *historia luce clarius docet, Ecclesiam catholicam per tot tantaque facinorum monstra nefanda, quibus crudelissime usa est ad hæreticos extirpandos, impedire non potuisse, quo minus in ipso ejus cœtu partium studiis dilacerato innumeri fere essent christiani, qui puriore imbuti cognitione a decretorum et cultus Ecclesie catholicæ commentis longissime abhorrerent, nec, nisi clericorum astuta crudelique dominatione revincti, aut commodi sui perverso studio ducti, in sinu Ecclesie suæ containerentur* (2). Ergo.*

249. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Neg.* Omnes enim Catholici

(1) Ita Palmer, cujus difficultates, quas ipse in quatuor prolixis appendicibus, tom. I, a pag. 318 ad pag. 360, fuse persequitur, contraximus. Quæ porro ipse tanto apparatu exponit, si ad

logicam methodum exigerentur, vix locum darent, uti dicitur, *subsumptæ* in scholasticis concertationibus.

(2) Sic Wegscheider, § 30.

unanimiter profitentur, Romanum Pontificem cum Ecclesia seu corpore Pastorum, sive in Concilio sive extra Concilium, esse prorsus infallibilem. Hæc regula nunquam nutavit aut nutat, quod in præsentia nobis satis est. Si qua præterea controversia circa potio-rem partem hujus regulæ excitatur, eadem non attingit regulam ipsam, ac tota domestica est, cujus momenta ab unaquaque contendentium parte proferri solita postea expendemus. Absurdum porro est ex eo, quod non satis constet inter Catholicos, utra auctoritas potio-rem sibi vindicet partem, utrum scilicet Pontifex seorsum spectatus, an vero Ecclesia seu Concilium, concludere, neque in Pontifice cum Ecclesia seu Concilio eam residere; illud enim perinde esset ac inferre, ex eo quod disputant pyhsologi, utrum in cerebro, an in corde, seu in systemate nerveo, aut vasculari proprie vita resideat, eam neque in toto homine residere (1).

250. Ad 2^m, *Dist.* In iis, quæ in præfatis Conciliis adversus hæreticos definita sunt et a Rom. Pontificibus confirmata, *neg.*; in iis, quæ probata a Rom. Pontifice non sunt, aut in disciplinaribus decretis, *trans.* Jam vero omnes pariter Catholici in eo conveniunt, definita in Conciliis Constantiensi et Basileensi adversus Wicleffitas, Hussitas, Bohemos et a Martino V et Eugenio IV confirmata, plenam obtinere auctoritatem, et in hoc nulla est disceptatio. Ad reliqua vero quod attinet, quæ dogma non attingunt, neque perhibentur a Rom. Pontifice probata, ad criticam devolvuntur, et nos pro opportunitate expendemus. De œcumenicitate Concilii Lateranensis V ob exiguum Episcoporum numerum a nonnullis dubitatum est; sed nunc ab omnibus uti vere œcumenicum habetur, etiam ab ipsis Gallis (2), Concilium

(1) Attamen hic est paralogismus, quo utitur Palmer, op. cit. tom. II, part. IV, cap. 7, sect. 1, pag. 152 et seqq. ubi nititur evincere, infallibilitatem Synodi œcumenicæ celebratæ et confirmatæ a solo Rom. Pontifice esse in Ecclesia romana *meram opinionem*. Ejus hac

in parte systema peculiare postea discutimus.

(2) Nunquam enim in hoc Concilio Episcoporum numerus ad centum et viginti pervenit. Cfr. Cabassutius, *Notitia Conciliorum*, sec. XVI; præter Cabassutium, Labbeus, Har-

Tridentinum in fidei decretis ab omnibus omnino Catholicis ut œcumenicum et infallibile habetur, et patet ex fidei professione, quæ jussu Pii IV ab omnibus elicitur in universa Ecclesia (1).

251. Ad 3^m, *Neg.* Neque contrarium evincunt disceptationes theologorum, cum omnes in dogmatibus conveniant; controversiæ versantur dumtaxat circa *modum* ea conciliandi, quæ difficultatem præ se ferunt, qui modus ut plurimum cum impervius sit, nil mirum si inter se non conveniant, et salva charitate uniuscujusque scholæ theologi illi systemati adhæreant, quod magis ad optatum finem conducere videatur, parati semper ad illud judicium amplectendum, quod forte tulerit S. Sedes. Idem dic de institutoribus ethices christianæ, qui sibi munus sumpserunt eam ad singulos casus praticos applicare, cum vero hi pro innumeris prope adjunctis varient, mirum esse non debet, si identidem ab invicem discedant. Si interdum in hoc perdifficili munere obeundo aliqui lapsi sunt, statim revocati fuerunt ex censura lata a S. Sede in erroneas aut falsas eorum theses (2).

dainus, alique Conciliorum galli collectores. Actum in eo potissimum est de extirpatione schismatis, rescissa sunt acta conciliabuli Pisani, proscripita pragmatica sanctio gallicana, definitum est animam rationalem esse immortalem, nec unam in pluribus hominibus, sed uniuscujusque propriam, secus ac docuerint Averroes, Pomponatius alique per id temporis delirantes philosophi. Si tamen audias Leopoldum Ranke, *Histoire de la papauté*, doctrina hæc, communibus suffragiis in œcumenico Concilio proscripita, mentes italorum invaserat.

(1) Hoc fatetur Palmer, qui proinde hac de causa animum despondit circa unionem sectarum cum Ecclesia romana.

(2) Huc spectant propositiones a Rom. Pontificibus condemnatæ, de quibus

cf. Viva, *Trutina thesium damnatarum*. Exinde patet, in Ecclesia romana semper præsto esse remedium, cum aliqua irreperit ex parte individuorum prava doctrina. Vix enim aliqua propositio damnata fuit, ut nemo theologorum catholicorum eam amplius defenderit. Proferant simile exemplum cœtus quicumque ab Ecclesia catholica sejuncti. Nunc vero ut ad Gableri aliorumque ejus symmistarum, qui exprobrant Catholicis nullius frugis concertationes, quarum vix supersunt vestigia, sermonem convertamus, si urgeremus adversus illos controversias omnes easque gravissimas, dissidia, simultates acerrimas, quæ exortæ sunt et passim adhuc novæ apud ipsos exoriuntur, quæque juxta systema fundamentale protestantismi de libertate examinis et

252. Neque id evincunt plures paucioresve pernicaces doctrinæ jansenianæ asseclæ sive occulti sive manifesti, qui tanto temporis lapsu ubique fere Ecclesiam, a qua damnati sunt, infestarunt, quin eam maculaverint; eadem ratione, qua olim Manichæi ac Pelagiani hæretici, qui nunquam se ab Ecclesia separarunt, illam hæresi sua non infecerunt (1). Quando doctrina aliqua ut

independentia individuali nunquam componi poterunt, vix integrum volumen iis complectendis sufficeret. Satis hic sit speciminis ergo vel præcipua nomina recensere sectarum, quæ ex solo lutheranismo suum habuerunt ortum; vix enim ille lucem aspexit, illico prodierunt Anabaptistæ, Antinomiani, Osiandriani, Stancariani, Majoristæ, Ansdorfiani, Synergistæ, Flacciani, Adiaphoristæ, Substantiarii, Accidentarii, Musculani, Ubiquistæ, etc. quæ rursus sectæ subdivisæ sunt et iterum divisæ, ut ita dicam, in infinitum, ac se invicem maledictis, anathematibus, conviciis omnigenis proscindebant. Cfr. Jod. Coccius, op. cit. *De signis Ecclesiæ*, art. 7, ubi prolati documentis ostendit, Lutherum a Luthero, Melancthonem a Melancthone, Calvinum a Calvino, Lutheranos a Lutheranis, Sacramentarios a Sacramentariis, Anabaptistas ab Anabaptistis, Antitrinitarios ab Antitrinitariis mirifice dissidere; item art. 8, 9 et 10, in quibus idem argumentum fuse persequitur, ostendendo quomodo lutherani a Calvinistis ac reliqui sectarii ab invicem dissentiant ac mutuo se damnent. Ibidem invenies singularia encomia, quibus se mutuo commendant, quæ talia sunt, ut nihil unquam adversus illos a Catholicis simile prolatum

fuert. Et isti nunc exprobrant nobis domestica dissidia! Si Gablerus adiret Hollandiam, ibi posset comperire, quænam pax inter ministros illos vigeat. Ceterum ab omni erroris nota thomistas vindicat Bossuet, *Deuxième avertissement aux protestans*, § 10, molinistas vero ibid. § 18. Itaque inter hos theologos aliosque catholicæ Ecclesiæ doctores non agitur nisi de opinionibus liberis, in quibus profecto tuendis non læditur charitas. Quod si nonnulli privati interdum excesserunt in disputandi æstu, eos coercuerunt Rom. Pontifices sapientissimis decretis et ad pacem cohortati sunt. Nonnulla decreta huc spectantia retulimus in tract. *De gratia*, part. 1, cap. 4, n. 330, t. v, p. 152, quibus alia adjici possent.

(1) Notum, est quibus artibus se tegerent Manichæi ne agnoscerentur in Ecclesia catholica. Huc spectant decreta S. Leonis M. et Gelasii, de sumenda Eucharistia sub utraque specie, ut hac ratione illi hæretici detegerentur. Quod vero attinet ad Pelagianos, de ipsis scribit S. Augustinus, lib. *De peccato orig.* cap. xvii, n. 18: *Eos propterea sectabantur, quia catholicæ communionis videbant esse sociatos.* Eadem refert Marius Mercator, apud *prædest. hæres.* 88.

hæretica solemniter ab Ecclesia proscripta est, regula ac norma est constituta; quod si peculiaria individua pervacaciter eidem obsistunt, sibi ipsis nocent, non autem Ecclesiæ, quæ eos extra fidei ac propterea salutis viam esse pronunciat. Ejusmodi perduelles possunt quidem esse in Ecclesia, quamdiu peculiari sententia extorres ab ea facti non fuerint, non autem de Ecclesia, ut loquitur S. Augustinus. Quod si illi notorietate juris aut facti manifesti sint, quin respiscant, in articulo mortis Sacramentis privantur, ac deinde ecclesiastica sepultura (1). Idem ferri iudicium debet de ejusmodi schismaticis, incredulis et *indifferentistis*, de quibus loquitur adversarius, cum eadem plane sit ratio. Omnes isti operarii iniquitatis sunt; illud pravum semen est, quod inimicus homo, seu diabolus, in agro dominico superseminat ex Dei permissione ad honorum exercitium et exitium malorum; sunt paleæ ad comburendum destinatæ (2).

253. Ad 4^m, Resp. tamdiu permansuram sartam tectamque in Ecclesia omnimodam ac perfectam unitatem, quamdiu subsistet regula seu medium utriusque unitatis, fidei nempe et communionis. Subsistet autem hæc in seculorum finem, juxta Christi Filii Dei immutabiles pollicitationes. Contra vero tamdiu subsistet in sectis quibuscumque sive hæreticis sive schismaticis confusio et insitum ipsis omnibus principium divisionis, quamdiu ad unicam Christi Ecclesiam non se recipient, quæ sola est columna et firmamentum veritatis. Quid porro interest, si aliqui filii nequam inter Catholicos ipsos, qui sunt moestitia matris suæ, quacumque possunt vafritie, enitantur sive Romani Pontificis sive totius Ecclesiæ extenuare, ac etiam si possent, omnem eliminare infallibilem auctoritatem? Ecclesiæ profecto non nocebunt, quæ Dei

(1) Plura documenta hujus agendi rationis exhibet historia eccles. in Galliis; recens est exemplum episcopi constitutionalis et jansenistæ Gregoire, de quo alias scripsimus.

(2) Quo igitur abeunt omnia anecdota congesta a Palmer de jansenistis in

Gallia, de pistoriensibus et tamburinianis in Italia, de clericis petentibus dispensationem aut etiam abrogationem legis celibatus in Germania, aliaque ejusmodi? Omnes in eodem censu habendi sunt, nisi respiscant.

virtute ac omnipotentia regitur; irriti erunt omnes eorum conatus, ac sibi solis damnationem consciscunt ac confusionem. Tot seculorum experientiam vadem habemus. Quamvis enim plures quovis tempore a veritate exciderint, ac bellum atrox intulerint domestici hi hostes, colligati cum hostibus externis Ecclesiæ Dei, *firmum fundamentum Dei stat* (1), ac æternum stabit.

254. Ad 5^m, *Dist.* Et in objecta encyclica exponit ac deflet Gregorius XVI mala totius christianismi, *conc.*; solius Ecclesiæ romanæ, *neg.* Romanus enim Pontifex, utpote totius Ecclesiæ caput, excitat vigilantiam Episcoporum, ut suos greges tueantur tum ab insidiis sive occultis sive manifestis luporum, qui intra gregem ipsum versantur, tum a machinationibus et aperta vi luporum qui extra gregem sunt et eum undique circumstant, ut oves Christi mactent et perdant. Alias enim ostendimus, Ecclesiæ semper dimicandum fuisse adversus duplicem hostium phalangem, internam et externam, et ex ejus perpetuis triumphis divinam ejusdem intulimus veritatem (2). Itaque istorum hostium omnium nisus, molimina, conatus, sive ad cultus majestatem labefactandam, sive ad unitatis vincula dissolvenda, sive ad auctoritatem divinam Ecclesiæ oppugnandam, sive ad Sedis apostolicæ jura convellenda, eamque in turpem servitutem redigendam, aliaque ejusmodi machinanda, refert; at nusquam affirmat, impios hos homines præstitutum sibi finem obtinuisse, aut obtenturos unquam esse (3). His enim non obstantibus,

(1) II ad Timoth. II, 18, 19.

(2) Tract. *De vera relig.* part. 1, cap. 4, prop. IV.

(3) Exempla recentia sunt eorum, qui fortiter restiterunt seculi Principibus, qui in servitutem redigere voverunt ecclesiasticam libertatem. Ecclesia catholica quovis tempore obstitit ejusmodi conatibus, pluresque martyres veneratur, qui hac de causa vitam amiserunt. Contra vero anglicana communio ideo discessit ab Ecclesia romana, ut se subtraheret Romani Pontificis

auctoritati, ac se subiceret regum suorum dominationi in negotiis ecclesiasticis, ut patet ex juramenti formula, quod emittere subditi anglicani cogebantur, quæ hujus tenoris est: *Ego N. N. palam testor et ex conscientia mea declaro, quod Majestas regia unicus est supremus gubernator hujus regni, omniumque aliorum suæ Majestatis Dominiorum ac territoriorum, tam in omnibus spiritualibus, sive ecclesiasticis rebus, aut causis, quam in temporalibus, et quod nullus*

firmum Dei fundamentum stat, ac Dei promissiones non evacuabuntur. Accedit, Romanum Pontificem in hac encyclica, dum Ecclesiae, si placet, mala gravissima exponit, sacrorum eloquiorum phrasibus uti, quibus veteres Prophetæ populi Dei mala reprehendebant, quin exinde concludi possit, ex delinquentium numero et improbitate Ecclesiam illam veterem aliquod in se detrimentum passam esse. Et hæc quidem adversam Ecclesiae faciem inspiciendo, quo sensu Psalmista dicebat: *Omnes declinaverunt*, et Apostolus: *Omnes quæverunt, quæ sua sunt*. Quod si voluisset faciem alteram delineare, potuisset profecto cum iisdem scriptoribus sacris eam vocare Dei peculium, gentem sanctam, genus electum, ut in Scripturis moris est, sive cum laudant, sive cum vituperant.

255. Ad 6^m, *Neg.* Etenim, si coactiva esset catholicæ Ecclesiae unitas, hæc non cœpisset nisi insequentibus seculis post instituta Inquisitionis tribunalia, ad quæ adversarius alludit; non vigeret

extraneus princeps, persona, prælatus, status aut potentia habet aut habere debet ullam jurisdictionem, superioritatem, præ eminentiam, vel auctoritatem ecclesiasticam, sive spirituales infra (forte intra) hoc regnum, etc. Cfr. apud Bellarm. *Responsio ad apologiam pro juramento fidelitatis*, spp. edit. Venet. 1721, tom. v, pag. 158. Quanam autem ratione supremum hunc spirituales primatum exerceret inter ceteras regina *immaculata* Elisabetha, specimen same ex epistola ad quemdam præsullem, quamque tibi ex anglica lingua conversam hic subjicio. *Audax præsul! Certior effecta sum, te segniorem esse in munere tuo exequendo. Sed scias velim, quod ego, quæ te feci id quod es, te possum etiam infectum facere; ac nisi munus tuum statim adimpleas, per Deum, te veste protinus exuam.*

Tua, prout te gesseris, ELISABETHA. Hæc epistola, ex actis dioceseos Eliensis extracta, publicis typis edita est in *London Magazine* Jan. 1761. Quorsum vero hæc? Scilicet ut pateat, quam inepte agat Palmer, qui, ut anglicani cœtus dependentiam a regimine civili in negotiis spiritualibus cohonestet, nobis sæpe adeo objicit verba Pontificis Gregorii XVI, ut evincat, non melioris conditionis esse Ecclesiam catholicam ob violentias, quas interdum in eam nonnulli Principes exercere nituntur. Potuisset pari ratione urgere vim, quam in religionem christianam ethnici Imperatores exercuerunt, aut in religionem catholicam Principes acatholici. Quid evincit vis contra omne jus extrinsecus illata? Contra vero primatus, quem exercet politicum regimen in Ecclesiam anglicanam, pendet ex ipsius Ecclesiae constitutione et natura.

in Galliis aliisque regionibus, in quibus homines plena fruuntur libertate conscientiæ in profitenda, quam malunt, religione; non vigeret a fortiori in provinciis, in quibus dominantur Protestantes. Attamen catholicæ Ecclesiæ unitas viguit sub paganorum persecutionibus, viguit postea pari prorsus ratione; immò Catholici arctiori vinculo inter se constringuntur et ferventiores esse solent sub protestantibus, præsertim cum ab ipsis opprimuntur. Ergo non coactiva, sed omnino libera est ac voluntaria illa Ecclesiæ catholicæ unitas. De tribunalibus Inquisitionis alias disseruimus, ubi ostendimus, in his, quæ ad pœnas infligendas hæreticis pervicacibus spectant, esse potius civilia quam ecclesiastica; item exaggerata esse evincimus, quæ ab adversariis obtruduntur circa punitorum numerum, qui tamen reipublicæ erant exitio (1); ac demum evanescere hunc numerum, si conferatur cum numero Catholicorum, qui ab anglicanis, calvinianis, lutheranis aliisque sectariis perempti sunt (2), quanquam longe diversa esset causa utrorumque (3).

(1) Cfr. *Tableau historique et pittoresque de Paris*, par M. B. de Saint-Victor, tom. iii, prem. partie, pag. 51 et seqq. Paris 1823.

(2) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De vera relig.* part. 1, cap. 4, prop. 11, n. 364 et seqq. tom. 1, p. 154, cum notis appositis.

(3) Nam Catholici, cum sint in possessione fidei suæ, jus habent eam retinendi; contra vero novatores, hæretici et schismatici, dum novitates suas obtradunt, aut legitimæ auctoritatis jugum excutiunt, pugnant contra antiquam et receptam religionem, et contra legitimam auctoritatem; rei propterea constituuntur gravissimi sceleris coram Deo et societate, lites ac divisiones serunt, cunctaque perturbant. Experientia jugi compertum est, nunquam prævaluisse hæreticam aut schis-

maticam sectam quin bella, et seditiones gravissimas excitavit. Mirum proinde non est, si Principes politici novatoribus obstiterint, a quibus omnia sibi mala impendere merito pertimescebant. Hæc ipsa ratio est, quam urget Gibbon in sua historia *De casu Imperii romani*, dum satagit excusare romanos Imperatores in dirissimis persecutionibus et cladibus, quas intulerunt religioni christianæ, cum nullam crearent molestiam Judæis, quamvis hi religionem profiterentur diversam a religione Imperii romani. Deinde, priusquam aliqua honestatis specie possent hæretici aut schismatici exprobrare Catholicis pœnas, quibus interdum multarunt hæreticos, deberent, inquam, prius ex suis fastis expungere doctrinam Calvini, qui in *Exposit. errorum Serveti*, edixit, *jure gladii coercendos esse*

Adversus notam sanctitatis.

256. Obj. prima. 1° Deest in Ecclesia romana sanctitas doctrinæ, cum foveat scelera ex absolutionis facilitate, quam in vitæ exitu nec scelestissimis denegat; cum nullam fidem servandam hæreticis doceat; cum juramenta aliaque obligationum vincula Sacerdotum arbitrio relaxare permittat; cum innumeras corruptelas nutriat in sinu suo. 2° Nec magis illius Ecclesiæ sanctitas elucet in membris suis; monasteria enim, fatente Episcopo Riccio, plerumque non sunt nisi vitiorum sentina. 3° Plures Pontifices omni flagitiorum genere obstricti sunt; plerique Episcopi sceleribus sunt coinquinati; sacerdotes innumeri scandalo sunt plebi christianæ; laici ebrietate, jurgiis, facinoribus omnibus ea in Ecclesia sordescunt. 4° Quod si plures in Ecclesia romana sancti numerantur, nemo est qui nesciat, plures ex incerta fama in Sanctorum album fuisse relatos, cum non cœperit Sanctorum, ut dicitur, *canonizatio* nisi seculo XII invehi; medio præsertim ævo plerosque, qui cucullum monasticum induissent, Sanctos habitos esse; nam superiore tantum seculo certa lege in eorum sanctitatem quæsitum fuit, nec absque partium studii, aut turpis etiam lucri suspicione; antea vero res tota ab unius alteriusve ut plurimum judicio omnino pendebat (1). Ergo.

257. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m autem prob. *Dist.* Facilitas absolutionis scelera fovet, nisi juxta præscriptas a jure divino et ecclesiastico regulas impertiatur, *conc.*; si juxta eas regulas, quas

hæreticos; librum, quem scripsit Beza an. 1554, *De hæreticis a magistratu civili puniendis*; item doctrinam et facta Lutheri ac Melancthonis circa exterminationem et peremptionem Anabaptistarum; delere deberent vestigia illius sanguinis, qui in Anglia per tria fere continentia secula effusus est, tum in Germania, tum in Galliis; deberent e modernis legislationibus Sueciæ, Russiæ, etc. eradere tot articulos, quibus,

qui redire volunt ad avitam matrem Ecclesiam catholicam, directioni bonorum, exilio aliisque gravissimis pœnis subjiciuntur. Vere dum hæc conspicio, mihi videre videor sordidam effrontemque illam adulteram, quæ Prov. xxx, 20, *Comedit, et tergens os suum, dicit: non sum operata malum.*

(1) Ita passim recentiores protestantes, apud Kenrick, op. cit. tom. 1, p. 190 et seqq.

quilibet sub gravi servare tenetur, ne se implicet peccatis alienis, *neg.* Nemo porro, ex doctrina Ecclesiæ catholicæ exposita in Concilio Tridentino, rite absolvi potest, qui sincere non doleat de peccatis præteritis, et firmiter non proponat non peccare de cætero (1). Si casus propterea contingat, in quo hæc regula non servetur, non Ecclesiæ doctrinæ, sed aut confessoriorum aut pœnitentium vitio verti debet. Quod vero adjicitur de absoluteione, quam in vitæ exitu non denegat Ecclesia etiam scelestissimis, alias diluimus; alluditur enim hac difficultate ad errorem præconceptum hæreticorum (2).

258. Negamus porro, unquam docuisse Ecclesiam catholicam, hæreticis fidem non esse servandam; perpetua hæc est calumnia, quam licet sæpe adeo repulerint scriptores catholici, nonnulli hæretici et rationalistæ sec. XIX renovare non desinunt, quamvis eam ipsi doctrinam non semel adversus Catholicos in proximum deduxerint (3).

259. Falsum præterea est, Sacerdotum arbitrio permitti relaxationem juramenti aliarumve obligationum, si præsertim agatur de jure tertii. Quoad eas vero obligationes quæ nullius jus violant, et Deo tantum fideles adstringunt, justa intercedente causa Rom. Pontifex, aut Præsules etiam, declarant, eas non obligare in peculiaribus adjunctis, in quibus cederent in perniciem animarum, cum sæpe contingat nonnullos temere aut jurejurando aut voto se obstringere.

260. Corruptelæ vero, quas memorant adversarii, ex præconceptis eorum opinionibus solum oriuntur; alludunt enim ad

(1) Sess. XIV, cap. 4.

(2) In tract. *De Pœnitent.* cap. 3, prop. I, a n. 125, tom. VI, p. 414 ubi plura alia disjecimus, quæ hic denuo objici solent, et prop. III, a n. 166, et n. 174, not. (1), p. 436.

(3) Hæc nobis protestantes et rationalistæ ad hæc usque tempora obtrudunt, licet nullum unquam documentum, quo hanc accusationem evincant adeo atrocem, proferant. Contra

vero nos ex publicis factis, quæ vel hac ipsa ætate nostra contigerunt, facile eis ostendere possemus, passim ab ipsis violatam fuisse fidem publice ac solemniter Catholicis datam et juramenti religione firmatam. Verum cum de re nimis odiosa agatur, malo ea silentio præterire. Interea cfr. quæ scripsi in tract. *De matrim.* ubi agitur *De matrimoniis mixtis.*

externum cultus apparatus, ad scapularis, aut rosarii aliorumque ejusmodi usum, ad quem diobolarii disputatores semper confugiunt (1). Cæcus porro non judicat de coloribus.

261. Ad 2^m, *Neg.* Hæc enim atrox calumnia unice innitur auctoritati irreligiosi nulliusque fidei scriptoris (2), et testimonio infelicis Præsulis decepti a Jansenianis, quorum factionem fovit, quique ad saniora consilia Dei gratia revocatus palinodiam cecinit eorum omnium, quæ falso et incaute antea protulerat (3). Ceterum monasteria sub vigilantia Pastorum constituta sunt; si qua ibidem mala herba, ut fieri potest, germinaverit, illico era-

(1) Vix legas plebejos ejusmodi disputatores, aut provocatores, in gravissimis controversiis de Ecclesiæ veritate, infallibilitate, unitate, etc. victos, dum eos statim declinare vides, ac elabi in reliquias, amuleta, rosaria, scapularia, aquam benedictam, etc. Hic enim est locus ipsorum communis, qua ratione a substantialibus questionibus ad adiaphora se se recipiunt, ut sic declamationibus vanis sibi ac ceteris illudant. Tanta est istorum cæcitas et præsumptio.

(2) Hæc enim innituntur auctoritate D. de Potter, qui in op. *Vie de Scipion de Ricci, évêque de Pistoie et Prato, et réformateur du catholicisme en Toscane, sous le règne de Léopold*, Bruxelles 1825, totus in eo est, ut extollat hujus illusi Præsulis temeraria gesta. Porro cum Episcopus Ricci meditaretur subtrahere a regularibus Sacerdotibus spiritualem monasteriorum administrationem et directionem, magnificavit nonnullos abusus sive reales sive fictitios, qui in ea irreperant, ut patet ex op. cit. tom. I, cap. 12 et 15, et alibi passim, ubi

hic auctor hanc crambem sæpe repetit.

(3) Ut testatus est s. m. Pius VII, in allocutione habita die 26 Junii 1805, in consistorio secreto. Inter cetera vero hæc in præfata allocutione leguntur: *Filiali fiducia nobis significavit* (Scipio Riccius Pistoriensis olim et Praten-sis Episcopus), *se formulæ, quam ipsi proponere Nobis placuisset, sincero corde subscripturum. Nec fidei, quam Nobis dederat, defuit. Formulam enim, per ven. fratrem nostrum Archiepiscopum Philippensem ei missam, legit, admisit, suaque manu signavit. Hac ergo formula, quam reparando scandalo publicam in cognitionem deduci concupivit, declaravit se pure et simpliciter omninoque ex animo accipere, et venerari Constitutiones a Sede apostolica factas, quibus errores Baji, Jansenii, Quesnelli, et illorum, qui eos sectati sunt, proscribuntur, præsertim vero bullam dogmaticam Auctorem fidei, etc.* Hanc retractationem confirmavit Riccius litteris ad eundem SS. Pontificem datis. Jam vero eam De Potter frustra cavillationibus obscurare aut eludere nititur.

dicatur. Innumera vero commoda, quæ ex sanctimonialium pietate et charitate vel ipsa societas politica derivat, notissima sunt, ac non semel acatholicorum invidiam excitarunt (1).

262. Ad 3^m, *Dist.* Nonnulli Pontifices, aut etiam Episcopi degeneres fuerunt, *conc.*; quot amplificant Protestantes, *neg.* Haud dissimulamus, nonnullos extitisse Pontifices, qui pro temporum calamitate humanæ infirmitati succubuerint, ex iis præsertim, qui factionum vi in Petri cathedram obtrudebantur. Verum præterquam quod *Petri dignitas in indigno hærede non deficit*, juxta præclarum S. Leonis effatum (2), paucissimi hi sunt, si cum serie tot Pontificum comparentur, qui et virtutis et doctrinæ laude eam quovis seculo illustrarunt (3). Quod vero dictum est de Rom. Pontificibus, debita proportione etiam de Episcopis, ratione nempe habita ad illorum multitudinem, affirmari debet. Sanctissimi Præsules nunquam non floruerunt in Ecclesia Dei (4). Idem dicendum de Sacerdotibus, quin pluribus hoc argumentum persequamur.

(1) Ecquis summis laudibus non celebravit *sorores*, quas vocant *de charitate*, religiosas a *S. Ursula* nuncupatas, *boni pastoris*, ut eximia alia instituta, quibus referta est Ecclesia catholica, silentio præteream? Quot in Africam, in Americam, inter sylvestres et barbaras gentes se ex his contulerunt, ut partim sequioris sexus institutioni, partim nosocomiis se manciparent, et omnibus, quoquo modo possent, suppetias ferrent, puellæ ut plurimum divites, nobiles, delicatæ, ex sola charitate in Deum et proximum? Talia exempla proferant protestantes et acatholici universim, si possunt; nos plura millia enumeramus.

(2) Serm. III, *De Natali ipsius* III, cap. 4. edit. Ballerin.

(3) Divina profecto Providentia factum est, ut inter 258 Pontifices, qui

a S. Petro ad Gregorium XVI sedem apostolicam ingenti XVIII seculorum lapsu occuparunt, vix decem plus minus numerentur, quorum vita maculata fuerit, quique ut plurimum factionum ingruentium opera ad Petri cathedram evecti sunt; sub quibus tamen nullum unquam fides passa est detrimentum. Si quis aliorum Principum successiones, præsertim hæreticorum, expendere, eaque severitate in singulorum gesta inquireret, qua inquisitum est in gesta Rom. Pontificum, certe longe aliud spectaculum illi sese offerret intra paucorum seculorum tractum. Verum hæc omnia levissimi quidam auctores dissimulant, ut nobis nonnullorum romanorum Præsulum scandala perpetuo obtrudant. Odium excæcavit cor eorum.

(4) Ut sistamus in Præsulibus, qui post reformationem in Ecclesia florue-

263. Nunc in universum, ut omnes cœtus complectamur, dicimus, doctrinam Ecclesiæ ad filios suos ad omnigenam sanctitatem informandos idoneam prorsus esse, ut patet ex innumeris, qui gloriæ et decori eidem fuerunt et sunt. De iis vero, qui vitam suam non componunt ad hujus doctrinæ regulam, imo ab ea turpiter deflectunt, id non regulæ defectui, sed perversæ ipsorum voluntati imputari debet; pollent quippe libero arbitrio, neque ex istorum pluribus aut paucioribus transgressionibus quidpiam logice concludi potest. Cum veteres Manichæi eadem objicerent Catholicis, sic ipsis respondebat S. Augustinus: *Vestrum oculum malevolus error in solam paleam nostræ segetis ducit; nam et triticum ibi cito videretis, si et esse velletis* (1). *Frugetes in agro, frumenta in area quærite; apparebunt facile, seseque offerent ipsa quærentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? Quid ab opimi horti ubertate imperitos homines sepium asperitate terretis?... Sunt in Ecclesia catholica innumerabiles fideles, qui hoc mundo non utantur, sunt qui utantur tanquam non utentes, ut ab Apostolo dicitur* (2); ac demum, ceteris omissis: *Quam enim multos Episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quam multos Presbyteros, quam multos diaconos, et cujuscemodi ministros divinorum Sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior et majore prædicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, et in ista vita turbulentiore servare. Non enim sanatis magis quam sanandis hominibus præsumunt* (3). Eadem porro et nos respondemus nostræ ætatis hæreticis, qui illas ipsas criminationes nobis obtrudunt.

runt, quis non suspiciat S. Carolum Borromæum, S. Franciscum Salesium, B. Barbaricum, B. Alexandrum Sauli, ut de innumeris pene aliis taceam, qui doctrinæ et sanctitatis laude Dei Ecclesiam illustrarunt? Recens adhuc memoria est S. Alphonsi de Ligorio. Ubinam ejusmodi homines protestantismus et anglicanismus protulit ali-

quando? Cfr. etiam de hoc argumento com. de Maistre, in op. *Du Pape*, liv. III, chap. 3, tom. II, pag. 80 et seqq. Lyon 1821.

(1) *Cont. Faustum*, lib. V et XI.

(2) *De morib. Eccles. cathol.* lib. I, cap. 35, n. 77.

(3) *Ibid.* cap. 32, n. 69.

264. Ad 4^m, *Dist.* Ex iis, quorum cultus in universali Ecclesia receptus non est, *trans.*; ex iis, quorum cultus receptus est in universa Ecclesia, *neg.* Esto, quandoque nimis se faciles præbuisse veteres nonnullos in decernendis sacris honoribus alicui, qui sanctitatis fama percrebuerit; ut plurimum tamen istorum cultus intra particularis dioceseos aut provinciæ limites se continuit. Martyrologium romanum non semel ad trutinam revocatum est, et non pauca exinde nomina expuncta. Ceterum nunquam non invigilavit Ecclesia, ne cultus indignis decerneretur (1), donec Romani Pontifices, ut cuicumque abusui aditum præcluderent, ad se exclusive has causas revocarunt, et plura sapientia ac prudentia referta decreta in eum finem ediderunt, severissimas regulas sanxerunt; congregationem sacrorum rituum instituerunt, quæ doctis theologis, qui consultorum munere funguntur, utitur ad res singulas apte expendendas; a fidei promotore aliisque idoneis viris juridici processus construuntur, nec, nisi demum difficultatibus omnibus sæpius discussis atque explanatis, quidquam Pontifex decernit super virtutibus in gradu eminenti, quibus fulsisse, ille de quo agitur, perhibetur (2). Cum vero ad hos

(1) Cfr. Bened. xiv, *De beatif. et canoniz. Sanctorum*, lib. 1, cap. 2, seqq. præsertim cap. 6 et 7.

(2) Equidem tanta securitate, tot adminiculis, tanto testium apparatu juridicum istud de virtutibus examen ab Apostolica Sede instituitur, ut sit omnino asserendum, nullum existere in universa Europa tribunal, in quo eo rigore causæ discutiantur, imo quod cum eo vel conferri possit. Ut autem aliquod ejus specimen præbeam, prout præbui de miraculis, hic est in causis Sanctorum dijudicandis tenor. 1° Præcedere debet processus famæ sanctitatis et miraculorum in genere, qui conficitur ab Ordinario illius, de quo agitur, apud civitatem aut provinciam, in qua

conversatus et mortuus est; et alter processus de non cultu juxta decreta Urbani viii. 2° Debet constare juridice, utrum ille processus juxta regulas præscriptas confectus fuerit. 3° Misso utroque processu ad S. Sedem sigillis munito et obsignato, atque debitis, ut vocant, formalitatibus aperto et probato; 4° postulatores causæ instare debent pro *litteris remissorialibus*, ut conficiatur processus apostolicus super fama sanctitatis et miraculorum in genere. Hæ autem *litteræ remissoriales* a sac. congregatione rituum tribus Episcopis inscribuntur cum clausula, ut duo ad minimum procedant ad processum apostolica auctoritate construendum. Quo confecto et approbato, 5° fit

dem coævus aliquis scriptor, sicuti de Ignatio a Lojola contigit. Procul etiam a loco res gestæ sæpius narrantur; miracula quippe Francisci Xaverii in Europa ex missionariorum litteris, hac ratione suæ causæ patrocinantium, claruerunt. 5° Plerumque etiam in papistarum provinciis abundant miracula, de quibus nullum in regionibus protestanticis occurrit vestigium. Tentando fiunt, seu periculum rei faciendo, infelici sæpius successu, potius quam certa quadam virtute et Dei potentia. Quæcumque igitur allegantur, uti incerta habenda sunt, vel saltem quorum lateat causa, utrum nempe Deo auctore patrata dicenda sint (1). 6° Hinc nec inter romanenses videntur miracula sola censeri probationem sufficientem perfectæ sanctitatis. Christianus Lupus scribit: *Non quævis, licet miraculis illustrata, justitia ad canonizationem sufficit; esse debet eminens, et ab omni etiam famæ nævo immaculata* (2). Atque ad hujus assertionis confirmationem exemplum adducit Roberti Lincolnensis Episcopi, qui sese opposuit Romano Pontifici, de quo scribit Henricus Chrygthonus: *Hac de causa, quamvis Robertus perspicuis effulgeret miraculis, non est permissus canonizari* (3). 7° Baillet animadvertit, viros miraculis et sanctitate claros interdum in Sanctorum romanorum catalogum minime referri, eo quod turbaverint curiam romanam, aut aliqua ratione scandalum præbuisse censeantur (4). 8° Fatetur jesuita Salmeron, posse miracula a falsa patrari Ecclesia. 9° Espencæus, alter theologus romanus, affirmat, miracula Deo ac dæmoni Christo et antichristo esse communia (5). 10° Admissum est a Patribus Irenæo, Origene, Cypriano et Augustino, hæreticos signa ac prodigia patrasse, quod nec inficiantur romanenses (6). 11° Patrata sunt in magna quantitate a Jansenistis (7). 12° Sibi

(1) Ita Paley, *Evidences of christianity*, prop. II. ch. 1, apud Kenrick, op. cit. pag. 200.

(2) *Schol. in can.* tom. III, pag. 571, edit. Bruxell. 1673.

(3) *Ibid.*

(4) *Discours sur l'hist. de la vie des*

Saints, § 90. tom. I, pag. 95, Paris 1704.

(5) Espencæus, in II ad Tim.

(6) Tournely, *De Eccl.* tom. I, pag. 153.

(7) Alluditur ad miracula potissimum, quæ facta perhibentur ad sepul-

miracula adscribunt non solum Ecclesiae romanæ, verum etiam orientales, auctore Nectario; Nestoriani, Eutychiani, prophetæ Hugonotti, Irvingitæ, aliæque sectæ quam plurimæ. 13° Frustra porro romanenses contendunt, miracula sua sola authentica esse, ac sola mereri examinis investigationem; hæc enim vana est præsumptio nullo modo veritate suffulta. 14° Plures vel ipsos inter romanenses, Vives, Canus, Lindanus, Milner aliique fatentur, plura falsa miracula venditari. 15° Hinc factum est, ut miracula romanensia jam in proverbium transierint veluti sycophantia; satis est ea commemorare, ut risus incredulitatis excitetur. 16° Ergo merito D. Bouvier cum Card. De la Luzerne inficiatur, miracula constituere notam Ecclesiae *positivam* (1).

266. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Nonnulla, aut etiam plura, quæ vulgo circumferuntur, miracula non satis firmo inniuntur historico fundamento, *trans.* vel *conc.*; omnia, præsertim ea, quæ a romana Ecclesia solemnè judicio comprobantur, *neg.* Nec enim Catholici hebetes adeo aut plumbei sunt, ut non possint accurate discernere miracula, quæ in nonnullis *legendis* aut chronicis circumferuntur absque solido fundamento, ab iis, quæ a scriptoribus fide dignis, cœvis, aut certis documentis innixis narrantur. Priora etiam Catholici despiciunt; posteriora vero, prout critica decet, amplectuntur; et hæc sunt, quæ ipsi urgent veluti juge Dei testimonium, quo sanctitas veræ Ecclesiae Christi commendatur, ac eam reipsa vivere patefit.

267. Ad 2^m, *Dist.* Id est, miracula evangelica specialem venerationem merentur, utpote litteris consignata a scriptoribus divinitus inspiratis ad divinam Christi missionem ostendendam, *conc.*; miracula posteriora nullam vim habent ad evincendam divinitatem Christi Ecclesiae, si referantur ab auctoribus, qui omnibus veritatis notis instructi sint, *neg.* Etenim ex præcellentia, qua gaudent miracula evangelica, nullum potest inferri præjudicium

chrum diaconi *Paris*, pro quibus adducuntur Mosheim, *Hist. eccl.* vol. v, pag. 211, nec non P. Lambertus dominicanus, in op. *Exposition des pré-*

dictions, etc.

(1) Ita Palmer, op. cit. part. i, chap. 6, et chap. 11, sec. 3.

illis miraculis, quæ ex Christi promissis fiant in vera ejus Ecclesia, ad ipsius sanctitatem commendandam. Res proinde ad criticam devolvitur; quod si semel constiterit de posteriorum miraculorum veritate juxta severæ critices regulas, hæc omnem vim suam habent ad finem, in quem patrantur.

268. Ad 3^m, *Dist. Aliqua, conc.*; omnia, *neg.* Responsio patet ex dictis in solutione primæ difficultatis. Ceterum S. Irenæus (1), Tertullianus (2), Cyprianus (3), Dionysius Alex. (4), Eusebius (5), Athanasius (6), Hieronymus (7), Paulinus (8), Sulpicius Severus (9), Augustinus (10), Gregorius M. (11), Bernardus (12), ut alios præteream, ea referunt miracula, vel quorum sese exhibent oculos testes, vel quæ a testibus cœvis et fide dignis acceperunt. Accedit, nonnulla miracula fuisse publica et in omnium conspectu posita, cujusmodi fuit quod in Typacensi civitate, persecutione vandalica sævientem, factum est (13); alia permanentia,

(1) *Cont. hæres.* lib. 11, cap. 32, edit. Massueti ubi ostendit, commune adhuc sua ætate fuisse miraculorum et charismatum donum in Ecclesia catholica.

(2) *Lib. De anima*, cap. 51, edit. Rig. in quem locum cfr. notæ P. Lacerda et Gretzeri, in *Animadv. junianis*.

(3) *Lib. De lapsis*, edit. Maur. pag. 189.

(4) *Epist. viii, ad Philemon.* Rom. Eccl. presbyt. opp. edit. de Magistris Rom. 1796, pag. 156; et ibid. *Epist. xi advers. German.* presbyt. pag. 165, ubi etiam refert visiones sibi a Deo factas.

(5) *Hist. eccl.* lib. vi, cap. 9, edit. Vales. et lib. ix, *De martyribus Palestinæ*.

(6) *In vita S. Antonii*, 54 et 57, edit. Maur. opp. tom. 1, part. 11, p. 836, et pag. 839 et seqq.

(7) *In vita S. Hilarionis*, n. 39 et seqq. opp. edit. Vallars. tom. 11, pag. 36 et seqq. et in lib. *Cont. Vigilant.* n. 11, ib. pag. 397.

(8) *In poemate xxix*, edit. Mura-torii Veron. 1736, et in append. col. 932.

(9) *De vita S. Martini*, et de eadem *Dialogi tres*, edit. Hieronymi de Prato Veronens. Veronæ 1741. Cfr. etiam eruditi editoris dissertat. in eundem.

(10) *De civitate Dei*, lib. xxii, cap. 8.

(11) In quatuor libris *Dialogorum*, in quos cfr. præf. edit. Maur. opp. tom. 11, pag. 113 et seqq.

(12) In lib. *De vita et rebus gestis S. Malachie*, cap. 17 et seqq. præsertim cap. 29, edit. Maur. vol. 1, pag. 680 et seqq.

(13) De quo cfr. Victor Vitensis in hist. *Persecution. Vandalicæ*, lib. v, cap. 6. Miraculum istud vere magnum

ut miraculum, quod singulis annis Neapoli contingit, de liquefactione et ebullitione sanguinis sancti Januarii, dum sistitur in conspectu capitis S. Martyris (1). Hæc talia sunt, ut a nulla severiori critica concutiantur.

ita hic auctor describit : *Præcepit* (rex Hunnericus) *comiti cuidam, ut in medio foro, congregata illuc omni provincia, linguas eis et manus dexterarum radicitus abscidisset. Quod cum factum fuisset, Spiritu Sancto præstante, italocuti sunt, et loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, et ibi reperiet unum de illis, subdiaconum REPARATUM sermones politos sine ulla offensione loquentem. Eadem referunt Procopius, lib. 1, De bello Vandalico; Æneas Gazensis, in dialogo, qui inscribitur Theophrastus; Marcellinus comes, in Chronico, qui se testes de visu exhibent hujus miraculi. Istorum testimonia exhibet Ruinartius in Commentario historico persecutionis Vandalicæ, part. II, cap. 7, ubi adjecit auctoritatem S. Gregorii M. et Imperat. Justiniani, qui hujus miraculi meminit in constit. De officio præfecti Prætorio, lib. 1, cod. Justin. tit. xv, qui et ipse testatur, se vidisse hos venerabiles fratres, qui abscissis radicitus linguis pœnas suas miserabiliter loquebantur. Cfr. Historia persecutionis vandalicæ, opera et studio Domini Theodorici Ruinart, Paris 1694. Quid porro ad hæc Paley?*

(1) Nihil intentatum reliquum fecerunt heterodoxi et increduli, ut, si celebre hoc factum negare nequeunt, saltem miraculi vim aut inficientur

aut extenuent. Sed frustra; siquidem non rudes aut plebeji homines tantum, sed viri apprime docti tum incolæ tum advenæ ex omnibus orbis partibus, qui illuc confluant, et spectatores sunt et critico illud examini subjiciunt, probant confirmantque miraculum. Legi ex antiquioribus meretur de hoc argumento dissertatio Bollandianorum, tom. VI, mens. Septembr. die XIX, præsertim § 29. Ubi Bollandiani luculentissime multiplicis hujus miraculi veritatem evincunt, et proterant penitus stultas, ne dicam impias, difficultates Molinæi, Clerici aliorumque heterodoxorum. Ex recentioribus cfr. cl. Ruffini in op. *Riflessioni critiche sopra il saggio filosofico intorno alle probabilità del signor conte La Place*, Modena 1821, memoria IV, part. II, § 31 et seqq. ubi egregie vindicat hoc miraculum ab impugnationibus La Croix. Cfr. item Fergola in *Discorso apologetico sul miracolo di S. Genaro*, qui est ad calcem op. *Teorica de' miracoli*, Napoli 1839; ubi cum doctus auctor celebris physicus ac mathematicus ejus veritatem adstruxisset ac propugnasset adversus incredulos, qui difficultates petunt ex physica et chemia, apposite § 29, concludit : *Gli atei nell' eludere la verità de' miracoli di nostra religione, e nel volerne smentire la certezza, sono costretti a dare in mille follie. Ed in questi ridicoli loro sbalordimenti e pertina-*

269. Ad 4^m, *Dist.* Ita tamen, ut eorum processus juridicus statim conficiatur, *conc.*; hoc constructo, *trans.* Vix enim aliquis fama sanctitatis insignis vita functus est, cum impetrata a S. Sede facultate, construitur ab Episcopo loci processus *ordinarius* de miraculis, quæ ad servi Dei intercessionem patrata dicuntur; quo confecto, processus construitur *apostolicus*, qui sigillis munitus in archivio sac. congregationis asservatur, donec perveniatur in causa ad horum examen. Transmisimus porro alterum distinctionis membrum, cum sæpe contingat longe maturius expendi ejusmodi miracula, cujus rei exemplum recens habemus sive in causa S. Francisci de Hieronymo, sive potissimum in causa S. Alphonsi de Ligorio (1).

270. Atque hinc responsio liquet ad id, quod subditur de miraculis, quæ Sancto alicui tribuuntur post longum temporis lapsum ab ejus obitu, de quibus, ut autumat adversarius, alte silent scriptores cœvi, aut de miraculis, quæ ex longinqua regione innotuerunt. Præterquam enim quod hæc falsa sunt sive quod attinet ad biographum S. Ignatii (2), sive quoad miracula S. Francisci Xaverii, de quibus vix IV post obitum anno, jussu Joannis III, Lusitaniæ regis, processus constructus est in Indiis (3); nisi sac.

cia la verità della catholica credenza vie più traluce (Hujus loci versio latina datur ad calcem vol.). His adjicere possem me ipsum spectatorem hujus miraculi fuisse, qui oculis meis con-spexi in ampulla sanguinem penitus coagulatum ac concretum, deinde post paucas preces eundem vividum ac plane liquidum, absque ullo apparatu chemico aut physico.

(1) Nam sæpius ex Pontificis dispensatione ante tempus constitutum causæ agitantur.

(2) Alludit adversarius ad vitam S. Ignatii a P. Ribadeneira conscriptam, qui, ne videretur Tridentino decreto controdicere de non vulgandis miraculis absque Sedis apostolicæ approba-

tione, miracula S. Fundatoris silentio præterit; protestatur tamen his verbis miracula eidem non defuisse: *Mihi tantum abest, ut ad vitam Ignatii illustrandam miracula deesse videantur, ut multa eaque præstantissima judicem in media luce versari*, edit. Neapol. 1572; eadem repetit in edit. Antwerp. 1587 et Matrit. 1586. Cum vero postea ab apostolica Sede ea fuerint recognita, a subsequentibus S. Ignatii biographis vulgata sunt, præsertim a P. Daniele Bartoli, authenticis documentis firmata.

(3) Cfr. Bartoli, *Dell' istoria della compagnia di Gesù. L'Asia*, part. 1, pag. 59, edit. Rom. 1667.

congregationi rituum de illis miraculis constiterit a testibus oculatis aut testibus auditus a videntibus, ab ea rejiciuntur, adeo ut plures causæ horum defectu testium suspensæ manserint, aut penitus exciderint (1).

271. Ad 5^m, *Neg.* Ubique enim tum intra catholicarum provinciarum fines, tum in regionibus infidelium, et Protestantium plura patrata perhibentur miracula. In Germania, in Americæ provinciis fœderatis, in Galliis edita exhibentur, ita ut ipsi Protestantes illorum testes fuerint (2). Quod vero subditur, tentando potius quam certa quadam virtute et Dei potentia miracula fieri, quid significat? Nempe cum Catholici de se non præsumant, Deum invocant, ut ad intercessionem alicujus Viri Sancti, vel ejus qui ut Sanctus habetur, si quidem ei visum fuerit, et velit glorificari in tali Sancto, hoc vel illud facere, aut præstare dignetur. Deus vero, qui dominus est donorum suorum, id interdum concedit, interdum vero non concedit. Quid inde contra miracula? Addo, non semel Viros Sanctos, interius eos Deo movente, imperasse ex certa virtute Dei, sibi que naturam obsequentem expertos fuisse (3).

(1) Exemplo sit causa nostri ven. Andree Bobolæ S. J. in cujus vita septem supra centum ab eo miracula patrata perhibentur; cum tamen ventum est ad ejus causam discutiendam juxta decretum Bened. XIV, die 27 Maj. 1749: *Non constare de martyrio et causa martyrii per directas probationes, videlicet per testes de visu, contestes idoneos et aptos*; qui tamen indulsit, ut denuo proponeretur idem dubium, ita tamen ut non posset resolvi, nisi prævio examine iv miraculorum; cum inquam, ad hanc causam denuo expendendam ventum esset sub Gregorio XVI, ex septem, quæ examinanda miracula proposita sunt, non nisi de uno constare pronunciatum est ab eodem Pontifice decreto viii kal. Febr. 1835. Atque id quidem ex de-

fectu testium.

(2) Percrebuerunt non ita pridem non pauca miracula edita nostra hac aetate tum in Germania tum in provinciis Americæ fœderatis. Ego ipse vidi relationem ex America de instantaneis sanationibus, quæ ibidem annis proxime superioribus contigerunt, et quarum testes fuerunt ipsi medici protestantes, qui tamen, ex anticipatis sectæ suæ judiciis, rogati noluerunt testimonium dare. De apparitione Crucis, cuncto inspectante populo, in Galliis apud *Migné* in diœcesi Pictaviensi alias disseruimus, cui etiam interfuerunt Protestantes, qui miraculum testati sunt.

(3) Ut alia omittam, cfr. vita S. Vincentii Ferrerii, apud Bollandianos ad diem v April. pag. 504 et seqq.

Cum falsæ porro sint adversarii præmissæ, patet, evanescere ejus conclusionem, quin diutius in hisce immoremur.

272. Ad 6^m, *Dist.* Miracula sola, *trans.*; miracula, quæ in testimonium sanctitatis patrantur, *neg.* Jam vero Christianus Lupus nil aliud significare intendit, quam quod in praxi fit in Ecclesia romana; quippe quæ non movetur ad decernendos alicui sacros honores, quin prius per rigidissimum examen tum de orthodoxa ejus doctrina, tum de virtute in gradu eminenti plane constiterit. Si quid propterea *obstativum*, ut vocant, in doctrinæ ac virtutum processu sese offerat, ulterius congregatio sac. rituum non progreditur, quæcumque demum miraculorum percrebuerit fama, prout non solum in Roberto Licolnensi, sed in pluribus aliis usuvenit (1).

273. Ad 7^m, *Neg.* Non solum enim in loco ab adversario objecto Baillet nil ejusmodi dicit, verum etiam contrarium plane scribit (2).

274. Ad 8^m, *Dist.* Fatetur Salmeron, falsa miracula posse patrari in falsa Ecclesia, *conc.*; vera, *neg.* Nam hoc constanter deneget Salmeron (3), ac pro certo assumit, nonnisi in vera Ecclesia vera edi miracula posse (4); eaque commendare sanctitatem eo-

(1) Sane Christianus Lupus, loc. cit. præter exemplum Roberti plura alia adducit, quæ nihil habent commune cum oppositione ad Rom. Pontifices, quæ tamen adversarius dissimulat, quia non conferebant ad scopum suum.

(2) Agit enim in objecto loco de Sanctis, qui schismati materiali adhæserunt. Verum illud magis mirari subest, quod Palmer, pag. 143, not. (1), adducat auctoritatem Baillet ex testimonio Van Espenii in *Jure canon.* part. 1, tit. xxii, cap. 7, sect. 7; at tamen non solum in cit. sect. sed neque in toto capite ullam Van Espen mentionem facit Bailleti, saltem in editione, qua utor, quæ est Lovan. 1700. Multo vero minus ibid. reperiantur, quæ

Palmer adscribit Baillet.

(3) Cfr. ejus *Comment. in evangelicam hist.* Colon. Agripp. an. 1602, tom. iv, par. ii, tract. 2, pag. 262, col. 2, ubi agens de hæreticis, qui relicto vero Christo novum sibi effinxerunt, subdit: *Nam iste eorum novus Christus sicut nullum testimonium habet a doctrina prophetica et apostolica* (nam illi repugnat et contradicit), *nullum miraculum potuit apud eos edere.*

(4) Tom. ix, tr. 51, pag. 406, scribit, miracula, de quibus loquitur Christus, Matth. xxiv, et Apostolus ii Thess. ii, fore *falsa miracula*, edenda nempe ab Antichristo ejusque asseclis. Quippe *verum signum a solo Deo fieri potest.*

rum, qui illa operantur, expresse propugnat adversus Fabrum hæreticum (1).

275. Ad 9^m, *Dist.* Vera aut apparentia, *conc.*; vera, *neg.* Etenim Espencæus, cum accurate expendisset, quid dæmones possint vel non possint ex Dei permissione, cumque ostendisset, illos, Deo permittente, quandoque præstigias aut apparentia miracula seu signa facere posse, inquit in characteres, quibus tuto possimus falsa et apparentia magorum et præstigiatorum opera a Dei et Sanctorum operibus internoscere (2).

276. Ad 10^m, *Dist.* Eodem sensu, quo id contendunt romani theologi, *trans.*; in sensu adversarii, *neg.* Sane S. Irenæus aperte docet, hæreticos seducere *per magicas illusiones et universa fraude* (3), negatque, vera miracula ab ipsis fieri (4). Idipsum

(1) Ibid. pag. 408, scribit: *Adverte etiam, miracula ad commendationem propriæ sanctitatis tantum a Sanctis fieri.* Et pag. 409, sibi opponit ex *Comment. Jac. Fabri Stapulensis*: *Non enim Sancti sunt, qui faciunt vera miracula, sed ille qui facit mirabilia magna solus; non ergo Sanctis cultus propter signa haberi debet, sed auctori miraculorum, qui solus Deus est;* hæc, inquam, cum sibi objecisset Salmeron, duplici ratione solvit: 1^o vera esse miracula Sanctorum, quia Deus in eis et per eos faciebat; 2^o quia Deus Sanctos signis honestavit, ideo Sancti colendi sunt.

(2) Espencæus, *In posteriorem epistolam D. Pauli Apostoli ad Timoth. commentarius, cum digressionibus xxxiii*, edit. Lutet. Paris. 1619, digress. xiv, pag. 384, jam præmiserat: *Specie tenus, quæ a vero Deo sunt creata, (dæmones) mutant, ut videantur esse, quod non sunt.* Et pag. 382, agens de *magicis imposturis et præ-*

stigias, solum affirmat, posse Deum permittere, ut homines mali præstigias faciant, et quidem *interdum*, ita tamen ut vincantur; passim etiam Deum illos prohibere occultis modis. Quando propterea idem auctor, pag. 384, scribit: *Illud nostræ magis farraginis, cum miracula Deo et diabolo, Christo et Antichristo, Angelis et hominibus bonis atque malis communia sint, hæc ad falsitatem persuadendam, illa ad fidei veritatem confirmandam, quo ex lydio lapide internoscamus?* Evidens est, non loqui nisi de miraculis falsis et apparentibus, quæ, Deo permittente, interdum a dæmone per malos homines fiunt juxta præmissa, non autem de veris. Hinc subdit regulas ex Augustino et Origene, quas nos ipsi alias attulimus, quibus vera miracula a falsis internoscamus.

(3) Lib. II, cap. 31, n. 2, edit. cit.

(4) Ibid. subdens: *Nec enim cæcis possunt (hæretici) donare visum, neque surdis auditum, etc.*

docet Origenes (1). S. Cyprianus loquitur hypothetice, ut inferat, etiamsi hæretici prophetarent, ac dæmonia eijcerent, et virtutes magnas facerent in nomine Christi, tamen hæc nihil ipsis proficere ad salutem (2). S. Augustinus hæreticorum signa contemnit velut *figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum* (3); comparat eorum prodigia cum prodigiis paganorum et Judæorum (4). Itaque falsum est, hos Patres affirmasse, hæreticos signa ac prodigia patrasse. Nusquam hoc absolute affirmant. Sic neque romanenses, ut loquitur adversarius, id fatentur, atque inter hos Tournelyus nunquam concessit, vera miracula ab hæreticis fieri posse, imo expresse negavit. Hypothetice autem et ipse loquitur, dum ait, quod, etsi admitteretur vera fuisse miracula, quæ a Novatianis patrata perhibentur, hæc tamen non in hæreseos, sed in fidei confirmationem facta essent (5).

277. Ad 11^m, *Dist.* Quæ tamen juridice falsa ostensa sunt, *conc.*; vera, *neg.* De his alibi scripsimus (6).

(1) *Cont. Celsum*, lib. 11, n. 51 et 52. edit. Maur. tom. 1, pag. 425. Integrum ejus textum adducerem, nisi esset nimis prolixus.

(2) *Lib. De unit. eccles.* edit. Maur. pag. 199.

(3) *Lib. De unit. Eccles.* cap. 29, n. 49.

(4) *Ibid. Contra Faustum.* Imo, lib. xiii, cap. 5, loquens de Manichæis: *Miracula, inquit, non facitis.*

(5) Cfr. in tract. *De Eccles.* p. 1, quæst. 11, art. 3, concl. 1, in solut. difficult. § 4, edit. Paris. seu Venet. 1765, pag. 77.

(6) In tract. *De vera relig.* p. 1, cap. 3, n. 167. Mirum proinde est, Palmer vim ponere in ejusmodi fictitiis Jansenistarum prodigiis, et quod pejus est, inniti auctoritati Lamberti effrontis Jansenistæ, de quo ita legitur in *Mémoires pour servir à l'hist. ecclés. pendant le dix-huitième siècle*, tom. 1v,

pag. 670 : *Mais le plus ridicule et le plus condamnable de ces ouvrages est l'exposition des prédictions et des promesses. Le P. Lamberty embrasse le millénarisme, et soutient, comme les protestans, que le Pape est l'antechrist. Il n'a pas honte de préconiser les convulsions comme une œuvre surnaturelle et divine, et, dans un morceau fort long, il veut faire admirer comme des prodiges un mélange honteux de fables, de tours de forces et d'impïété. Aussi ce passage fut-il blâmé dans le parti même de l'auteur, et l'on y a mis des cartons. On ne peut assez s'étonner qu'au xix^e siècle, un homme, qui ne passait pas pour fou, un religieux, un théologien, ait imaginé d'exalter encore des scènes révoltantes, des impostures manifestes, des blasphèmes monstrueux.* Talis porro est auctor, quem nobis opponit Palmer.

278. Ad 12^m, *Dist.* Immerito, *trans.* vel *conc.*; jure merito, *neg.* Ut vero insistamus in miraculis, quæ Ecclesiis orientalibus, id est, Ecclesiæ græcæ schismaticæ tribuit Nectarius hierosolymitanus Patriarcha, animadvertimus, eum plura recensere ex sola incerta fama; nonnulla quæ naturali, prorsus ratione explicari possunt; illud vero, quod tanquam *nobilissimum* urget et tam *Christianorum quam infidelium* testimonio probatum, utpote quod singulis annis in omnium conspectu renovatur, de lumine scilicet, emicante ad crepusculum, seu hora ante solis occasum sabbati sancti, in vivifico Christi sepulchro, cujus et sese testem exhibet paucis ab hinc annis detectum plane fuit veluti fraus græculorum simoniacorum, qui phosphori ope lumen illud accendebant; adeoque juge illud ac perinsigne miraculum prorsus evanuit (1). Crimine porro ab uno disce omnes. Quæ de ceteris hæreticis urget adversarius, non moramur; quia cum nullum documentum proferat, non potuimus expendere. Sed responsio ex dictis in promptu est.

279. Ad 13^m, *Dist.* Si absque solido fundamento id romanenses contenderent, *conc.*; si tali innixi fundamento, ut neque ab adversariis rejiciatur, *neg.* Porro vel ipse Paley, acerrimus romanæ Ecclesiæ hostis, fatetur, probatissima inter omnia esse miracula, quæ in causis canonizationis ab Ecclesia romana ad-

(1) Hoc equidem accepi ex ore illius ipsius, qui fraudem Hierosolymis detexit universo spectante populo, in quo plures europæi Galli, Angli, Itali inveniebantur an. 1833, quique nunc Romæ degit. Vix ipse effugit necem, quam ipsi hac de causa schismati inferre volebant; a Turcis et a Catholicis, qui triumphum cecinerunt, ex illorum manibus ereptus est. De detectione istius fraudis publicæ ephemerides Smyrneneses et Constantinopolitanæ verba fecerunt anno 1834, quo anno Patriarcha schismaticus armenus encyclicam ad suos dedit, qua eis prohibuit, ne se

conferrent ad ignem sacrum S. Sepulcri, cujus fraus comperta plane erat. Nectarius porro furiosus schismaticus plura refert sine critica, quæ nunc ab omnibus eruditus risui habentur; nupiam affirmat confectum aliquando aliqujus miraculi processum fuisse. Ejus opus: *Confutatio imperii Papæ in Ecclesiam*, a schismaticis anglicanis primum translatum ac vulgatum fuit Londini apud Joan. Taylor an. 1702, ut odium in Ecclesiam romanam apud suos confoverent. Sed adeo incomptum et inconditum est ejusmodi opus, ut paucis fucum certe facere potuerit.

mittuntur (1). Quod et alii fassi sunt (2). Non est igitur falsa præsumptio hæc catholicorum, sed veritas extra omnem dubitationis aleam constituta.

280. Ad 14^m, Resp. et nos idipsum fassos esse. Quid inde? Num ex eo, quod plura falsa miracula evulgantur, ideo quæ vera esse certissime constat, rejicere debemus? Quis unquam sobrius ita ratiocinatus est? Et en tamen scopulum, in quem hæretici navem illidunt suam. Plura miracula sunt aut suspecta aut falsa, ergo nulli miraculo est credendum. Vere *judicia Dei abyssus multa!*

281. Ad 15^m, *Dist.* Ab iis, qui omnia spernunt, nec dignantur processus expendere, *conc.*; ab iis, qui prudenter se gerunt, *neg.* Increduli certe sunt ad risum proclives; ast libenter rident etiam stulti. Cavendum ipsis est, ne aliquando risus eorum convertatur in luctum. Rident ejusmodi homines *sola miracula romanensia*, quia præter hæc nulla vera miracula eduntur, de quibus ridere possint, quod ipsi bene norunt.

282. Ad 16^m, *Dist.* Qui tamen arguit, adversus coetus Protestantium ex defectu miraculorum, *conc.*; secus, *trans.* Doctus hic auctor quoad substantiam nobiscum convenit, pro certo statuens: *Sanctitatem, signis divinis exterius manifestatam, veram indicare Ecclesiam, ac proinde ipsius esse notam positivam; repugnat enim Deum talibus signis homines in errorem inducere* (3). Ac paulo post: *Et vero, inquit, sanctitas alicujus societatis præcipue per miracula demonstratur; atqui protestantes nulla in sui gratiam afferunt miracula apud ipsos pa-*

(1) Op. cit. *Evidences*, etc. prop. II, ch. I, § 1, cujus verba in linguam nostram conversa hæc sunt: *Quorum (miraculorum) probatissimum extrahitur e documentis, quæ in medium afferuntur, dum conficitur processus eorum (Sanctorum) canonizationis ritus, qui raro locum habet ante seculum ab ipsorum obitu, etc.*

(2) Cfr. Milner, *Excellence de la*

religion catholique, trad. de l'anglais, Paris 1828, tom. I; Lettre XXIII et XXIV, ubi energice solvit difficultates propositas adversus miracula Ecclesiæ catholicæ a Middletonio, Gibbonio, Douglas, quæ ferme eadem sunt ac illæ, quas denuo nobis objicit Palmer.

(3) Tract. *De vera Ecclesia*, cap. 2, prop. V, § 2, edit. secunda, Paris 1834, tom. I, pag. 272.

trata (1). Quod vero spectat ad distinctionem inter notas *positivas* et *negativas* (secus ac nobis videatur, qui contrariam viam inivimus, quam ipse cum Card. De la Luzerne ingressus est), poterit abundare in sensu suo. Nec enim nobis cum catholicis, sed cum acatholicis res est.

Adversus notas catholicitatis et apostolicitatis.

283. Obj. prima. 1° Si Ecclesia est *romana*, non est igitur catholica, sed *romanensis* vocanda. 2° Ecclesia enim vere catholica constare debet universis Christi fidelibus, qui saltem in articulis fundamentalibus profitendis consentiant. Cum vero communionem omnes, quas sectas vocat, Ecclesia illa repudiet veluti antichristianas, nunquam eam catholicam seu universalem, sed particularem vocaveris, utut diffusam, ut ipsa autumat. 3° Ad summum dici potest, eam constituere partem Ecclesiae catholicae, cujusmodi partes sunt Ecclesia graeca, multo vero magis russica, Ecclesiaeque britannicae, cum quibus conjuncta Ecclesia romana veram efficiet Ecclesiam catholicam. 4° Reipsa, subdit Palmer, hoc universalitatis attributum Ecclesiae *permanens* attributum est, quae quovis tempore debet esse *universalis*. Porro seculo XV obedientia romana ferme intra solam Europam coarctabatur; cum ea aetate nondum fundatae essent Ecclesiae in altero hemisphaerio; Ecclesia orientalis independens erat. Quod si identidem pax cum Graecis et Eutylianis redintegrata est, haec non fuit nisi momentanea, apparens, nunquam vero generalis. 5° Ecclesiae proinde

(1) Ibid. prop. II, p. 285. Consulto omisi, quae Palmer objicit ex Benedicto Labre, addicto juxta ipsum jansenismo, quia nunquam in praecia pascha suscepit, aliaque ejusmodi; attamen miraculis claruit, ita ut his permotus Thayer ad Ecclesiam catholicam fuerit conversus. Haec enim omnia Romae non ignorantur. Causa Benedicti Labre adhuc agitur in sac. congregatione Ri-

tuum; nisi proinde omnia fuerint discussa et plane disjecta, quae contra ipsam facere videntur, certe ulterius res non procedet. Inutile proinde est de his in praesentia litem serere. Quod attinet ad conversionem Thayer, quae Romae contigit, verissimum est, et merito de ea gloriantur Catholici, cum is ferventissimus evaserit Americae missionarius.

latinæ non erant per id tempus universales; quod si tunc non erant, frustra insistitur in subsequente ipsarum incremento atque in præsentī earum amplitudine, quoniam juxta dicta *universalitas* debet esse attributum *permanens*. Cum igitur non fuerint universales a seculo XI ad sec. XVI, sequitur, ipsas *partem* tantum constituere Ecclesiæ catholicæ; seu, quod idem est, titulus catholicarum non est exclusive proprius Ecclesiarum romanarum, sed ex æquo eodem fruuntur Ecclesiæ britannicæ et orientales, 6^o quæ nunquam catholicorum titulum tribuunt aut concedunt cuivis schismati, quod Rom. Pontifex excitaverit intra earumdem *jurisdictionem* (1). Ergo.

284. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Si romanæ nomen coarctaretur ad significandam peculiarem romanæ Ecclesiæ diœcesim, *conc.*; si

(1) Op. cit. part. 1, cap. 11, sect. 3, pag. 296 et seqq. Ut autem postrema hæc difficultas intelligatur, exponendum est systema auctoris ejusque assecularum hac in parte. Hic igitur pro certo sumens, Ecclesias *anglicanas*, quas nobiliori magisque antiquitatem redolente nomine *Britannicas* appellare mavult, partem Ecclesiæ catholicæ nihilo minus ac romanam Ecclesiam constituere, schismaticos omnino esse declarat illos omnes Britannici imperii subditos, qui catholicæ romanæ Ecclesiæ ibidem adherent, sive ex anglicanismo ad ejus sese recipiunt communionem, quippe qui Ecclesiæ anglicanæ unitatem scindant, ejusque Episcoporum jurisdictioni reluctantur. Eadem plane ratione Episcopos ac vicarios apostolicos, quos sancta Sedes in illis regionibus, in quibus anglicana dominatur religio, constituit, theologi isti oxonienses veluti intrusos schismaticosque traducunt. Quapropter Catholico-romani ab illis in eodem prorsus censu habentur ac Me-

thodistæ, Quacqueri, cæterique ab anglicana Ecclesia dissidentes. Sic porro, qui sinceram atque avitam catholicæ Ecclesiæ fidem, omnium seculorum testimonio firmatam, profitentur, qui communionem cum romano Pontifice, per tot ante sæcula in britannicis illis Ecclesiis agnitam, tuentur, atque infastum novæ anglicanæ Ecclesiæ schisma ab Ecclesia universali repudiant ac detestantur, schismatis inuruntur nota, iisque adnumerantur sectis, quæ ex anglicano ipso schismate eruperunt et rem catholicam magis magisque pessum dederunt. Ita ne vero? Illud autem sciscitari lubet, si Ecclesia romana ab istis auctoribus saltem ut pars Ecclesiæ catholicæ omnino habeatur, eccur *episcopales* ipsi in iis regionibus, in quibus eadem pacifice dominatur, schismata excitare non verentur? Id certe Palmerio juxta sua principia probari nequit, idque adeo fateri ipse visus est. Sed facta publica, quæ facile afferre possem, rem ita se habere evincunt.

usurpetur ad significandas Ecclesias omnes in toto orbe diffusas, quæ Romano subsunt Pontifici, ac servant cum eo communionem fidei et charitatis, *neg.* Responsio patet ex dictis; sublata enim æquivocatione vocis, ruit difficultas (1).

285. Ad 2^m, *Neg.* Ecclesia enim catholica constare omnibus illis et solis Christi fidelibus debet, qui unitatem omnimodam fidei et charitatis servant cum ejusdem Ecclesiæ visibili capite, quod postea ostendemus alium non esse nisi Rom. Pontificem. Quicumque propterea ab alterutra, multo vero magis ab utraque abscedunt, sive in paucis sive in multis; sive in fundamentalibus articulis sive in non fundamentalibus, aut hæretici aut schismatici, ut plurimum vero et hæretici et schismatici sunt. Ita se gesserunt Apostoli respectu sui temporis novatorum; ita se primitiva gessit Ecclesia, quæ nunquam Novatianos, Donatistas ac Luciferianos ut catholicos habuit; ita semper denique constanterque se gessit Ecclesia universa insequentibus seculis ad nos usque, his omnibus perpetuo illud ingeminans: *Nescio vos*; tum illud: *Qui non est mecum, contra me est.* Ridiculum porro est, ex eo quod nonnulli factiosi superbix filii identidem vexillum perduellionis erexerint contra unice veram Ecclesiam Christi, pluresque

(1) Jure quoad hanc denominationem *Ecclesiæ romanæ*, qua designatur *Ecclesia catholica*, aptare debemus responsionem, quam dedit S. Pacianus difficultati ex denominatione *Ecclesiæ catholicæ* objectæ a schismaticis novatianis. Itaque S. Pacianus, *Epist. I ad Sympronianum*, cum sibi ex persona Novatianorum objecisset: *Sed sub Apostolis*, inquires, *nemo catholicus vocabatur. Esto*, respondet, *sic fuerit, vel illud indulge. Cum post Apostolos hæreses extitissent, diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes et scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat, quo in-*

corrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signare? Igitur ad eum modum, quo prius Ecclesia, quæ christiana dicebatur, ob vafritiem hæreticorum et schismaticorum, qui sibi hanc appellationem communem fecerunt, debuit vocari *catholica*, ut a sectis distingueretur, sic cum postea iidem hæretici et schismatici factiones suas cœperint vocare Ecclesiam *orthodoxam* et *catholicam*, debuit præterea denominari *romana* ab ejus capite romano Pontifice, ut internosceretur a factionibus illud sibi nomen usurpantibus.

ad eandem traxerint seditionem, illam cessare esse catholicam, quia istorum restitit pervicaciæ, inobedientiæ et perduellioni.

286. Ad 3^m, *Neg.* Ecclesia siquidem catholica non indiget ejusmodi copiis auxiliaribus ad inamissibilem suam hanc proprietatem et notam catholicitatis constituendam aut conservandam. Ipsa se sola ex Christi institutione fortis est. Ignorat proinde, quid sint Ecclesia græca, russica aut anglicana; scit, se unicam esse veram Ecclesiam, nec plures dari posse, cum Christus unicam instituerit; illas proinde, quæ se Ecclesias jactant, rejicit ut schismaticas atque hæreticas, eodemque in censu habet, ac habuit Arianos, Macedonianos, nunc vero temporis Lutheranos, Calvinistas, dissidentesque reliquos, quos rejiciunt et ipsæ communionem græca, russica et anglicana velut hæreticos. Parum autem, imo nihil refert, quod ejusmodi sectæ sese catholicas vocent, interdum etiam romanas (1); nam usurpationis facile arguuntur in hac denominatione, prout Patres arguebant veteres sectas, quæ eandem sibi denominationem per summam impudentiam tribuebant (2). Nec enim de nomine, sed de re controversia est.

(1) Sane societas, quæ se vocat græcorussam, quanquam nihil habeat cum Græcis commune præter schisma et errores, non solum plenis buccis se appellat *orthodoxam*, *universalem* seu *catholicam*, sed sub finem anni elapsi cœpit se appellare etiam *romanam*, ut facilius illudat rudibus et imperitis, illosque sic ad antiquam et avitam fidem et Ecclesiam relinquendam atque ad amplectendum schisma adducat. Adnotat enim auctor supplementi ad ephemeridem augustanam 17 decembris 1839, n. 351, in ephemeride Petropolitana, quæ *Apis septentrionalis* nuncupatur, quæque, ut aiunt, *officialis* est, inscribi synagogam russicam, *veram*, *universalem unitatem orientalis ROMANÆ Ecclesiæ*. Ex his deprehendimus, 1^o non obstantibus

omnibus conviciis, quibus ad hæc usque tempora schismatici romanam Ecclesiam insecuti sunt, ut eam odiosam redderent, eos tamen nunc se honestare hac ipsa appellatione ad venerationem sibi conciliandam. Tanta est vis veritatis! Deprehendimus, 2^o quantum invaluerit impudentia apud illos atque præsumptio, ut non vereantur se *romanos* dicere; ex quo fit, si eos audiamus, ut *romani* facti fuerint *russi*, *russi* autem *romani*. Quis hæc risu non excipiat? Mirabilis profecto hæc esset rerum conversio.

(2) En quomodo circa hanc denominationem Ecclesiæ catholicæ sua ætate Patres Ecclesiæ scripserint. Cum Fortunius donatista suam sectam ubique terrarum reperiri affirmaret, S. Augustinus petiit ab eo litteras communicatorias

287. Ad 4^m, *Neg. min.* Nam licet Ecclesia romana in sola Europa dominaretur seculo XV., ubique tamen gentium filios sibi obsequentes semper habuit et habet. Inter Nestorianos in Chaldaea; inter Eutychianos seu Monophysitas in Ægypto et Armenia; ubique inter Islamitas, in indicis plagis, ut taceam de aliis regionibus occidentalibus et septentrionalibus, plures quovis tempore Christi in terris Vicario obsecuti sunt et obsequuntur, eandemque cum ipso fidem et communionem professi sunt et profitentur. Fatente ipso Palmerio, non est necessaria ad universalitatem constituendam diffusio *physica* et *absoluta*, sed sufficit plane *moralis* (1), ut scilicet ubique aliqui sint, qui ad veram Christi Ecclesiam pertineant; idque merito, alioquin tribus prioribus seculis Ecclesia catholica minime exiitisset.

288. Nec refert, quod eo seculo nondum Ecclesia romana fines suos in alterum hemisphaerium seu continentalem terram protulerit, cum hæc nondum detecta fuisset; nam idem adversarius pariter fatetur, ad *moralem* universalitatem satis esse, ut in omnibus mundi *cogniti* regionibus inveniantur *adhærentes*, ut ipse loquitur, veræ Ecclesiæ, et hæc fines suos protendat cum debita proportione in illas regiones, quæ successive deteguntur (2).

adjiciens: *Hoc modo facillime illam terminari posse quæstionem, Epist. XLIV, ad Elaesium, n. 3.* Paulo ante duo alia exhibuimus ejusdem S. Doctoris testimonia, alterum ex lib. *De util. credendi*, cap. 7, alterum vero ex lib. *De vera relig.* cap. 7. S. Cyrillus Hierosolym. *Catech.* XVIII, monet iter agentem: Μηδὲ ποῦ ἐστὶν ἀπλῶς ἡ ἐκκλησία, ποῦ ἐστὶν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία· τοῦτο γὰρ ἰδικὸν ἵσμεν τυγχάνει τῆς ἀγίας ταύτης, καὶ μητρὸς ἡμῶν ἀπάντων ἥτις νόμφη μὲν ἐστὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Id est: *Neque id tantum quæras simpliciter, ubi sit ecclesia, sed ubi catholica Ecclesia. Hoc enim proprium nomen est sanctæ hujus et matris om-*

nium nostrum, quæ est sponsa D. N. J. C. Unigeniti Filii Dei. Cui consonans S. Pacianus, *Epist. 1, ad Sympronian.* Ego forte, scribit, *ingressus populosam urbem hodie, Mcumarconitas, cum Apollinariacos, Cataphrygas, Novatianos et cæteros ejusmodi comperissem, qui se christianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi catholica diceretur?* Hæc applicentur Anglicanis Russis, Græcis schismaticis, protestantibus, et normam tutam habebimus ad veros catholicos a fictitiis interno-cendos.

(1) Op. cit. part. VII, cap. 7, p. 148.

(2) Ibid.

289. Sic etiam nihil interest, quod orientalis Ecclesia independens fuerit, nec nisi precaria extiterit pax cum illa inita. Uti enim animadvertimus, catholicitas Ecclesiæ romanæ nulla ratione pendet a schismate græco, aut ab hæresi eutychniana; alioquin cessasset esse catholica, quando tot orientales Ecclesiæ adhæserunt Nestorio et Eutycheti, aut quando Donatistæ se ab Ecclesia romana separarunt; quod nemo dicet.

290. Ad 5^m, *Neg.* omnes ejusmodi sequelas, quæ ex falsis præmissis deducuntur. Et nos pariter contendimus, attributum, ac propterea notam catholicitatis permanentem esse oportere; jam vero cum ostenderit, catholicam semper permansisse Ecclesiam romanam, non obstantibus illis peculiaribus defectionibus, inferri nequit, eandem Ecclesiam *partem* quidem esse Ecclesiæ catholicæ, minime vero absolute atque in sensu exclusivo catholicam esse. Velint itaque nolint sectæ orientales et anglicanæ, nunquam ipsæ in censum venient catholicæ Ecclesiæ, nisi erroribus et schismate ejuratis se recipiant in sinum Ecclesiæ romanæ, et cum ea communicent in unitate fidei et regiminis, cum debita subjectione ac dependentia a Rom. Pontifice.

291. Ad 6^m, *Resp.* Ecclesiam romanam sollicitam non esse, quid de Catholicis commorantibus intra ditionem schismaticorum Græcorum aut Anglicanorum hi ipsi sentiant aut dicant. Etiam veteres Ariani vocabant Catholicos *homousianos*, Pelagiani *traducianos*, et ita porro; tamen Catholici semper fuerunt Catholici, et illi hæretici aut schismatici. *Episcopatum* porro fundamentum, dum Catholicos Britannicæ ditioni subjectos *schismaticis* accensere non verentur, in falso supposito situm est, se nempe partem catholicæ Ecclesiæ efficere, cum tamen ab ea divisi plane sint, siquidem nullam cum ipsa nec externam nec internam habeant communionem, atque a catholicæ unitatis centro prorsus abhorreant. Qui igitur schismatici sunt? An illi, qui communioni catholicæ Ecclesiæ ejusque capiti fideliter adhærent contra peculiarem schismaticam Ecclesiam; aut potius Episcopi hujus peculiaris Ecclesiæ, nulla pollentes jurisdictione, cæterique ad eam pertinentes, qui ab Ecclesiæ universalis unitate recedunt et schisma fovere pergunt? Præclare Augustinus de Tichonio donatista lo-

quens : *Non vidit*, inquit, *quod consequenter videndum fuit, illos videlicet in Africa Christianos pertinere ad Ecclesiam toto orbe diffusam, qui utique non istis ab ejusdem Ecclesiae communione atque unitate sejunctis, sed ipsi orbi terrarum per communionem connecterentur* (1). Id ipsum nos reponimus Anglicanis.

292. Obj. secunda. 1° Suis tenebris obsita est apostolica romanorum Pontificum successio. Dissentiunt antiqui scriptores circa immediatum Petri successorem, quem alii Linum, alii Clementem fuisse scribunt; idem dic de Cleto et Anacleto, quos alii quidem distinguunt, alii vero identificant. 2° Incerti præterea sunt nonnulli, qui in serie Romanorum præsulum recensentur, adeo ut mira sit in illorum catalogo contextendo varietas. 3° Per annos plus minus septuaginta Pontificum sedes non Romæ, sed Avenione fuit. 4° Identidem Pontifices dubii eandem sedem occuparunt; pluribus ipsa annis sæpe vacavit; haud pauci simoniaci fuerunt et intrusi, qui Sedem illam omni vitiorum cœno fœdarent. Quis porro ejusmodi successioni inniti potest ad apostolicitatem Ecclesiae adstruendam (2)? Ergo.

(1) *Contr. epist. Parmen.* lib. 1, cap. 1. Cæterum in publicis actis imperii britannici *romani* vocantur *catholici*. Quando in supremo illius consessu (*le parlement*) actum est de *emancipatione*, quam vocant, Catholicis in britannica ditione degentibus conferenda, constanter *catholici romani* vocati sunt : Data autem est die 25 Jan. 1829.

(2) Ita passim recentiores protestantes. Porro Palmer cum suis anglicanis nobis dat, Ecclesiam *particularem* romanam extitisse a S. Petro, ac plures alias Ecclesias illius obedientiae, quæ ab illa pacifice originem traxerunt, aut ab aliis Ecclesiis apostolicis, jure posse uti *apostolicas* spectari. Verum contendit, idem dici posse de orientalibus et

britannicis sive anglicanis; quod quidem paulo post expendemus. Interim ejus concessionem amplectimur una cum ejusdem Ecclesiae romanæ, quam texuit, apologia a criminatione idololatriæ, saltem in genere. Ibid. Sed num inter hujusmodi scriptores, errori propugnando addictos, doctrinæ consensio expectanda est! Dum ita ab uno romana purgatur Ecclesia, dum ea saltem est pars catholicæ Ecclesiae, adeoque ut catholica agnoscat et declaretur, plures ex Oxoniensibus eandem Ecclesiam in hæresim atque apostasiam tempore Tridentini Concilii prolapsam esse contendunt, in eoque statu perseverare. Vide *Tracts for the times*, seu opuscula oxoniensia v, pag. 10, Londin.

293. Resp. Ad 1^m, *Dist.* In nonnullis illius successionis individuis et adjunctis, *conc.*; successio ipsa, *neg.* Successio certissima est, omnium documentorum testimoniis confirmata, quam nonnisi scepticus in dubium revocare queat. Si qua autem in hac Pontificum continuata serie discrepantia est, hæc non afficit nisi primorum Petri successorum mediatam aut immediatam post illius obitum successionem (1), atque Cleti et Anacleti, ob nominis similitudinem, identitatem aut distinctionem. Argumenta pro utraque sententia pugnant (2). Nos criticis ejusmodi controversiam dimittentes, in quacumque demum hypothesi dicimus, eam nullius frugis esse ad infirmandam certitudinem successionis, de qua agimus.

1833-38. Idipsum Pusey ac Newman in Ecclesiam romanam vehementiori stilo iterare haud desinunt.

(1) Etenim S. Irenæus, lib. III, cap. 3, n. 3, refert, Linum consecratum in Episcopum fuisse ab Apostolo Petro, cui postea successit. Linus autem successorem habuit Anacletem, quem excepit Clemens. Juxta Tertullianum B. Petro successit Clemens ab eo ordinatus. Hi porro facile inter se conciliantur, si dicamus, S. Irenæum locutum esse de Lino et Anacleto veluti de immediatis Petri successoribus, Tertullianum vero de Clemente tanquam de successore Petri mediato. Imo Godefridus Vendelinus censet, Linum rexisse Ecclesiam romanam adhuc vivente Petro per aliquot annos velut ejus vicarium, cum ipse Petrus Urbe abesset. Certe nihil prohibet, quominus dicamus, plures per id temporis, vigente persecutione et postulantibus Ecclesiæ adjunctis, consecratos in Episcopos fuisse, qui deinde sibi invicem successerunt. Cfr. opusc. inscript. *De Clementis et*

ejus epistolarum tempore divinatio, apud Cotelierum, *Scripta Patrum apostolic.* vol. I, pag. 138 et seqq. In hujus sententiam convenit etiam Isaacus Vossius in epist. II, seu *Responsione ad Blondellum*, ibid. vol. II, p. 443.

(2) Qui alterum ab altero distinguunt, innituntur diversis utriusque Pontificis nominibus, patria, die festo, vitæ gestis, catalogis, iconibus, etc. Qui vero unum esse contendunt urgent, nominis similitudinem, antiquos scriptores, qui, si memorant Cletum, silent de Anacleto, et vicissim. Schelestrate in op. *Antiquitas Ecclesiæ dissertationibus, monumentis ac notis illustrata*, Romæ 1693, tom. I, diss. II, cap. 2, expensis utriusque sententiæ momentis, concludit, n. 14: *In tanta antiquorum discrepantia credimus, locum habere præclaram Baronii regulam, quod in his, quæ sunt romanæ Ecclesiæ, major adhibenda sit fides ejus alumni quam ceteris.* Vossius, loc. cit. pariter distinguit Cletum ab Anacleto.

294. Ad 2^m, Resp. Esto; etiamsi de unius aut alterius pontificatu eoque brevissimo dubitaretur in adeo tot seculorum longa nedum varia rerum vicissitudine, inter tot persecutiones, barbarorum incursiones, civilesque factiones, nihil profecto eidem successioni detraheretur. Quænam est historia sive sacra sive profana, quæ decem et octo seculorum periodum complectatur, quæ nodos interdum haud offerat extricatu difficillimos, et de quibus probabilius inter eruditos nunquam cessabit disceptatio? Nemo tamen sanus hac de causa suspectam historiam habebit. Idem die de catalogi varietate in Pontificibus Romanis recensendis.

295. Ad 3^m, *Dist.* Translata est residentia Romanorum Pontificum Avenionem, *conc.*; romana sedes, *neg.* Hoc enim, ut postea ostendemus, fieri nequit. Porro Pontifices Avenione residentes universam per se regebant Ecclesiam, per suos vero in Urbe vicarios episcopatum romanum administrabant.

296. Ad 4^m, *Trans.* aut. *neg.* cons. Dato enim quod unus vel alter Pontifex dubius extiterit, ac si placet, etiam intrusus aut simoniacus, imo qui se vitiis polluerit, nihil exinde sequitur adversus continuatam Pontificum successionem; quemadmodum non censetur interrupta successio Pontificum judæorum, quamvis Regum græcorum, ac postea romanorum Imperatorum potentia ac vi plures summum pontificatum adepti fuerint malis artibus, simoniace, atque adeo pessime illum administraverint (1). Accedente universalis Ecclesiæ consensu, si quod vitium irrepsit in electione, sanatum est. Ex his potius inhærentibus humanæ infirmitati defectibus admirabilem Dei in hanc sanctam Sedem deprehendimus providentiam, quæ nunquam passa est, ut illa tot inter personales, ut ita dicam, defectus, ullum caperet detrimentum, sive in iis quæ ad fidem, sive in iis quæ ad morum doctrinam pertinent. Exinde præterea discimus, non

(1) Cfr. Flavius Joseph. *Antiquit. Judaic.* lib. xx, cap. 10, edit. Havercampii, ubi enumerat omnes, qui ab Aaron usque ad Phanusum, qui tempore belli a seditiosis constitutus est

summus Sacerdos, pontificatum gesserunt, ac refert summatim quomodo plures ad hunc honoris apicem pervernerint.

humana prudentia et industria , sed divina prorsus potentia regi illam ac sustentari (1).

DIFFICULTATES

Ex variis sectis.

297. Obj. prima. Apud protestantes unitas fidei viget et charitatis , viget præterea medium utriusque conservandæ. Etenim 1^o in fide profitenda conveniunt, quæ complectitur præcipuos articulos. Si qua apud eos reperitur libertas , hæc non afficit fidei dogmata , sed quæstiones adiaphoras , prout fieri consuevit inter theologos catholicos. 2^o Charitas vero inter eos efficit , ut

(1) Quam diversam opinionem de summis Pontificibus , qui XI prioribus seculis Ecclesiam rexerunt , habuerit Hurter , patet ex iis , quæ scribit in *Vita Innocentii III* , lib. XIII , edit. cit. tom. II , pag. 346 , ubi describens antiquam S. Petri basilicam , inter cetera hæc habet : *Ici , les mausolées de presque tous les Papes , depuis saint Clément , publiaient , par leurs inscriptions ou par des symboles , leurs actions , leurs qualités , leur piété ; l'âme du chrétien était extraordinairement émue de voir réunie dans ce sanctuaire des plus profonds mystères l'enveloppe terrestre de tant de grands esprits , qui avaient réglé , dirigé et représenté depuis dix siècles l'élément suprême de la vie des générations passées , et qui s'étaient distinguées , comme autant de colonnes de la vérité , par leurs sentimens et leurs actions , par leur savoir et leurs mœurs.* Apposite etiam Bellarminus , præf. in libros de summo Pontifice , n. 7 et 8 , scripsit : *Ac ne forte putaremus ob vitam incorru-*

ptam et mores integerrimos summorum Pontificum tamdiu stetisse hanc sedem , permisit ad extremum Deus , ut etiam quidam parum probi Pontifices aliquando hanc sedem tenerent et regerent... Itaque nihil est , quod hæretici tantum laborent in quorundam Pontificum vitiis conquiendis. Nos enim agnoscimus et fatemur , ea fuisse non pauca ; sed tantum abest , ut iis gloria hujus sedis obscuretur vel minuat ; ut iisdem potius vehementer crescat et amplificetur. Hinc enim intelligimus , non humano consilio , prudentia , viribus , romanum Pontificatum tamdiu consistere , sed quia hæc petra ita a Domino roborata , divinitus fundata , angelorum custodiis septa , singulari Dei providentia et protectione munita est , ut adversus eam portæ inferorum nullo modo prævalere possint , sive illis portis persecutio tyrannorum , sive rabies hæreticorum , sive schismaticorum furor , sive scelera et flagitia designentur.

unum Christi corpus constituent, ac se veluti fratres complectantur; non obstante in nonnullis diversa sentiendi ratione. Quod vero ad media utriusque unitatis conservandæ spectat, 3^o notum est, omnes agnoscere Scripturam sacram veluti supremum controversiarum tribunal; omnes pari consensu retinere symbolum Apostolicum, imo et symbolum Nicæno-Constantinopolitanum ac symbolum Athanasianum. 4^o Quod si hæc non sufficiant, non desunt generalia comitia, quibus omnes se subjicere debent; publicas habent et communes fidei confessiones, seu ut vocant, libros symbolicos; nihil igitur apud ipsos desideratur ad veram unitatem constituendam et conservandam.

298. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m, prob. *Dist.* Conveniunt in profitenda fide, quæ complectatur præcipuos articulos juxta uniuscujusque arbitrium determinandos, *trans.*; quæ reipsa præcipuos complectatur et creditu necessarios, *neg.* Transmisimus primum distinctionis membrum etiam in adversariorum hypothesis; cum notum sit, 1^o nullam sectam cum altera convenire in eadem fidei professione; 2^o plures non solum diversa, sed plane contraria sentire et credere, ut patet ex articulo de reali Christi præsentia in Eucharistia, deque aliis non paucis; 3^o plerosque protestantes omnem *symbolismum* plane rejicere, quem vocant per contemptum *fidem formulariam*; 4^o plures item ad christianismi essentiam constituendam omnem fidei necessitatem rejicere (1), cum juxta ipsos christianismi essentia consistat in cordis affectu, in affectu sentimentali, in charitate, cetera vero efficiant solam illam, quam dicunt, *formam* extrinsecam, supervenientem (2). Verum, hoc omisso, ecquis ignorat, articulos *præcipuos* esse relativos? Alii enim sunt præcipui Lutheranis, alii Zwinglianis, alii Calvinianis, alii denique, ut ceteros prætermittamus, Genevensibus quibus, articuli de Trinitate, de divinitate Christi, de propagatione peccati originalis, alique ejusmodi, non solum non sunt præcipui, sed nulli prorsus sunt. Ex his patet, utrum libertas, quæ apud protestantes viget, afficiat fidei dogmata, an vero adiaphoras tantum quæstiones, quæ conferri

(1) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De vera religione*, p. II, prop. IV, n. 76 et seqq. cum notis adnexis, t. I, p. 237.

(2) Ibid. n. 85, pag. 242.

possint cum controversiis in scholis catholicis sine ullo fidei dispendio agitari solitis. Si his omnibus addatur principium fundamentale protestantismi; quod hic consistat in plena examinis libertate (1), omnibus perspectum erit, quænam apud eos communis dari queat fidei confessio, quæ præcipuos articulos complectatur; cum illo semel constituto, actum sit de quolibet articulo.

299. Ad 2^m, *Dist.* Charitas malignantium, quæ efficiat unum Christi corpus ad instar musivi cujusdam operis, *conc.*; proprie dicta, qualis nempe requiritur ad unitatem Ecclesiæ constituendam, *neg.* Non alia inter sectas protestantes *charitas* (utimur scilicet hoc nomine ex adversariorum ore, qui veras rerum notiones pervertunt) obtinet quam ea, qua exterius colligantur ad oppugnandam catholicam Ecclesiam, quæ propterea non *charitas* sed *odium* rectius nuncuparetur; hac dempta, nullo jam inter se fœdere consociantur. Non solum enim in diversas abeunt sententias, uti sæpius animadvertimus, sed intestinis et publicis discordiis mutuo se proscindunt et anathematizant (2). Unitas charitatis in eadem communione consistit cum Ecclesiæ capite ac singulis ejusdem membris.

(1) Præter documenta, quæ in tract. cit. adduximus, alia pene innumera præsto sunt. Sic protestans minister genevensis Paschoud, in opusc. *Qu'est-ce qu'un Protestant?* inculcat, protestantismum consistere *dans la liberté d'examen, dans la liberté de croyance, et dans la liberté de culte pour tous et pour chacun.* Et in alio opere quod ministri protestantes tradunt legendum suis adeptis, cui tit. *Recueil de passages de l'Écriture-sainte*, édit. de Genève 1743, pag. 155, affirmatur, quod vi ejusdem principii *chaque particulier a le droit de choisir la religion qui lui paraît la meilleure.* Demum pastor ac professor genevensis Chenevière, in op. *De l'autorité dans l'église réfor-*

mée, pag. 38, 66 et seqq. scribit : *La loi de l'examen est constituée dans la réforme... Tous les membres de l'Église ont le droit et font bien d'examiner, d'après leur raison et l'Évangile, si les doctrines qu'on leur propose sont conformes à la parole de Dieu, sans que personne au monde soit fondé à les inquiéter, à les blâmer, à les punir. Sans cela nos dévanciers auraient très-mal agi en se séparant de l'Église de Rome, et les récriminations de cette Église contre nous seraient fondées.* Cfr. *Le Guide du catéchumène vaudois*, par M. A. Charvaz, évêq. de Pignerol, Paris 1840, tom. 1, liv. 1, pag. 15 et suiv.

(2) Recolantur, quæ paulo ante at-

300. Ad 3^m, *Dist.* sensu uniuscujusque privato exposita, *conc.*; a legitima auctoritate, *neg.* Mirum est Protestantes post tot seculorum experimentum adhuc jactare Scripturam veluti supremum controversiarum judicem ac tribunal inappellabile, cum ipsa ex privatorum interpretatione quovis seculo omnium discordiarum, imo et hæreseon parens extiterit. Cum enim Scriptura liber sit mortuus, ejusque littera occidat, ut loquitur Apostolus, evidens est, illius sensum inter Protestantes a subjectiva uniuscujusque persuasione pendere. Spiritus ejus tunc solum vivificat, cum Scripturæ adjicitur legitimus atque infallibilis interpret. Verum de hoc argumento postea. Idem dic de symbolis (in hypothesis quod ea admittantur; siquidem plerique ea nunc rejiciunt), quæ cum nonnisi implicite plures articulos contineant, de aliis vero plane sileant (1), fit ut controversiis innumeris campus semper latissime pateat.

301. Ad 4^m, *Dist.* Quæ tamen comitia nulla intrinseca auctoritate pollent, sed solum extrinseca et *directiva*, *trans.*; quæ

tulimus de hoc argumento. Dissensio-
num, quæ inter presbyterianos America
septentrionalis exardescunt, recens
exemplum refert Cl. Kenrick, coadju-
tor Episcopi Philadelphæ, in op. cit.
Theologiæ dogmaticæ, Philadelph.
1839, tract. II, *De Ecclesia*, cap. 8,
De unitatis defectu in sectis, pag. 184,
ubi refert, in Calvinianorum comitiis ge-
neralibus, singulis fere annis, senten-
tias obtinuisse et obtinere, quæ alterna
vice illius *scholæ novæ*, quæ a con-
fessionis vel principiis longissime ab-
scedit, vel *scholæ veteri* calvinianæ
favent. Quum autem commentationes in
Epistolam ad Romanos, a quodam Bar-
nesio Philadelphæ ante paucos annos
editæ, hæreseos fuissent insinuatæ,
ipseque ex synodi auctoritate a munere
prædicandi suspensus, comitia gene-

ralia Pittsburgi anno 1836 eum absol-
verunt; anno vero insequenti comitia
generalia, Philadelphæ habita, omnes
novæ scholæ fautores et ecclesias, in
quibus eæ circumferebantur opiniones,
a consortio suo absciderunt; qua ra-
tione sexcenti fere *evangelici* præco-
nes simul abscissi dicuntur. Talis est
pax et concordia, quæ inter sectarios ef-
florebit.

(1) Nihil sane in symbolis expresse
dicitur de justificatione, de Sacramentis,
de reali Christi præsentia in Eucha-
ristia aliisque ejusmodi permultis, de
quibus acris inter Catholicos, atque in-
ter sectarios ad invicem controversia
est. Sociniani abutuntur symbolo apo-
stolico ad sua perversa dogmata vindicanda.

vim habeant cogendi ad internum fidei assensum, *neg.* Plura utique per summam incohærentiam apud Protestantés celebrata ejusmodi comitia sunt, atque adeo interdum celebrantur; verum enimvero cum ipsi fateantur, hujusmodi comitia errare posse, nec infallibilitate pollere, evidens est, minime ipsis tribui posse judiciariam potestatem, sed solum declaratoriam, prout presbyteriani aperte confessi sunt (1). Dixi vero *per summam incohærentiam* illa comitia ad fidei controversias dirimendas celebrari, quia repugnant essentiali protestantismi principio de libertate examinis ac omnimoda independentia a qualibet auctoritate. Idem intrinsecum vitium arbitrariis illis inhæret fidei confessionibus seu libris symbolicis, quos adversarii quidem jactant, sed reipsa contemnunt (2). Ast de his hactenus dicta sufficiunt.

302. Inst. Quidquid demum sit de Lutheranis, Reformatis dissidentibusque reliquis (3), nemo jure inficiari poterit, tum

(1) In *The form of Governement of the Presbyterian Church in America, as amended in 1821*, chap. 1, § 7.

(2) Hujus rei vadem libentissime damus auctorem haud suspectum. Etenim Palmer, op. cit. part. 1, cap. 12, pag. 388 et 389, aperte declarat, lutheranismum et calvinismum vix non evanuisse, ita ut sint potius argumentum historiæ. *Quoniam*, ut ait ipse, *debiles reliquæ sine vita, quas ipsi post se reliquerunt, quæque adhuc illorum nomine designantur, non sunt nisi luctuosa monumenta systematum quorum imperfectiones et defectus, quicumque demum illi fuerint, nobilitata fuerunt sancto ardore ac zelo erga Deum ejusque revelationem* (ut ipse *pie* autumat). Sed mira est ipsius auctoris conclusio: *Quum nunc confessiones fidei, ob quas Lutherus, Zwinglius et Calvinus suum sanguini-*

nem profudissent, sepositæ fere sint veluti antiquatæ, aut subscribantur sub iis clausulis et declarationibus, quæ actum subscriptionis ad puram scenam ludicram revocant, quam ratione possumus nos existentiam illorum fidei agnoscere? Oppressi ab audaci impietate neologismi, atque adeo ab incredulitate, quæ se pallio christiani nominis obtegit, quo possint fidei deteriora vulnera inferri, aut in præceps dejecti mortalis lethargiæ, apostasiæ nimirum ariancæ et socinianæ, lutheranismus et calvinismus, uti systemata religiosa, in regionibus, in quibus ortum habuerunt, plane videntur perisse!

(3) Dissidentium nomine significant Anglicani illos omnes, quos vocant etiam *separatistas* aut *non conformistas*, qui scilicet dissident ab Ecclesia legali ac dominante, cõjsumodi sunt

Ecclesiam orientalem sive græcam et græco-russam, tum Ecclesias britannicas fidei et communionis unitatem præ se ferre, imo partem constituere Ecclesiæ catholicæ. Etenim 1^o Ecclesia græca, ac propterea græco-russa, quæ est ab illa progenita, anterior est quacumque Ecclesia; quandoquidem ex oriente progressa est, ubi religio christiana cœpit, et unde in alias mundi plagas est disseminata. 2^o Eadem Ecclesia suam hierarchiam per continuatam Episcoporum successionem perpetuo conservavit; idemque dicendum de Ecclesia græco-russa, ex quo per evangelicam prædicationem instituta est. 3^o Utraque Ecclesia centrum habet unitatis: Ecclesia quidem græca in patriarcha suo œcumenico,

Methodistæ, Baptistæ, Jumperi, Unitariani, Universalistæ... Socialistæ seu *Owenitæ*; nam et hæc secta novissime prodiit in Anglia. Addicti eidem sunt homines impudentissimi, qui Dei existentiam ut *probabilem* defendunt; dæmonum, inferni, cœli, legis naturalis existentiam negant atque irrident, omnibusque cupiditatibus indulgent. In dies turpissima hæc secta ibidem augetur, magno etiam civilis reipublicæ detrimento. Quod autem spectat ad professores ipsos oxonienses, ut magis magisque pateat, quod nuper attigimus, quam parum inter se convenient vel in rebus gravissimis, inculentum afferam exemplum in argumento, de quo agimus. Palmer Methodistas dissidentes extra Ecclesiam catholicam, adeoque et anglicanam in ejus hypothese, esse pronunciat; Pusey e contra Wesleyanos seu Methodistas in cit. epist. vocat *sectionem* seu *portionem Ecclesiæ nostræ*, eosque commendat, opponitque eorum doctrinam doctrinæ romanistarum. Palmer item, ut vidimus, Ecclesiam rom. spectat uti par-

tem Ecclesiæ catholicæ, cum qua adhuc esse *conjunctas* Ecclesias anglicanas contendit; attamen Newman ejus collega, in op. *Lectures on the prophetic office of the church*, etc, seu *Lectiones de munere prophetico Ecclesiæ, spectato in relatione ad romanismum et protestantismum popularem*, Lond. 1837, lib. III, pag. 101 et seqq. ut postea videbimus, eam comparat *dæmoniaco*, rom. Pontificem vocat *diabolum*, etc... His vero subscribit Pusey, in ep. cit. In *Tractatibus* vero editis a doctoribus ejusdem universitatis Oxoniensis et inscriptis *pro tempore præsenti*, v, vi, n. 20, pag. 3, admirata Ecclesiæ catholicæ seu romanæ antiquitate, universalitate ac unitate, nec non pulchritudine ejus systematis, concludunt: *Nos nequimus non fundere suspiria cogitando, quod simus ab hac Ecclesia separati*. En quomodo hæ anglicanæ Ecclesiæ columnæ in ipsa catholicæ Ecclesiæ notione inter se cohæreant! et quibus solidissimis fundamentis ædificium, quod ipsi tanta animi securitate extollunt, innitatur!

nempe constantinopolitano; græco-russa vero in sancta synodo petropolitana permanente. 4^o Quo factum est, ut hoc auctoritatis principio non solum unitas regiminis, verum etiam unitas fidei sarta tectaque in utraque Ecclesia conservata fuerit. 5^o Quod enim attinet ad articulum de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, præterquam quod mera est opinio, quæ per duo ad minus sæcula ante Michaellem Cerularium tolerata est, quippe differentia Græcos inter et Latinos *verbalis* potius fuerit quam realis, ut præstantiores latini theologi fassi sunt (1), si qua novitas in eo est, hæc ex Latinorum potius parte se tenet quam ex parte Græcorum atque idcirco etiam Russorum. 6^o Neutra præterea Ecclesia se separavit ab Ecclesia romana; sed hæc utramque a sua repulit communione. Cum hæc tamen separatio probata non fuerit a majori Ecclesiæ catholicæ parte, 7^o dici propterea potest particulares Ecclesias, romanam scilicet et constantinopolitanam, ab invicem fuisse divisas, salva Ecclesiæ catholicæ unitate. 8^o Accedit, Ecclesiam græcam, ac proinde russicam, nihil innovasse circa *primatum*; cum non inficietur, posse Romanum Pontificem veluti primum Episcopum juxta consuetudines ac synodos Ecclesiæ spectari; sed solum nunquam admisit hunc primatum *de jure divino*. 9^o Quæ cum ita se habeant, merito Episcopi græco-uniti in ditioe russica sub finem anni elapsi (1839) libellum supplicem dederunt autocrati, quo humillime eum rogarunt, ut dignaretur illos in unitatem admittere sanctæ apostolicæ orthodoxæ et universalis Ecclesiæ, a qua per vim majores sui fuerant divulsi. Imperator vero benigne annuit (2). Eædem porro ra-

(1) Ita Palmer, op. et loc. cit. cap. 9, qui pro hac sententia adducit Magistrum sententiarum, S. Thomam, Bandinum, S. Bonaventuram, Scotum inter scholasticos; inter recentiores vero Bellarminum, Toletum, Azorium, etc.

(2) Ne hæc pereant documenta, juverit hic ea transferre ex ephemeride officiali petropolitana, *Apis septentrionalis* nuncupata, mens. Nov. 1839.

En igitur ejusmodi sit actus apostasiæ Episcoporum græco-unitorum: *In nomine Patris et Filii et Spiritus S. Nostra Ecclesia a suo initio eadem erat, quæ et sancta, apostolica, orthodoxa catholica Ecclesia, quæ ab ipso Domino et Salvatore nostro Jesu Christo in Oriente instituta est, inde ex Oriente totum mundum illuminavit, et hucusque divinas institutiones*

tiones militant pro Ecclesiis britannicis, quarum origo, ut visibiles Ecclesiae, antiquissima est, et per XV continentia secula permanserunt in communione cum omnibus Christi Ecclesiis; quod si postea a romana Ecclesia divisae sunt, 10^o hujusmodi

christianae religionis, quin aliquid adjecerit ex spiritu adventionis humanae, integras et haud immutatas assertavit. In illo benedicto omnino exoptato universali foedere, Ecclesia nostra pars erat indivisibilis graecae russicae Ecclesiae, quemadmodum et majores nostri, sermone non minus quam genere, pars erant indivisibilis russicae gentis. Verum lugubris destructio provinciarum nostrarum a Russia, vera earum patria, divellit quoque majores nostros a vera catholica unitate, subiecitque eos vis extraneae dominationis sub nomine unitorum arbitrio romanae Ecclesiae. Quanquam vero haec ipsis, per publica quidem instrumenta, et orientalem liturgiam in nostra domestica russica lingua, et omnes sacras caerimonias... tutata fuerit, quinimmo ipsum transitum ad romanum ritum prohibuerit (manifestum argumentum, quam purae et immutabiles crederentur antiquae nostrae orientales institutiones!), nihilo tamen minus astuta πολιτικῆ Polonae quondam reipublicae, ipsique consona ratio latini cleri, qui ferre non poterat russicum spiritum patrium (nationalitatis) et ab antiquo ductam liturgiam orientalis Ecclesiae, eo omnibus nervis tendebat, ut, si fieri posset, vestigia ipsa primaevae originis gentis nostrae nostraeque Ecclesiae eradicaret. Duplex hic conatus in causa

fuit, quod majores nostri, post initam unionem, miserrimam sortem experti sint. Nobiles post jura sua male habita transierunt ad romanum ritum; cives vero et coloni, qui moribus majorum in unione etiam asservatis renuntiare volebant, perpassi sunt gravissimam persecutionem. Sed statim et ritus nostri, sacraeque ecclesiasticae caeremoniae, institutiones etiam et liturgiae graviter immutatae fuerunt... Maxima pars unitorum (cum eorum provinciam Russia occupavit) jam tunc statim rediit ad unitatem cum orthodoxa orientali catholica Ecclesia, jamque pars ipsi erant indivisibilis universalis russicae Ecclesiae. Ceteri vero apud beneficium russicum regimen, quoad ejus fieri poterat, invenerunt tutamen contra praepotentem clerum romanum. Post haec aliaque ejusmodi putida ac manifesta mendacia quae referre non vacat, proditores isti Episcopi has emisere conclusiones:

I. Statuimus denuo agnoscere unitatem nostrae Ecclesiae cum orthodoxa catholica orientali Ecclesia, ideoque ex hoc permanere una cum commissis nobis gregibus in unitate cum beatissimis patriarchis, atque in obedientia erga sanctissimam regentem universalem russicam synodum.

II. Piusimum vero dominum et Imperatorem perquam humillime rogare, ut nostram hanc decisionem sub

separatio non fuit voluntaria ; Ecclesia romana est quæ illas excommunicavit ; ceterum ipsæ semper cum Ecclesia catholica conjunctæ perstiterunt. 11° Quod si potestas civilis edictis vetuit communicationem cum Ecclesia romana , id factum est ad præcavendos abusus romanorum Pontificum , qui nihil unquam moliti non sunt ad Ecclesias britannicas et dominationem temporalem sibi subigendas. 12° Itaque Ecclesiæ britannicæ nullo modo schismaticæ censi possunt ; tum quia pergunt in unitate fidei sive respectu sui sive respectu Ecclesiæ catholicæ , cujus necessitatem veluti fundamentale principium inculcant ; tum quia se non separarunt ab Ecclesia catholica ; tum quia fides Ecclesiarum britannicarum non innitur privatæ interpretationi Scripturarum

suum alium suscipiat præsidium , promoveatque executionem excelsa sua ordinatione , suaque imperatoria voluntate ad pacem et salutem animarum , eo consilio , ut sub ejus liberali sceptro nos una cum tota russica gente , juxta antiquum apostolicum officium , juxta præscripta sanctorum universalium Conciliorum , juxta traditiones Episcoporum doctorumque orthodoxæ catholicæ Ecclesiæ , uno eodemque ore , consono item corde laudare possimus Deum unum et trinum .

Ad hæc Sanctissima Synodus gratias egit cælesti Pastori pro hoc novo incremento sui veri gregis , statuitque juxta regulas et exempla Sanctorum Patrum , Episcopos , clerum et gregem universum ecclesiæ usque adhuc græcæ unitæ , in plenam recipere et illimitatam communionem sanctæ , orthodoxæ catholicæ orientalis Ecclesiæ... Imperator dignatus est manu propria his verbis rem decidere : Gratias rependo Deo et suscipio. Ita consummatum est hoc mysterium iniquitatis ,

quod prius secreto , deinde publicum factum est ; ac optime quidem , si Deus humanis fraudulentis decipi posset ! Ut autem ad posteros istorum apostatarum præsulum infamia perveniat , hic eorum nomina subjiciam ; sunt autem tres : primus Josephus SIEMASZKO , qui , cum in scholis Ordinis S. Basilii institueretur , ob præmium non adeptum se de Ordine illo ultimum spondidit. Promissis porro suis stetit ; primus quippe ejus actus , cum ad potestatis culmen in Ecclesia sua (græco-unita) erectus est , impetit Ordinem istum , cui primum novitios recipere sine gubernii venia prohibuit , tum vero eo , quod novitios non haberet , illum omnino abolevit. Homo superbæ et malarum artium plenus , totiusque doli ex parte Catholicorum primarius artifex (tales enim semper sunt apostatæ nostri). Nunc ab Imperatore archiepiscopus Wilnensis renunciatus , quæ sedes schismatica nunc primum erecta est. Reliqui duo minorum gentium sunt Basilius LUZYNSKI et Antonius ZUBKO.

tantum, sed interpretationi traditionali, quæ est regula totius Ecclesiæ catholicæ, prout aperte habetur in XII articulo: *Ecclesia habet... auctoritatem in controversiis fidei* (1). Nihil igitur impedit, quominus has Ecclesias unitatem conservare affirmemus.

303. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1^m, prob. Resp. 1^o *Neg.* suppositum, quod plures scilicet distingui possint Ecclesiæ a Christo institutæ, ita ut una possit dici altera anterior aut posterior. Ecclesia a Christo instituta unica et individua est, quæ in partes scindi non potest; eaque est Ecclesia catholica, cujus centrum et caput a Christo institutus est Petrus ejusque legitimi successores, ut postea ostendemus. Potuit autem aliquis populus prius alio in hanc unicam Ecclesiam cooptari, quæ incunabula sua Hierosolymis habuit, ubi passus est Christus, et Petrus primum commoratus est. Cum vero Petrus ad arcem romani venerit Imperii, hoc unicæ Ecclesiæ centrum Romæ constitutum est, ubi Petrus suam sedem fixit ac mortuus est, eamque suis in primatu successoribus regendam reliquit.

304. Resp. 2^o *Dist.* Ecclesia græca anterior est quacumque Ecclesia *tempore, trans.; auctoritate, neg.* Hoc est sophisma, quo, ut observat Maistrius (2), utuntur adhuc Græci et Græco-russi, ut sibi aliisque persuadeant, Ecclesiam orientalem, non obstante suo schismate ab Ecclesia romana, veram esse Ecclesiam. Verum si semel constiterit, uti inferius ostendemus, romanam Ecclesiam seu romanum Pontificem esse centrum unitatis jure divino constitutum, esse omnium Ecclesiarum matrem et magistram, quid refert, utrum aliqua societas anterior sit tempore ipsa imperii civitate principe ac metropoli, ut exinde super illam auctoritatem jactare possit? Si præterea constiterit, ut pariter luculentissime evincemus, græcam seu orientalem Ecclesiam per x secula agnovisse primatum romani Pontificis jure divino, eique fuisse subjectam, major profecto antiquitas eam a crimine perduellionis in schismate, quo se maculavit, haudquaquam absolvit. Nunc addo,

(1) Ita Palmer, op. cit. part. 1, cap. 10, cujus præcipuas difficultates in compendium redegimus.

(2) *Du Pape*, liv. IV, ch. 10, ubi egregie ejusmodi sophisma dissolvit ac plane conterit.

parem non esse cum Ecclesia græca conditionem Ecclesiæ russicæ, quæ duplicis, imo triplicis schismatis nota sese foedavit. Ac 1^o quidem schismatis, quod commune habet cum Græcis in ordine ad Rom. Pontificem; 2^o Schismatis, quo se a patriarcha constantinopolitano sejunxit, quo fit ut nullam communionem servet cum Ecclesia græca, prout hæc ipsa haud ita pridem publice declaravit (1); 3^o Schismatis a patriarcha moscovita, qui a Petro I abolitus est, ut sufficeret in ejus locum eam, quam ipse appellavit *sanctam synodum permanentem petropolitanam*, cujus caput ipse Imperator pro tempore est, ejusque membra omnia ab Imperatore deliguntur, quæque sua omnia decreta, ut mitius loquar, sub influxu Imperatoris emittit. Hanc certe synodum non constituit Christus.

305. Ad 2^m, *Dist.* Schismaticam, quæque habet successionem materialem, *conc.*; successionem formalem per adhæSIONem capiti in unitate fidei et regiminis, *neg.* Nempe non magis utrique Ecclesiæ hæc materialis favet successio, quam saveat Nestorianis atque Eutychianis sua, quamvis antiquior sit. Circa peculiarem Ecclesiam russicam præterea animadverto, ipsam in unitate Ecclesiæ romanæ fuisse fundatam (2) tum a Græcis catholicis tum a Lati-

(1) Cfr. Septimii Costanzi opuscula, tom. III, in schemate appendicis tertiæ ad Ruthenos ab Ecclesia catholica romana dissidentes, § 3, Romæ 1807, nec non *Dissertatio de origine christianæ religionis in Russia*, Romæ 1826, cap. 2. Cfr. etiam eruditum opus Cl. Barth. Kopitar, cui tit. *Hesychiei Glosographi discipulus*, etc. Vindobonæ 1839, in append. 15, pag. 56 et seqq. ubi egregie confutat W. A. Maciejowski commentaria, edita Petropoli et Lipsiæ, 1839.

(2) Cfr. *Considerationes historicae* etc. germanice editas a H. J. Smith, quarum compendium exhibetur in *Annali delle scienze religiose*, vol. III, n. 8

et 9, *settembre e ottobre, novembre e dicembre* 1836. In posteriori igitur hoc fasciculo, pag. 419 et seqq. narratur, quomodo, cum die 27 Julii 1833 ageretur de instituenda *Synodo permanente* adinstar *Ecclesiæ russæ*, restiterint omnes Archiepiscopi et Episcopi græci huic clausulæ; imo Synodum græcam tanta animi aversione actam fuisse contra Ecclesiam russicam, ut plures Episcopi, qui prius pileum russicum deferebant, in signum detestationis eum deseruerint, ut Synodo interrescent pileo græco. Interim per hanc Synodum Ecclesia græca se subduxit jurisdictioni patriarchæ constantinopolitani, sicut annis anteactis Ecclesia

nis, adeoque temporis tractu descivisse ab ejus communionem et schismaticam evasisse; inaudita proinde arrogancia est hujus schismatici coetus nationalis velle sibi *ecclesiae catholicae* atque *orthodoxae* nomen adsciscere.

306. Ad 3^m, *Dist.* Utraque Ecclesia centrum habet unitatis *fictitium*, *conc.*; formale, quale Christus instituit, *neg.* Nam etiamsi Ecclesia græca subsit patriarchæ constantinopolitano, cum hic se separaverit ac subduxerit ab auctoritate Romani Pontificis, ut se centrum et patriarcham œcumenicum constitueret, quare eodem jure non poterunt se ab eo separare ad se constituendos autocephalos Episcopi singuli? Par enim omnino ratio est. Ac reipsa ita factum esse paucis ab hinc annis, saltem ex parte videmus (1). Quod vero attinet ad synodum permanentem petropolitanam, tamdiu hujus durabit auctoritas, quamdiu steterit russicum civile imperium. Quod si semel hoc dissolveretur, actum plane erit de fictitio hujusmodi centro. Itaque illud solum vere centrum est, quod est divinitus institutum; cetera, quæ centra non sunt nisi in illorum opinione, qui hæc sibi confingunt, utpote schismatica et hæretica, in perpetua oscillatione versantur.

307. Ad 4^m, *Dist.* Tribus saltem hæresibus demptis, *trans.*; secus, *neg.* Tales hæreses sunt negatio processionis Spiritus Sancti etiam a Filio, existentiae purgatorii, et primatus jure divino romani Pontificis, qui articuli solemniter definiti sunt in œcumenicis Conciliis Lugdunensi II et Florentino, ut suo loco ostendemus, subscribentibus græcis ipsis, imo et russicis Episcopis (2). Dixi *saltem*; exploratum enim est, longe lateque errores Gregorii Palamæ ac Thaboritarum in Ecclesia græca diffusos esse (3).

russica se pariter separavit ac subduxit ab eodem constantinopolitano patriarcha; atque hinc factum est, ut diversæ istæ Ecclesiæ divisæ fuerint ab invicem, et effectæ nationales, atque constantinopolitani patriarchæ auctoritas ad nihilum redacta fuerit. Ita Deus punivit patriarcharum constantinopolitanorum superbiam, qui ab Ecclesia romana,

ut supremam auctoritatem obtinerent, turpiter defecerunt.

(1) Ibid.

(2) *Acta Conciliorum Harduini*, tom. IX, col. 990.

(3) Satis est inter ceteros legere, quæ de Gregorio Palama scripsit Nectarius, in op. cit. *Confutatio imperii Papæ*.

Quod vero ad errores attinet Ecclesiæ russicæ, satis est præ oculis habere, quæ scripsit P. Possevinus (1); ut omittam, principium, ut ita dicam, dissolvens protestantismi plura jam illius sic dictæ Ecclesiæ membra infecisse (2). Ita pura conservata est in utraque Ecclesia fides.

308. Ad 5^m, *Dist.* In sensu adversarii, *conc.*; in sensu Ecclesiæ catholicæ, quæ ipsum ut fidei dogma definivit, *neg.* Jam vero non privato uniuscujusque individui sensui in his standum est, sed auctoritati Ecclesiæ infallibili controversiarum judici. Quod autem adjicitur de intervallo, quod effluxit inter Photium et Michaëlem Cerularium, quo tempore *tolerata* dicitur contraria sententia, non aliud significat, nisi quod sublato schismate Ecclesia græca nullam hac in parte Ecclesiæ latinæ molestiam crearit; quum vero postea Græci crimini latinæ Ecclesiæ vertissent, quod profiteretur fidem de processione Spiritus Sancti etiam a Filio, tunc controversia excussa est et definita, uti constanter se gessit Ecclesia (3). Falsum porro est, latinos theologos veluti *verbalem*

(1) In opere cui titulus: *Moscovia*, typis Birckmanicis 1587, in scripto: *Capita, quibus Græci et Rutheni a Latinis in rebus fidei dissenserunt*. Item: *Errores alii Ruthenorum, qui orientale schisma sequuti sunt, postquam Græci ab Ecclesia sese præciderunt*, pag. 38-46.

(2) Cfr. P. Rozaven, in opere, quod opposuit Alexandro Stourdza, et inscripsit: *l'Eglise catholique justifiée contre les attaques d'un écrivain qui se dit orthodoxe*, Lyon 1822. Cfr. etiam Grégoire, *Histoire des sectes religieuses*, Paris 1829, tom. iv, chap. 13, *Raskolnicks*, et chap. 14, *Sectes dérivées du Raskolnisme*, etc.

(3) Nunquam enim, ut sæpius alias animadvertimus, Ecclesia consuevit definire nisi articulos in controversiam

adductos, aut impugnatos a novatoribus. Licet vero Photius, aliorum hæreticorum græcorum exemplo, et ipse attigerit quæstionem de processione Spiritus Sancti, cum tamen Ecclesia tunc temporis præcipue adlaboraret in flammis erumpentis schismatis extinguendis, vix de illa actum est; cum vero schisma cito sublatum fuerit, paxque quiesque in utraque Ecclesia restituta, altum fuit de ea controversia silentium, donec opera nefarii Michaelis Cerularii recrudit schisma, quod ut ille consolidaret, inter cetera, quæ objiciebat Ecclesiæ romanæ, et hunc articulum in medium adduxit; quapropter Ecclesia Concilio Barensi illum discussit et asseruit; quod iterum factum est in Conc. Lugdunensi et Florentino, græcis itidem et latinis præsulibus assentientibus.

potius quam realem hanc controversiam spectasse; quum omnes unanimiter Græcos impugnaverint et hæreseos accusaverint, tractatusque ediderint adversus illos. Hæc sunt plane somnia (1). Utrum vero novitas se tenuerit ex parte Græcorum an ex parte Latinorum, ex iis, quæ suo loco disputavimus, abunde liquet (2).

309. Ad 6^m, *Dist.* Id est, expresse ab initio et aperte, *trans.*; æquivalenter, et aperte etiam temporis lapsu, *neg. Nunquam* Ecclesia romana nisi provocata, atque omnibus prius conciliationis ac pacis viis pertentatis, quempiam repulit e sinu suo. Provocamus adversarios nostros, ut ex tota ecclesiastica antiquitate hanc usque in diem contrarium ostendant. Quum igitur Photius primum, seculo ix mediante; patriarcha intrusus classicum rebellionis cecinerit, carpsit Ecclesiam latinam, quod plures doceret errores, atque ipsum excommunicaverit Pontificem, quid mirum si hic separaverit se ab illius communione (3)? Idipsum contigit in schismatis instauratore, seculo xi, Michaele Cerulario, homine nempe audaci ac facinoroso, qui pariter insectatus est Ecclesiam latinam, e sacris dypticis nomen Pontificis sustulit, atque indebita sibi jura arrogavit (4). Numquid Ecclesia romana in culpa est? Ecclesia autem moscovitica et russica discessit ab Ecclesia romana opera potissimum Phoziey, missi a Cyrillo II patriarcha constantinopolitano anno 1408 ad regendam ecclesiam kioviensem, a qua ob errores suos expulsus, receptusque a Basilio Basilide Moscoviæ principe constitutus est patriarcha Moscoviæ (5). Hæc proinde natio, quæ hactenus magna saltem ex parte catholica

(1) Vere dolendum, quod hæc reprehendere debeamus in viro docto et moderato, cujusmodi se præbet Palmer. Illud ad quod alludit auctor, quem impugnamus, afficit phrases adhibitas passim a Patribus græcis, cum loquerentur de processione Spiritus S. a Patre *per* (διὰ) Filium, quam locutionem æquivalere alteri, nempe a Patre et ex Filio, qua pariter græci Patres usi sunt, alias ostendimus. In hoc porro solum citati

doctores dixerant, illam esse quæstionem potius *verbalem* quam realem, non autem circa substantiam dogmatis.

(2) In tract. *De Trinit.* cap. v prop. 1.

(3) Cfr. Constanzi, op. cit. tom. II, in præmio, § 13 et seqq.

(4) Ibid.

(5) Cfr. idem tom. III, in append. I, § 5 et seqq.

fuerat, arte illius pessimi hominis seducta a communione romanæ Sedis sponte recessit, ac Græcorum errores professa est (1). Ecclesia romana nihil interim unquam omisit, quo illam ad unitatem revocaret. Restitit illa tamen. Ergone Ecclesia romana in culpa est? Judicet adversarius ipse.

310. Ad 7^m, *Neg.* Agitur enim de schismate formali ex parte constantinopolitanæ Ecclesiæ ab Ecclesia catholica; romanæ siquidem Ecclesiæ adhærent omnes, qui sunt undique fideles, ut loquitur S. Irenæus, exceptis hæreticis et schismaticis, qui fideles non sunt. Quod vero dicitur, *salva unitate Ecclesiæ catholicæ*, non sapit nisi monstruosum systema ab adversario excogitatum; systema plane contrarium sacris Litteris, ex quibus novimus, a Christo universum gregem suum Petro, ac proinde legitimis ejus in hoc primatu successoribus, fuisse commissum, ut postea ostendemus; systema contrarium est toti antiquitati, quæ illud prorsus ignoravit (2).

(1) Ibid. § 7, nec non cit. *Dissertat.* cap. 7.

(2) Verum quod magis mireris illud est, quod Palmer, qui tot paginas insumpsit ad persuadendum lectoribus suis, posse conservari unitatem in et cum Ecclesia catholica, non obstante actuali separatione, ipsemet postea paucis verbis destruat, quod tanto molimine ædificare nisus est. Etenim agens, op. cit. part. 1, cap. 13, adversus *separatistas*, seu dissidentes ab Ecclesia anglicana, hanc sibi ex eorum ore opponit difficultatem: *Potest dari separatio absque schismate, quoniam christiani possunt esse inter se conjuncti in corde et in spiritu, quamvis officia religionis expleantur in diversis cultus locis.* Respondet: *Christus jussit Apostolos suos esse perfecte unitos, ut mundus cognoscere posset, quod*

Pater eum miserit (Joan. xvii, 20, 23). Ergo quodcumque schisma intra Ecclesiam adversatur voluntati suæ et aperta separatio ab ipsa, est manifesta inobedientia a Deo. Quumque separata conciliabula seu congressus constituti sunt, et æmuli ministri sagunt proselytos facere ex Ecclesia, declarantes ejus cultum, regimen, regulas ita antiscripturales esse et erroneas, ut christiani teneantur ab illa exire ac se separare; quinam prætextus potest magis inanisex cogitari quam ille, quo prætenditur interior communio affectionum, quæ a quovis facto falsitatis arguitur? Quomodo hic auctor sibi cohæreat, ipse viderit; satis est enim hæc applicare Ecclesiis, quas ipse vocat britannicas, respectu Ecclesiæ romanæ, a qua scissæ sunt, ut tota ejus labefactetur theoria. Tanta est vis veritatis!

311. Ad 8^m, *Neg.* Etenim hoc ipso innovarunt, quod contenderint, Christum instituisse Ecclesiam acephalam, negantes Petri ac proinde Rom. Pontificum primatum de jure divino. Verum de hoc argumento idoneo loco.

312. Ad 9^m, *Dist.* Id est, nonnulli Episcopi per summam ignaviam et assentationem, tum honoribus illecti, tum minis territi, proditores facti sunt causæ catholicæ, *conc.*; ex vera persuasione, *neg.* Notoriæ sunt artes machinationesque omnes, quibus gubernium russicum usum est ad græcos-unitos convellendos ab unitate catholicæ Ecclesiæ atque ad schisma pertrahendos. Publicæ item sunt persecutiones atrocissimæ, violentiæ apertæ et crudeles, bonorum expoliationes, exilia, quibus nobiles confessores obnoxii fuerunt, eo quod causam Christi prodere nollent (1). Ne hos imitentur, maluerunt ignavi illi Episcopi avitam deserere fidem, et occidere animas suas suorumque subditorum, quam adeptis honoribus et commodis nuncium remittere, qui olim animarum nostrarum Episcopo, Christo scilicet, rationem proditionis suæ sunt reddituri. Motiva, quæ isti homines ad suam apostasiam cohonestandam in medium protulerunt, non sunt nisi integumenta, quæ neque Deum neque homines fallere possunt. Idem dici debet de fictitio illo supplici libello una cum *benigno* rescripto. Isti certe nunquam legerunt in Evangelio: *Nihil est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non sciatur* (2); aut illud: *Attendite a fermento pharisæorum, quod est hypocrisis* (3). Mendacia porro

(1) Cfr. quæ scripsimus de sævitiis omnimodis, quas exercuit et exercet regimen russicum adversus catholicos, ut eos abducat ab unitate et pertrahat ad schisma, necnon exempla christianæ fortitudinis, quæ præbuerunt plures ex ipsis, in tract. *De Matrimonio*, cap. 4, ubi agebamus de matrimoniis mixtis.

(2) Matth. x, 26.

(3) Luc. xii, 1. In quæ Salvatoris verba notus est commentarius Ven. Bedæ: *Duo autem sunt genera perse-*

cutorum, unum palam scævientium, alterum fite fraudulenterque blandientium. Contra utrumque nos munire atque instituere volens Salvator, et supra ab hypocrisi pharisæorum, et hic a carnificum cæde præcipit non timere, quia videlicet post mortem nec horum crudelitas nec illorum valeat simulatio durare. Utroque persecutionum genere utitur regimen russicum; neutrum porro sustinere valuerunt ignavi illi defectores Episcopi. Verum,

sunt, quæ dicuntur de vi, qua majores eorum ab schismate divulsi sunt. Historica documenta contrarium ostendunt (1)

313. Licet vero origo Ecclesiarum britannicarum antiquissima sit, origo tamen anglicanismi seu schismatis recens est. Nam eo ipso, quod adversarius fatetur, per XV continentia secula Ecclesias britannicas permansisse in communionem cum omnibus Christi Ecclesiis, se suasque Ecclesias condemnat, quod postea ab Ecclesia romana, ac proinde a reliquis, quæ in universo terrarum orbe cum ea communicant, se separaverint. Ex illo tempore schismaticæ factæ sunt, nihilque amplius commune habent cum antiquis britannicis Ecclesiis, quæ intemeratam servarunt cum Ecclesia romana, id est catholica, unitatem. Possemus urgere *dubium saltem*, sive ex parte *juris* sive ex parte *facti*, de valore ordinationum anglicanarum, ac propterea Episcoporum successionem (2); verum opus non est, ut nos in hanc disputationem con-

quod in immensum auget istorum crimen, est supplex illa rogatio, qua petunt ab Imperatore, ut velit se suosque greges in communionem recipere *ad pacem et salutem animarum*; perinde ac si in sola russica Ecclesia quis possit obtinere salutem, quicumque igitur extra ditionem russicam, ultra quam non extenditur illa synagoga, salvari non posset. Væ illis, qui incipiunt in præceps ruere; non est ubi consistent!

(1) Cfr. Bollandiani, *Acta SS.* tom. II, septembr. dissertat. *De conversione et fide Russorum*, § 10; nec non Card. Baronius, in appendice *De Ruthenis ad communionem Sedis Apostolicæ receptis sub Clemente VIII.*, in *Annalib.* edit. Lucensis tom. IX, pag. 658 et seqq. Spondanus ad an. 1595, n. 14, etc.

(2) Præter ea, quæ circa valorem Ordinationum anglicanarum scripsi in tract. *De Ordine*, n. 137, not. (a),

specialem considerationem meretur, quod novissime scripsit clariss. ipse Dr. Lingard in opusc. relato in *Dublin Review*, mense maj. 1840, inscripto: *Ecclesia anglicana reformavit ne seipsam?* Ibi ostendit quam incerta, aut saltem quam problematica sit prætensio Ecclesiæ anglicanæ habendi successionem apostolicam in Episcopatu. Præscindendo enim ab authenticitate actorum lambethanorum, certum est, uti ipse animadvertit, valde dubitatum etiam ab initio fuisse de valore consecrationis Archiepiscopi Parkeri, (a quo solo proveniunt actuales Episcopi anglicani omnes) non solum a Catholicis, verum etiam a gubernio ipso Elisabethæ, sic ut necessarium prorsus duxerit recurrere ad omnipotentiam reginæ, ad eam Ordinationem ab omni defectu sanandam. Hæc porro *mandatum* edixit, quo *ex plenitudine regis suæ auctoritatis supplebat cuilibet defectui in*

jiciamus, cum ex dictis satis sit urgere schisma, ut abruptam prorsus esse successionem illam liquido elucescat.

314. Ad 10^m, *Dist.* Ad eum modum, quo non fuit voluntaria separatio Nestorii, Eutyctetis, Græcorum aliorumque ejusmodi,

qualitate aut modo procedendi commissariorum (id est, Episcoporum, qui consecrarunt Parkerum), *ita id exigente tempore et necessitate.* Igitur sola ratio, qua justificata est illa consecratio, fuit *exigentia casus*, secus quippe nova Ecclesia recta fuisset ab Episcopis non consecratis. *Radicalis* autem hic defectus magis manifestus fit ex eo, quod sex insequentibus annis, ad unamquamque consecrationem et confirmationem novi Episcopi, insereretur in *commissione* metropolitani eadem clausula sanatoria proveniens ex plenitudine regię potestatis, his nimirum verbis concepta: *Supplentes ex auctoritate suprema regia... nobis delegata, quidquid in hac electione fuerit defectum, tum in his quę juxta mandatum nobis creditum, a nobis factum et processum est, aut in nobis, aut aliorum nostrorum conditione, statu, facultate ad hæc perficienda deest, aut deerit, tum etiam eorum, quę per statuta hujus regni Anglię, aut per leges ecclesiasticas hac in parte requisita sunt aut necessaria, prout temporis ratio et rerum præsentium necessitas id postulant.* Talis est clausula, qua usi sunt quatuor Episcopi qui consecrarunt Parkerum die 17 Dec. 1559 in sacello Lambethano. Parker vero die 20 Januarii vices reddidit suis consecratoribus Barlowio et Scoreyo, eos confirmando eadem *clausula sanatoria.*

Jam vero opportune interrogat Lingard, nonne in hoc negotio aliquid circuli vitiosi intercessit? Tandem anno 1566 actu *Parlamenti* definitum est, quod, cum Regina in possessione sit totius jurisdictionis, omnium privilegiorum, superioritatum ac præeminentiarum spiritualium et ecclesiasticarum, quibus frui sunt ejus prædecessores, cumque *suprema potestate et auctoritate sua dispensaverit ab omnibus causis ac dubiis cujusvis imperfectionis aut incapacitatis in confirmatione et consecratione Episcoporum* per suas litteras patentes, ideo omnes actus et gesta in ejusmodi occasionibus essent atque haberi ac judicari deberent bona et perfecta (firma et rata) sub omni respectu et fine, non obstantibus quibuscumque in contrarium (*Statuta Regni* iv, 485). Ex tunc ac deinceps quodvis dubium habitum est tanquam prorsus sublatum, et clausula sanatoria omissa fuit. Judicet lector de ecclesiastica reginæ Elisabethæ regumque anglicanorum potestate, nec non de ludicro hoc dramate, et conferat cum iis, quę nobis obtrudit Guill. Palmer. Nihil dicam de altero capite, quo Ordinationum anglicanarum validitas laborat, de forma scilicet adhibita consecrationis. Certe Episcopi consecrati juxta formam Ritualis Eduardi vi, sub regno Mariæ depositi sunt ob *nullitatem consecrationis*, eaque forma inserta in mo-

conc.; alio sensu, *neg.* Nullus hæreticus ac schismaticus voluisset se separare ab Ecclesia romana seu catholica, dummodo hæc passa fuisset, ut errores suos et perversam agendi sentiendique rationem impune retinerent. Cum vero hanc nequeat conditionem admittere Ecclesia romana seu catholica, custos et vindex fidei atque unitatis, data ipsis semper optio est aut ejurandi prava dogmata, aut excommunicationem subeundi. Ita se gessit etiam Lutherus, fatente ipso adversario; ita reliqui. Non est Ecclesia romana adinstar arundinis, quæ ad omnem sese flectat ventum; sed est ædificium fundatum supra firmam petram, quod nec venti nec pluvie vel turbines dimovere possunt. Quotquot proinde nolunt se subjicere, impingunt in hanc petram atque franguntur. Veritas enim Domini manet in æternum. Certe si Henricus VIII, auctor schismatis, potuisset, vivente legitima uxore, aliam ducere; si potuisset primatum sibi vindicare ecclesiasticum, omnia susque deque in ecclesiastica disciplina innovare impune, nunquam se ab Ecclesia romana, id est catholica, sejunxisset; verum cum hæc componi inter se minime possent, post plures comminationes frustra a Rom. Pontifice factas, demum ventum est ad extremum illud excommunicationis remedium (1). Quod de continuata subditur conjunctione cum Ecclesia catholica, ut sæpe adnotavimus, intelligi debet de opere, ut ita dicam, musivo ab adversariis invento; nam nulla alia datur Ecclesia catholica præter Ecclesiam romanam, cum qua identificatur (2).

315. Ad 11^m, *Dist.* Ad præcavendos abusus fictitios, *conc.*;

numentis ac regestis illius temporis invenitur. Ab his tamen Episcopis eademque ad amussim forma consecratus fuerat Parker. Nunc vero Episcopi anglicani gloriantur de *successione apostolica!*

(1) Cfr. Card. Pallavicini, *Storia del Concilio di Trento*, lib. II, cap. 17, et lib. III, cap. 15; tum Nicolaus Sanderus, *De origine ac progressu schismatis anglicani lib. tres, aucti*

per Eduardum Rihsthorum, Romæ 1586, et cum appendice Petri Ribadeneiræ, Colonie Agrippinæ 1590; nec non Lingard, *op. cit.*

(2) Apposite S. Hieronymus sic urgebat Ruffinum, in *Apolog.* I, n. 4, edit. Vallars. *Fidem suam quam vocat? Eamne, qua romana pollet Ecclesia? An illam, quæ in Origenis voluminibus continetur? Si romanam responderit, ergo catholici sumus.*

reales, *neg.* Quando in abusu censem adnumerantur legitima jura romanorum Pontificum, certe plures recenseri possunt; sed si exercitium legitimæ auctoritatis a Christo acceptæ nulla ratione abusus dici potest, frustra obnitentes et perduelles ut motivum schismatis abusus obtendunt. Quod porro dictum est de juribus Rom. Pontificis, idem dici debet de innumeris aliis, quæ juxta Patrum doctrinam et praxim antiquissimam Ecclesiæ Catholici tenent, adversarii vero juxta sua anticipata judicia tanquam totidem abusus insectantur (1). Calumnia vero apertissima est, quod adjicitur de dominatione temporali, quam sibi assumere romani Pontifices nisi fuerint. Proferant adversarii vel unicum casum, in quo ipsi aliena jura invaserint aliquando. Quod si justis de causis Pontifices lata excommunicatione subditos quandoque solvebant a jurejurando, quo isti suos erga Principes obstringebantur, ideo fuit, quia sic ferebat quondam jus publicum ab omnibus per id temporis admissum (2).

316. Ad 12^m, Resp. Imo vere schismaticæ sunt, quia resectæ sunt ac divisæ ab Ecclesiæ capite, et a communione Ecclesiæ unicæ catholicæ; quia præterea nullam habent fidei unitatem, quum destitutæ sint auctoritate certa atque infallibili, quæ unicum medium est unitatis fidei servandæ. Quod patet quidem ex perpetua harum Ecclesiarum fluctuatione, qua factum est, ut modo profiterentur purum protestantismum, modo partem errorum tantum, modo ad Ecclesiam romanam accedere videantur, modo toto cælo ab ea abhorreant, adeo ut in ipsa universitate oxoniensi

(1) Sic, prout quisque affectus est, hunc censum exhibet; Protestantes omnes inter abusus Ecclesiæ romanæ referunt indulgentias, invocationem Sanctorum, venerationem imaginum, etc. Sacramentarii adorationem Eucharistiæ, oblationem Sacrificii, etc. Anabaptistæ collationem Baptismi infantibus, et ita porro. Quæ agendi ratio est vera *petitio principii*, ut loquuntur logici,

dum pro certo assumitur, quod adhuc in quæstione est.

(2) Cfr. Comte de Maistre, *Du Pape*, liv. II, chap. 9; potissimum vero commendatissimum opus, cui titulus: *Pouvoir du Pape sur les souverains au moyen-âge*, Paris 1839, in quo res, de qua hic agitur, docte eruditeque discutitur ac pleno in lumine collocatur.

divisiones et schismata invalescant (1). Itaque nec secum ipsi, neque cum aliis Ecclesiis fidei unitatem habent. Quod si necessitatem fidei veluti fundamentale principium inculcant, hoc nullius frugis est, cum fidei regula apud illos non subsistat, ea nempe regula proxima, quæ ad ejusmodi unitatem omnino requiritur.

317. Paradoxum vero est, quod affirmat adversarius, Ecclesias anglicanas non separasse se ab Ecclesia catholica, prout toties ipse inculcat, nos autem toties retudimus. Quænam vero erit ejusmodi Ecclesia catholica? Non romana, quæ cum ipsis non communicat; non orientalis, quæ, præterquam quod nec ipsa catholica est, nec ullam pariter communionem cum Ecclesiis anglicanis habet (2). Restant igitur Ecclesiæ lutheranæ, reformatæ, dissidentes, quas ipse adversarius pernegat esse Ecclesias Christi (3). Velint igitur nolint, Ecclesia anglicana est Ecclesia *nationalis*,

(1) Difficile est in ea universitate (quod sæpe a nobis animadverti opus est) duos scriptores invenire, qui plene inter se consentiant, etiam in articulis magni momenti. Satis hic sit commemorare Shutleworth, rectorem cujusdam collegii Oxoniensis, qui novæ scholæ sese acriter opposuit in gravissimo articulo de traditionibus, ut suo loco videbimus. Universa academia in duas partes scissa est, aliis pugnantibus pro veteri schola, aliis vero pro nova; equis poterit has partes inter se et cum ceteris universitatibus conciliare? In catholica Ecclesia hoc remedium semper in promptu est. Si qui vero sint, qui Rom. Pontificibus obedire detrectent, statim ab omnibus notantur; quod quidem recenti cunctisque comperto exemplo viri, magnam prius adepti nominis celebritatem, probare possem, qui veluti frondosa arbor fulmine icta illico exaruit!

(2) Præclare Card. Du Perron,

Réplique à la réponse du Roy de la Grande-Bretagne, ch. 60, animadvertit adversus regem Angliæ, qui contendebat Ecclesiæ catholicæ nomine significare unionem plurium societatum christianarum, romanæ, græcæ, russicæ, etc., animadvertit, inquam, Anglicanos profiteri in symbolo Athanasiano processionem Spiritus S. a Patre et Filio, ita ut qui eam non admiserit hæreticus sit, et extra salutis viam, tamen contendere unam simul efficere Ecclesiam catholicam. Hoc enim perinde est ac contendere, Ecclesiam catholicam ex omnibus sectis et hæresibus coalescere.

(3) Sic Palmer, op. cit. part. 1, cap. 12, sect. 4. Post plura, quæ observavit circa Lutheranos, Reformatos et Zwinglianos, concludit, societates Lutheranorum et Calvinistarum, quandoquidem omni hierarchia ac legitimo ministerio carent, non potuisse nec posse spectari *ut Ecclesias Christi proprie dictas*, sed solum latiori quodam

quæ non protendit suam auctoritatem ultra civilem britannicam ditionem, imo super pauca tantum membra ejusdem ditionis vel in Anglia ipsa dominatur (1). Itaque sunt hodie Ecclesiæ anglicanæ, quod olim Ecclesiæ Donatistarum extiterunt, quæ divisæ erant ab unitatis centro, ac proinde ab universa Ecclesia catholica; quare omnia possumus adversus illas argumenta intorquere, quibus olim Patres profligabant Donatistas (2). Quod vero diximus de Ecclesia

ac populari sensu, utpote interius Ecclesiæ conjunctas. Quam quidem loquendi rationem fateor me non assequi. Etenim, si non sunt proprie Ecclesiæ Christi societates illæ, quomodo possunt interius conjungi cum Ecclesia Christi? In hac hypothese deberemus admittere Ecclesiam quamdam invisibilem. Vidimus, quomodo ipse separatistis idem obtendentibus occurrere studuerit.

(1) Talis est status religionis in Anglia, prout per epistolam accepi hoc ipso anno (1840) ex illis regionibus: *Catholici, qui paucis abhinc annis pauci et risui hæreticorum expositi erant, nunc et numero et auctoritate pollent. In Anglia et Wallia universim numerantur catholici 2,000,000, in Hibernia 6,427,712, in Scotia 250,000, universim 8,377,712. Unde, quum tota multitudo Magnæ Britanniæ et Hiberniæ non excedat 27,250,000, patet, quod nos tertia ferme pars sumus totius istius incolarum frequentia. Protestantium omnis generis et sectæ adnumerantur in Anglia et Wallia 14,539,318, in Hibernia 1,556,227, in Scotia 2,115,000, universim 18,170,545 (quo in numero continentur etiam anglicani). Ceteri, id est differentia inter 27,250,000, totam nempe multitudi-*

nem, et 26,848,257, complementum omnium catholicorum et protestantium omnis ordinis et nominis, scilicet 401,743, vel judæi sunt vel infideles. Nostrum in dies crescunt, et protestantes minuuntur, etc. Attamen Palmer cum suis nobis persuadere satagit, Ecclesiam anglicanam esse veram Ecclesiam catholicam.

(2) Inter recentiores, qui in Anglia adversus novam Oxoniensem scholam rem catholicam scriptis propugnarunt, merito commendandus est Cl. Nic. Wiseman, nuper Episcopus Mellipotam. institutus. Cfr. varii articuli, quos ipse in *Dabliniensi revisione (Dublin's Review)* edendos curavit, præsertim vero n. x, Octob. 1838, et n. xiii, August. 1839, in quibus Ecclesiam anglicanam funditus atque essentialiter schismaticam esse, nullumque ipsi jus ad apostolicam successionem, in quo oxonienses tantopere gloriantur atque confidunt, competere (independenter etiam a validitate Ordinationum anglicanarum, quam tamen cl. auctor omnino denegat), totius ecclesiasticæ antiquitatis testimonio evidenter demonstrat. Nil autem verius luculentiusque perpetua illa comparatione, quam in secundo ex cit. articulis instituit inter schisma Donatistarum et

anglicana, dici pariter debet de Ecclesia græca in novo regno constituta, de Ecclesia russica, evangelica seu borussica aliisque ejusmodi; quæ scilicet omnes Ecclesiæ nationales ac politicæ sunt, quæ ultra ditionis temporalis fines uniuscujusque status minime protenduntur (1).

318. Sic etiam falsum est, quod universim asseritur de Ecclesiarum anglicanarum fide, eam scilicet non privatæ interpretationi Scripturarum, sed sensui traditionali et Ecclesiæ auctoritati inniti. Etenim non pauca ejusdem Ecclesiæ anglicanæ membra rejiciunt auctoritatem traditionis, vel si quam admittunt, ex ea tantum parte et juxta eum sensum admittunt, qui cum sectæ propriæ

anglicanum, sic ut ambo eandem pene originem, easdem vicissitudines ac progressus habuisse agnoscas oportet, ac proinde quod jamdiu Ecclesiæ Patres judicium in schisma Donatistarum protulerunt, idem nunc Ecclesiam anglicanam, frustra ab oxoniensibus lotam ac perpolitam, percellere et condemnare. Illud Optati Milevitani de schismatis Donatistarum origine, quod hoc nempe *confusæ mulieris* (Lucillæ) *iracundia peperit, ambitus nutrit, avaritia roboravit* (*De schism. donat.* lib. 1, cap. 14, pag. 18, edit. Dupinii), nonne historiam Annæ Bolenæ, ambitionem Henrici VIII, sese in caput Ecclesiæ erigentis, ipsius demum ejusque asseclarum in bonis Ecclesiæ diripiendis rapacitatem nobis adamussim repræsentat? Nonne illud Augustini: *Eadem pars Donati in multa minutissima frusta conscissa est* (*De Bapt. cont. Donat.* lib. 1, cap. 12), intestinas anglicanæ Ecclesiæ divisiones innumerasque sectas, quæ, velint nolint oxonienses, ex ejus sinu velut ex equo Trojano prodierunt, nobis ob oculos

ponit? Ipsum oxoniensium principium, anglicanam Ecclesiam partem esse veræ et catholicæ Ecclesiæ Christi, quamvis ea nullo unitatis ac exterioris communionis vinculo cum cæteris catholicæ Ecclesiæ partibus copuletur, jam a Cresconio donatista adhibitum, atque ab Augustino explosum fuit (*Cont. Crescon.* lib. III, cap. 62, 66). Sed hæc nonnisi pauca sunt, ex iis quæ cl. auctor docte atque ingeniose congressit ad suum propositum omni ex parte evincendum.

(1) Atque hic sedulo animadvertendum est, omnes ferme societates, quæ se ab Ecclesia catholica separarunt, effectas esse nationales, uti Ecclesia græca in novo regno, Ecclesia russica, Ecclesia britannica, seu potius anglicana, Ecclesia evangelica, etc. Quo fit ut societates istæ factæ fuerint veluti totidem formæ religiosæ regiminis civilis; sicque in illis omnibus politica et religio unum quid simul efficiunt. Ea tamen semper est conditio status religiosi, ut e civili regimine omnino pendeat. Ex hac sola animadversione patet, totam

erroribus componi queat (1). Triginta ipsi novem articuli, qui ad arbitrium conficti sunt, ut normam constituerent fidei Ecclesiae anglicanae, diversimode intelliguntur, sic ut mira sit inter Episcopos et doctores anglicanos, etiam quoad substantiam illorum, diversa interpretandi ratio (2), neque ulla apud ipsos conciliationis via defectu auctoritatis existat. Quare in perpetua fluctuatione versantur, ut patet ex historia diversarum phaseon, quas subierunt atque adeo subeunt anglicanae Ecclesiae (3). Concludamus igitur et nos, Ecclesias hasce, non obstante magno illo verborum apparatu et lenocinio, quo adversarii nostri tenebras veritati ac luci offundere conantur, neque unquam habuisse, nec habere, aut habere posse

humanam esse, seu opus hominum illam modificationem, quam subiit in illis regionibus christiana religio, secus ac eveniat in regiminibus catholicis. Ratio hujus discriminis est, quia religio catholica a Deo est et homini imponitur; acatholica vero est opus hominis, et homo colit idolum suum.

(1) Id liquet ex pluribus articulis, qui saltem a plerisque anglicanis protestantibus rejiciuntur, et de quibus certissime constat ex traditione; cujusmodi ex. gr. est primatus jure divino Rom. Pontificis, ut paulo post ostendemus, Sacrificium quod in missa offertur, invocatio Sanctorum, suffragium pro defunctis, etc. ut suo loco evicimus.

(2) Apposite Paley, in op. *Philosophy*, lib. III, part. 1, cap. 2, qui tamen et ipse fuit protestans anglicanus, de triginta novem articulis sancitis a Parlamento, scribit: *Qui contendunt, nihil aliud posse justificare subscriptionem xxxix articulorum, praeter actualem fidem uniuscujusque illorum, ac singularum propositionum, quae in*

illis continentur, supponere debent, auctoritatem legislativam sibi adblatam fuisse de consensu decem mille virorum, idque in successione perpetua, ne dicam circa vel unicam propositionem, sed circa plures earundem centenas. Difficile porro est sibi persuadere, quomodo id expectari a quoquam potuerit, qui ad insanabilem diversitatem humanarum opinionum in iis omnibus rebus, quae incapaces sunt demonstrationis, animum intendisset. Et sane magna viget inter Anglicanos sententiarum diversitas, etiam in substantialibus circa germanam intelligentiam plurimorum horum triginta novem articulorum.

(3) Profecto Ecclesiae britannicae fuerunt catholicae primis annis regni Henrici VIII; deinde fuerunt partim catholicae partim anglicanae sub finem illius regni; fuerunt plene anglicanae sub Eduardo VI, ac rursus sub Elisabetha; presbyterianae sub Cromwel, etc. Cfr. quae scripsimus, tract. *De vera relig.* part. II, n. 304, not. (1), p. 352.

unitatem propriam Ecclesiæ Christi, nisi revertantur ad communionem cum Ecclesia romana, cum qua per XV secula in unione fuerunt, prout summopere et ex corde optamus amore ducti tam illustris nationis, in qua sensus religiosus adeo excellit (1).

319. Obj. secunda. 1° Sanctitas non deest sectis, quæ omnes eo tendunt, ut homines a vitiis retrahant et ad virtutem seu sanctitatem informant. 2° Quamvis vero opera bona non requirantur ad formalem justificationem, non excluduntur tamen ut fidei ac justificationis fructus et indices. 3° Nemo porro negaverit, sanctas esse Ecclesias græcam, russicam et anglicanam quæ plures inter sua membra Sanctos enumerant. 4° Id ipsum dicatur de catholicitate, cum protestantes ubique diffusi sint, et missionarios in omnes terræ plagas habeant, quod pariter præstant Anglicani et Russi. 5° Quanquam nec dissimulandum est, actualement diffusionem minime requiri ad Ecclesiam catholicam constituendam; alioquin dicendus fuisset *catholicus* arianismus, qui seculis IV et V utrumque imperium orientale et occidentale occupavit. 6° Multo vero magis dicendæ sunt omnes Ecclesiæ istæ apostolicæ; hæc enim proprietas, ac proinde nota non a longa successorum serie, sed ab apostolica doctrina desumi debet; apostolica porro doctrina ex scriptis apostolicis ediscenda est, potius quam ex ho-

(1) In postremo fasciculo an. 1840, op. periodici inscripti *British critic*, quodque a protestantibus anglicanis conficitur, asseritur necessitas alterius cujusdam religionis, quum religio Ecclesiæ anglicanæ non sit religio populi. *Quenam autem, inquit, est religio apud nos introducenda? Est illa, quæ est una, sancta, catholica et apostolica.* Utinam isti homines larvam deponerent, et vel fidem Ecclesiæ vere catholicæ, nempe Ecclesiæ romanæ, amplecterentur, vel sibi ab his flebilibus modis frustra adhibendis temperarent; quum ejusmodi agendi ratio aliud nihil efficere queat, quam popu-

lum in indifferentismum dejicere, vel in suis erroribus confirmare! Ast mihi similes videntur illis mulieribus, quæ venerunt usque ad partum, nec tamen defectu virium parere potuerunt, de quibus loquitur Propheta. Ex una quippe parte sentiunt necessitatem se conjungendi cum Ecclesia, quæ sola una, sancta, catholica et apostolica est, quæque est sola Ecclesia romana; ex altera vero perterrefiunt ex vano *papismi* aut *romanismi*, ut ita dicam, magico terriculo. Vincat Dei gratia in istorum cordibus. Hoc enim honorum omnium desiderium ac votum est.

diernorum pastorum dictis; nec aliter dici potest post tantum temporis intervallum ab Apostolorum ætate. Cum vero Apostolorum scripta omnibus pateant, illæ societates dicendæ sunt apostolicæ, quas, ex collatione doctrinæ cum doctrina Apostolorum constiterit integrum purumque Dei verbum conservare, prout de protestantibus ceterisque Ecclesiis, quæ inductam a romana Ecclesia corruptionem sustulerunt, dubitari nequit. 7^o Equis enim sanus dicat; unius Ecclesiæ romanæ testimonio standum esse circa conservationem apostolicæ doctrinæ; cum exploratum sit, plerasque Ecclesias apostolicas ab Apostolorum doctrina defecisse? Ergo.

320. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Eo tendunt sectæ, ut homines retrahant a vitiis et informant ad sanctitatem, qualem sibi fingunt, ac per media, quæ illam destruunt, *conc.*; vere et proprie, *neg.* In primis observamus, hoc ipsum professas esse omnes antiquas sectas, quarum nulla extitit unquam, quæ sibi apparenter saltem non proposuerit homines ad virtutem et sanctitatem informare atque a vitiis abducere (1), quas tamen hodiernæ sectæ uti hæreticas et impias execrantur. Deinde animadvertimus, unamquamque sectam concipere sanctitatem, prout libet, quæque consistere possit cum propriis cupiditatibus, ut patet ex iis, quæ superius allata sunt, protestantium principiis, adeo ut satis ipsis sit Christum apprehendere per fidem, ut magni statim sancti efficiantur, quamvis sint omnibus sceleribus inquinati. Commoda profecto sanctitas. Demum dicimus, omnem sanctitatem everti per ferream quam inducunt necessitatem pleræque saltem protestantium familiæ, sive in ordine ad bonum, sive in ordine ad peccatum. Neque illud omittendum est, neminem ex catholicis protestantem seu sectarium fieri, ut melior evadat, sed semper ut liberius vivat,

(1) Ita Manichæi, Donatistæ, Novatiani primis Ecclesiæ sæculis; Cathari, Albigenses, Waldenses, aliæque innumerae prope sectæ medio ævo exortæ, quæ omnes exprobrarunt Catholicis malam vivendi rationem, seque puros et

perfectos jactabant, adeo ut Patres ac theologi debuerint ejusmodi diluere difficultatem. Ceterum quinam fuerint incorrupti mores istorum, qui se perfectos jactabant, ex historia compertum est.

ita ut quo pejores sunt catholici, magis ad sectas sint propensi; quo autem honestiores sunt sectarii, magis ad catholicismum inclinentur (1). Experientia docet, sectas esse veluti cloacam maximam catholicismi, in quam pessimi quique demum tanquam fæces delabuntur (2).

321. Ad 2^m, *Neg. suppositum*, de ejusmodi justificatione per solam fidem obtinenda, ut suo loco ostendimus. Præterea, ut ex modo dictis constat, impossibile est quodvis bonum opus in adversariorum doctrina, ut fructus justificationis, cum per eam destruatur omnis veræ libertatis notio (3). Quod si hanc admittant, non habetur nisi opus moraliter honestum.

322. Ad 3^m, *Dist.* Ecclesiæ illæ plures Sanctos recensent ex iis, qui floruerunt ante ipsarum schisma ab Ecclesia catholica, *conc.*; post schisma, *neg.* Sane Ecclesia græca inter Sanctos suos numerat eos omnes, qui floruerunt in Ecclesia catholica, ac propterea Rom. Pontifici subjecti erant in ejusque communionem. Eadem ratione se gerit Ecclesia russica, quæ colit SS. Methodium et Cyrillum Apostolos suos, aliosque ejusmodi, qui adhæserunt Rom.

(1) Cfr. duæ epistolæ quas hoc de argumento scripsit Cl. De Maistre ad quamdam matronam protestantem an. 1809, quæ prius ineditæ, typis deinde vulgatæ sunt in *Mémorial catholique*, Juin 1834, atque hæc quidem prolixo illustrium virorum catalogo, qui ex diversis sectis ad Ecclesiam catholicam se receperunt, confirmari possunt. Vid. *Demonstratio catholica ex celebr. conversione*. cujus articulos ex *Revisione catholica* exhibent ephemerides *Voce della verità*, Modena 7 Jul. n. 1395 et seqq.

(2) Ut plurimum apostatæ nostri, quod sæpius notavimus, non sunt nisi sacerdotes ac religiosi pessimi, qui cælibatus sacri pertæsi uxorem ducere malunt. Acer tamen conscientia st-

mulus eos perpetuo exagitat; nec pauci sunt, qui sub vitæ exitum palam id factentur, ac denuo se reconciliant cum Ecclesia, quam turpiter deseruerunt, ut propriis cupiditatibus morem gerent. Novissimum hujus rei exemplum his diebus præbuit Barnabas Rodriguez, sacerdos hispanus, qui in Angliam se receperat; morbo siquidem afflicto et Dei gratia præventus, palinodiam magno doloris sensu cecinit. Cfr. *Annali delle scienze religiose*, vol. xi, num. 32.

(3) Hac de causa Pusey, in epist. cit. accusat Ecclesiam romanam, quod tendat ad *pelagianismum*, quia agnoscit opera, quæ ope gratiæ fiunt, etiam ut *nostra*, seu ut ipse loquitur, opera *propria* tanquam *propria*. Attamen Concilium Tridentinum vocat *ea dona Dei*.

Pontifici, quique proinde etiam in Ecclesia romana seu catholica coluntur (1). Demum anglicana Ecclesia gloriatur de Sanctis, qui olim in Ecclesiis britannicis floruerunt (2). Verum quis non videat, nihil habere commune hos Sanctos cum præsentibus istarum Ecclesiarum apostasia, a qua Sancti illi maxime abhorruerunt? Alioquin etiam Nestoriani et Donatistæ de suis potuissent Sanctis gloriari.

323. Ad 4^m, *Neg.* Quælibet enim secta seorsum sumpta angustis limitibus circumscripta est. Si excipias partem Germaniæ Statusque foederatos Americæ, vix invenies Lutheranos. Idem dic de Zwinglianis extra Helvetiæ tractus, de Hugonottis extra Gallias. Anglicanos et Russos schismaticos extra proprii Imperii fines frustra quæsieris. Quod vero speciatim attinet ad Anglicanos, idcirco ipsi in provinciis foederatis Americæ reperiuntur, quod his Angli dominati fuerint, neque supersunt nisi reliquiæ, quæ in dies dilabuntur atque deficiunt. Missionarii harum sectarum sunt viatores et mercatores, qui in longinquas regiones cum uxore filiisque se conferunt, ut negotientur ac interea distribuant biblia, ut copiosis fruantur proventibus, quos percipiunt a societate; id quod suo loco satis ostendimus (3).

324. Ad 5^m, *Neg.* Requiritur enim juxta dicta ad catholicitatem constituendam diffusio tum successiva tum actualis, una cum identitate doctrinæ et communionis. Hanc nobis notionem præbent divina oracula, quæ ejusmodi diffusionem passim enunciant. Quare S. Augustinus: *Ipsa est enim, inquit, Ecclesia catholica; unde καθολικὴ græce appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur* (4). Et rursum: *Totum possidet, scribit, quod a viro suo accepit in dotem. Lego tabulas matrimoniales ejus, recitabo. Audite hæretici, quid scriptum sit: Oportet Christum pati et resurgere a mortuis, et prædicari in*

(1) Cfr. Costanzi, in *Schemate appendicis primæ*, § 2, pag. 3.

(2) Sane ut Palmer evincat, Ecclesiam anglicanam esse sanctam, provocat ad Sanctos, qui in catalogis nostris ha-

bentur, quique tempora Angliæ catholica illustrarunt.

(3) In tract. *De vera relig.* part. II, prop. x.

(4) Epist. LII, n. I.

nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod a viro suo accepit in dotem. Quæcumque congregatio cujuslibet hæresis in angulis sedet; concubina est, non matrona... Cognoscatur una sancta et vera regina catholica, cui regnum Christus tale dedit, quod eam per totum mundum diffundens, ab omni macula et ruga mundans, totam pulchram suo adventu præparavit (1). De identitate vero doctrinæ testis est Vincentius Lirinensis dum præclare scribit: In ipsa item catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc est etenim vere proprièque catholicum; quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit (2).

325. Licet vero Ariani, Imperatorum potentia freti, longe lateque diffusi ad tempus extiterint, hæc, uti ostendit Cl. Maran, fuit potius vafrities Episcoporum, qui catholicorum sedes usurpabant; dum populi interea semper alieni fuerunt ab illa controversia (3). Divisi præterea erant in plures sectas sibi invicem adversantes. Denique nunquam ita diffusi sunt, ut catholicæ Ecclesiæ prævaluerint. En quid S. Athanasius testis ocularis scribat ad Imperatorem Jovianum: *Scito, religiosissime Auguste, hæc ab omni ævo esse prædicata, hancque ipsam fidem Patres, qui Nicææ convenerunt, confessos fuisse, eamque suffragio suo comprobare universas totius orbis Ecclesias, nempe Hispaniæ, Britannicæ, Gallicæ, totius Italiæ, Dalmaticæ, Daciæ, Mysicæ, Macedoniæ, Græciæque, et Africæ universæ, necnon Sardinicæ, Cypri, Cretæ, Pamphylia, Lyciæ, Isauriæ, Ægypti, Lybiæ,*

(1) Serm. iv, *De symbolo ad catechumenos*, n. 13. Si tamen hic sermo genuinus est S. Augustini fœtus. Cfr. admonitio Maurin. edit. in *Sermones de symbolo ad catechumenos*. Antiquissimi saltem auctoris est.

(2) *Commonit.* cap. 2, apud Galland. *Bibliot. Patrum min.* tom. x.

(3) *Divinitas D. N. J. C. mani-*

festa in Scripturis et traditione, lib. 11, cap. 6, § 4: ubi, *Tota*, inquit, *res videtur inter Sacerdotes transacta, populis interim ab hac peste integris et intactis. Nam plebem occulta et dissimulata impietas nil lædebat, apertior et audacior ad iracundiam concitabat*; quod deinde adductis veterum testimoniis lucidissime ostendit.

Ponti, Cappadociae, vicinas quoque nobis, necnon Orientis Ecclesias, paucis exceptis, qui Arianam haeresim sequuntur (1).

326. Ad 6^m, *Dist.* Proprietas et nota catholicitatis ab apostolica doctrina desumi debet per seriem testium conservata, *conc.*; ab apostolica doctrina in se solum spectata, *neg.* Alioquin quaelibet secta sibi tribuet doctrinam apostolicam; cum vero saepe contrariae inter se sint, nullus unquam controversiae exitus haberetur. Methodistæ contendunt, se puram retinere apostolicam doctrinam; idem contendunt Quackeri, idem Baptistæ, idem reliqui omnes. Sequamur igitur necesse est tesseram, quam nobis antiquissimi Ecclesiae Patres tradiderunt, ad internoscendam veram apostolicam doctrinam a spuria; porro tesseram hanc in legitima successione Ecclesiarum apostolicarum Patres constituerunt. Nam 1^o Irenæus ita hæreticos sui temporis perstringebat: *Habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesia, et successiones eorum usque ad nos* (2). Qui deinde rom. Pontificum, qui a Petro ad suam ætatem floruerunt, censum exhibet, atque concludit: *Eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt; reliquos vero, qui obsistunt a principali successione, et quocumque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos et malæ sententiæ, vel quasi scindentes et elatos et sibi placentes* (3). Tertullianus pariter eadem ratione hæreticos insectatur: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant*

(1) Γίνωσκε, Θεοφιλέστατε ἄγυοστε, ὅτι ταῦτα μὲν ἐξ αἰῶνός ἐστί κηρυττέμενα, ταύτην δὲ οἱ ἐν Νικαίᾳ συνελθόντες ὁμολόγησαν πατέρες, καὶ ταύτη σύμφηφοι τυχάνουσι πᾶσαι αἱ πανταχοῦ κατὰ τόπον ἐκκλησίαι, αἱ τε κατὰ τὴν Σπανίαν καὶ βρετανίαν, καὶ Γαλλίας, καὶ τῆς Ἰταλίας πάσης, καὶ Δαλματίας, Δακίας τε καὶ Μυσίας, Μακεδονίας, καὶ πάσης τῆς Ἑλλάδος, καὶ κατὰ τὴν Ἀφρικήν πᾶσαν καὶ Σαρδανίαν, καὶ Κύπρον, καὶ Κρήτην,

Παμφυλίαν τε καὶ Λυκίαν, καὶ Ἰσαυρίαν, καὶ αἱ κατ' Αἴγυπτον, καὶ τὰς Λιβύας καὶ Πόντον καὶ Καππαδοκίαν, καὶ αἱ πλησίον ἡμῶν, καὶ αἱ κατὰ ἀνατολᾶς ἐκκλησίαι, πᾶρξ ὀλίγων τῶν τὰ Ἀρείου φρονούντων. *Epist. ad Jovian.* n. 2, edit. Maur. tom. 1, part. II, pag. 781.

(2) *Cont. Hæres.* lib. III, cap. 3.

(3) *Cont. Hæres.* lib. IV, cap. 26, n. 2, edit. Mass.

ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt; sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne conlocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem; perinde utique et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum continuatos apostolici seminis traduces habeant. Confiçant tale aliquid hæretici (1). Ita S. Optatus (2), S. Augustinus (3) aliique passim.

327. Quo principio semel constituto, jam sponte sua concidunt, quæ subjiciuntur de doctrina apostolica colligenda ex Apostolorum scriptis, de collatione doctrinæ cum doctrina Apostolorum, aliaque ejusmodi, quibus relabimur in controversiam de Scripturarum interpretatione, de sensu earum traditionali, ac jugi magisterio Ecclesiæ, quæ appositis locis expendemus. Si verum esset, quod de Ecclesiis Protestantium asseritur, ac de corruptione inducta a romana Ecclesia, verum pariter fuisset, quod Gnostici, Manichæi, Donatistæ aliæque ejusmodi pestes effutiebant, cum et ipsi clamarent, se unice veram doctrinam intemertam servasse, quæ corrupta fuerat ab Ecclesia romana. Nulla vero ratio apparet, quare Protestantes, Russi, Anglicani Gnosticis, Manichæis ac Donatistis sub hoc respectu se præferant.

328. Ad 7^m, Resp. cum S. Irenæo, Ecclesiæ romanæ testiimonia standum esse, *quia semper in ea conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio* (4). Quod quidem dignoscitur per nunquam interruptam Rom. Pontificum a Petro ad nos usque successionem, ut idem S. Pater argumentabatur. Deinde dicimus, quia sola fundata est super firmam petram, quam nunquam vicerunt aut vincent superbæ inferorum portæ, ut loquitur S. Augustinus; quæ quidem est ratio, quare, ceteris apostolicis Ecclesiis ab apostolica doctrina deficientibus, sola steterit Ecclesia romana, *ad quam*

(1) Lib. *De præscript.* cap. 32 edit. edit. Albaspinæi, Paris. 1631.

Rigalt.

(3) *Contra epist. Fundam.* cap. 4.

(2) *Contra Parmen.* lib. II, pag. 48,

(4) Loc. cit. ex lib. III, cap. 3, n. 2.

necesse est omnem convenire Ecclesiam, id est, omnes qui sunt undique fideles, ut prosequitur S. Irenæus (1).

CAPUT IV.

DE ECCLESIAE DOTIBUS.

329. Ecclesiae origine, institutione et constitutione expensis ac vindicatis, una cum notis ex quibus, ipsa a quavis adulterina societate, quae sibi christianae Ecclesiae nomen arrogat, tuto internosci possit, superest, ut inquiramus, quibus dotibus seu prerogativis divinus conditor Christus eandem instruxerit. Hæ autem dotes in eo a proprietatibus essentialibus differunt, quod istæ a rei natura, uti exposuimus, profluant, illæ quodammodo eidem supervenire concipiantur.

330. Præcipuæ vero Ecclesiae dotes sunt *indefectibilitas* in existendo, *infallibilitas* in docendo, *auctoritas* in regendo. Ejusmodi porro indefectibilitatem in existentia, infallibilitatem in doctrina, auctoritatem in regimine Christum Ecclesiae suæ concessisse, aut negant prorsus omnes acatholicæ sectæ, aut ita exponunt, ut extenuent eas atque comminuant. Cum enim se illis destitui probe norint, nihil non moliuntur, ut veræ saltem Ecclesiae easdem eripiant.

331. Ne autem, cum res adeo gravis agitur, quidpiam in ancipiti relinquatur, et ut lucido, prout par est, ordine singula disponantur, totum hoc caput in tres articulos partiemur, ut distincte de unaquaque dote disseramus.

ARTICULUS I.

De ecclesiae indefectibilitate.

332. Hæc afficit, ut innuimus, existentiam Ecclesiae a Christo institutæ, ita ut illius vi ea perseveret usque in seculi finem in illa ipsa constitutione seu natura et proprietatibus suis, tum in-

(1) Ibid.

ternis tum externis, in qua primitus existere cœpit. Quare cum ex ortu suo Ecclesia et anima et corpore, atque utriusque nexu, ex quo pendet mutuuum commercium, constiterit, ac propterea una individua, sancta, catholica et apostolica, eadem semper perseveret, necesse est, ut et eisdem notis semper cognosci possit, et eadem quovis tempore ab omnibus deprehendatur.

333. Ex hac indefectibilitatis notione inferimus primo: eam distingui tum a visibilitate, tum ab infallibilitate, tum denique a perpetuitate; visibilitas enim exteriorem tantum Ecclesiæ partem attingit, infallibilitas autem docendi munus, perpetuitas demum nil aliud importat in sui notione nisi nudam durationem præscindendo ab ejus modo seu statu. Contra vero indefectibilitas dicit identitatem perpetuæ permanentiæ in sua natura.

334. Inferimus præterea, perperam ab acatholicis aut coarctari hanc indefectibilitatem ad visibilitatem; aut in eo constitui, quod semper aliqui extituri sint, qui veram fidem profiteantur; aut in eo quod fidei essentialia, ut vocant, nunquam ab Ecclesia sint penitus defutura; aut denique hæc omnia simul ab eis permisceri (1); ex dictis siquidem hæc inter se nequeunt perturbari aut immisceri. His præmissis, sit

PROPOSITIO.

Ecclesia Christi est indefectibilis.

335. Etenim ex vindicatis, ita a Christo instituta Ecclesia est, ut quovis tempore omnibus hominibus per eam suppeterent media idonea ad salutem sibi comparandam; talis igitur quovis tempore perseverare debet, ut ab omnibus cognoscatur, et a qualibet secta jugiter secernatur. Jam vero talis non esset Ecclesia, si aliquando posset aliqua ex parte deficere; nam identica amplius non esset;

(1) Sic inter ceteros novissime se gessit J. Newman ex Oxoniensibus, in op. *Lectures on the prophetic office of the Church*, etc., seu *Lectiones circa munus propheticum Ecclesiæ, specta-*

tum relate ad romanismum et protestantismum popularem, Lond. 1837, ut patebit ex iis, quæ mox ex eo proferemus.

cessaret una esse, sancta, catholica et apostolica, prout ejus natura juxta Christi institutionem postulat; nec amplius exterius præ se ferret, notas quibus ut verà Ecclesia internosci posset; homines proinde possent decipi, dum putarent veram Ecclesiam esse societatem illam, quæ reipsa non est nisi secta seu Satanæ synagoga. Destituerentur ea propter mediis certis ac idoneis, quibus in negotio omnium maximo sibi possent tuto prospicere. Quæ omnia absona sunt et contra finem, quem Christus in Ecclesia condenda sibi præstituit.

336. Hinc cernimus, Christum promissiones suas non ad certum tempus coarctasse, sed extendisse usque ad mundi exitum. Sane, Matth. XVI, indefinite de Ecclesia sua pronunciat: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; et ibid. XXVIII: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, ut alia loca præteream non minus aperta et decretoria (1). Hæc porro omnia falsa essent, si ex aliqua sua parte posset Ecclesia aliquando deficere, et aliter se habere ab eo statu ac natura, in qua semel instituta est.

337. Quod magis adhuc elucet ex duplici analogia, juxta quam vidimus Christum voluisse instituere Ecclesiam suam, ad modum scilicet individui jugiter viventis seu personæ moralis, et ad modum, ut nonnullis placet, divinæ Incarnationis, per quam Christus ipse jugiter vivere pergat et operari in Ecclesia sua, ac per eam se hominibus manifestare. Hæc autem includunt ideam indefectibilitatis.

338. Demum factum ipsum perpetuæ permanentiæ Christi Ecclesiæ, scilicet Ecclesiæ catholicæ, cujusmodi perhibent omnia antiquitatis ecclesiasticæ documenta, nec non præsens ejusdem status post tot secula perseverans, ineluctabili prorsus ratione confirmat, indefectibilitatis a nobis assertæ prærogativa Christi Ecclesiam instructam esse (2).

(1) Cfr. Matth. XII, 25; Ephes. IV, 18, etc.

(2) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De vera religione*, part. I, cap. 4, prop. IV, de perpetua christianæ re-

ligionis conservatione juxta Christi vaticinia et promissiones; quam nonnisi in Ecclesia catholica seu romana ostendimus sortitam esse plenum exitum suum, non obstantibus innumeris pene

DIFFICULTATES

339. Obj. Quæ a Catholicis proferuntur ad indefectibilitatem Ecclesiæ adstruendam, nibili prorsus pendenda sunt. Etenim 1° quamvis vera Ecclesia deficeret vel ex toto vel ex aliqua sua parte, non propterea sequeretur, homines omni destitui salutis medio; posset enim Deus supplere mediis internis; possent homines spiritu saltem conjungi cum vera Christi Ecclesia, præsertim cum error est omnino involuntarius et ineluctabilis; tunc enim nocere non potest, ut constat ex hæreticis *materialibus* nuncupatis. 2° Nec quidpiam magis evincunt Christi promissiones; quamvis enim sæpius promiserit Deus in Vet. Test. populum hebraicum fore æternum, seu in perpetuum duraturum, defecit tamen. 3° Ratio est, quia, licet promissiones a Deo Ecclesiæ factæ sint perpetuæ, possunt nostræ inobedientiæ vitio limitari; nec desunt 4° exempla divinæ voluntatis *arcanè* frustratæ, quia Dei promissa, quoad illarum in specie executionem, poscunt hominis cooperationem; Deus autem non tenetur miraculis efficere, ut illa nunquam desit. 5° Neque *factum* pro Catholicis rem confirmat; quamvis enim Christus et Apostoli sæpe inculcaverint unitatem, eamque perfectam; quamvis etiam in unitate Christus Ecclesiam suam constituerit, certum tamen est in unitate Ecclesiam non perstitisse, neque amplius hanc post tot divisiones unitatem subsistere (1). 6° Notum præterea est, Basilium, Hilarium, Hieronymum, Bernardum Ecclesiæ defectionem ætate sua deflevisse (2). 7° Notum pariter est, Concilium Basileense deposuisse Eugenium IV, eique suffecisse Felicem V. Eugenius tamen pontificatum gessit, ac reliquos, qui eum secuti sunt rom. Pontifices, habuit successores; magna profecto defectio Ecclesiæ habenda hæc est (3).

internis atque externis difficultatibus, ac jugi conspiratione tot ejus adversariorum ad eam, si fieri potuisset, penitus abolendam.

(1) Ita Newman, op. cit. lect. VIII, quæ est *De indefectibilitate Ecclesiæ catholicæ*, pag. 230 et seqq. ubi omnia permiscet atque confundit.

(2) Apud Bellarmin. *De Ecclesia milit.* lib, III, cap. 16.

(3) Ita Calvinus in præfat. *Institut.* ubi prolato hoc argumento subdit, triumphum canens: *Hic deprehensi (catholici) hæreant necesse est... Aut igitur Ecclesiæ formam aliter deficiant, aut quotquot sunt, habebun-*

8° Quis denique ignorat Christi verba, Luc. XVIII, 8 : *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Ea item Pauli, II ad Thess. II, 3 : *Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit filius peccati?* Quibus aperte prædicitur defectus Ecclesiæ totalis futurus, saltem tempore Antichristi. Ergo.

340. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Dist.* Non sequeretur, homines omni destitui salutis medio extraordinario, *trans.* vel *conc.*; ordinario, *neg.* Jam vero, quando Christus condidit Ecclesiam suam, intendit præbere hominibus medium ordinarium, seu potius collectionem mediorum, quibus omnes indiscriminatim uti quovis tempore possent ad salutem sibi comparandam. Si Deus voluisset ope interiorum mediorum nostram operari salutem nulla fuisset Ecclesiæ instituendæ ratio (1). Mediis internis tum extraordinaria ratione nobis prospicit Deus, quando nulla alia suppetit via, neque nostra culpa factum est, ut media nobis ordinaria defuerint. Deus etiam posset hoc universum regere absque causis secundis, quod tamen non præstat, si excipias casus extraordinarios, cum nempe prodigia operatur. Quod vero adjiciunt adversarii de conjunctione per spiritum cum vera Ecclesia, de errore ineluctabili, aut de hæreticis materialibus, locum pariter habere tantum posset in hypothesi, quod Deus nullum aliud medium suppeditaret; cum vero constet Deum, alia ratione voluisse hominum saluti consulere, per institutionem videlicet Ecclesiæ visibilis atque externæ, quæque ab omni secta facile semper discerni possit, patet, inutile prorsus esse ejusmodi effugium ab acatholicis excogitatum, qui nolunt veram Ecclesiam agnoscere. Hæc enim aliaque id genus tunc solum valerent, si omnis via interclusa esset ad veritatem inveniendam; sed si error voluntarius est, et ex sola pertinacia nolunt sectarii eam agnoscere, ipsi viderint, si perniciem sibi consciscunt; Deus profecto in istorum

tur a nobis (hæreticis) schismatici, qui scientes volentes ab hæreticis ordinati sunt.

(1) Hoc argumentum præclare evoluit Frid. Lucas, non ita pridem ex Quakeris ad religionem catholicam con-

versus, in op. *Reasons for becoming a roman catholic*, seu *Motiva ad religionem catholicam romanam amplectendam*, London 1839, sect. 15, pag. 81 et seqq.

gratiam aliam non inibit viam ad ejusmodi homines ab exitio revocandos.

341. Ad 2^m, *Neg.* Quo autem sensu Deus promiserit, æternum fore populum hebraicum, non uno in loco ipse patefecit, sive cum, Deut. XXIV, prædixit, eum dispersum iri per universas mundi plagas; sive cum, Dan. IX, ejus prænunciavit rejectionem, et alibi passim. Lex ipsa mosaica utpote typica futuram ejusdem fœderis ac proinde populi cessationem non obscure indicabat. Nihil porro tale occurrit in Christi promissionibus respectu Ecclesiæ suæ perpetuo mansuræ; imo omnis conditio ab illis promissionibus aperte excluditur.

342. Ad 3^m et 4^m, *Dist.* Si promissiones sint conditionatæ, *conc.*; si sint absolutæ, *neg.* Si enim Dei promissiones absolutæ fuerint, nunquam fieri potest, ut effectum suum non sortiantur: siquidem ipsi Dei fidelitati et veracitati innituntur. Inobedientia proinde ac defectus cooperationis provenire quidem possunt ex parte individuorum, uti re ipsa in acatholicis contigit, nunquam vero ex parte ipsius Ecclesiæ, quia tunc Deus suis promissis plane deesset. Neque tamen ad hoc miraculis opus est, cum Deus subsidio et providentia sua omnia possit fortiter suaviterque sic attingere atque disponere, ut finem suum cumulatissime obtineat.

343. Ad 5^m, *Neg.* Aliud porro est inculcare unitatem perfectam, quæ in mutua charitate inter singula Ecclesiæ membra et amore consistit, eamque commendare, aliud autem in ejusmodi unitate Ecclesiæ indefectibilitatem constituere. Prius verissimum est, posterius vero omnino falsum. Cujusmodi sit unitas, quatenus proprietas Ecclesiæ est ac proinde nota, in superiori capite exposuimus. Itaque unitas cordium, quæ ex charitate profluit, a singulis individuis pendet, qui possunt ab ea desciscere juxta Christi prædictionem: *Necesse est ut veniant scandala; verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit* (1). Cui consonat Apostolus, dicens: *Oportet hæreses esse* (2), id est, divisiones et scissuras, quæ ex infirma hominum natura dimanant. Si enim Christus in ejusmodi perfecta animorum conjunctione constituisset Ecclesiæ

(1) Matth. XVIII, 7.

(2) I Cor. XI, 19.

sue unitatem, non hominum, sed Angelorum Ecclesiam condidisset. Ceterum si agatur de Ecclesia universa seu de toto corpore, ab illo neque ejusmodi charitas abesse potest; potest autem abesse ex parte singulorum membrorum, salva essentiali Ecclesiae ipsius unitate (1). Ex falsa porro adversariorum hypotesi

(1) Optime Maldonatus in illa Christi verba, Joan. XIII, 35: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, optime, inquam, scribit: Caveat lector, ne existimet eos, qui fidem habent, caritatem autem non habent, Christi non esse discipulos. Nam et illi non solum nomine, sed re etiam ipsa discipuli sunt, cum ab eo discant, atque illi tanquam vero præceptorum credant; ceterum imitatione morum ejus discipuli non sunt, quia, quod Christus diligit, ipsi non diligunt. Et quia hoc etiam modo vult Christus omnes homines discipulos suos esse, et qui hoc faciunt, non solum veri, sed etiam perfecti discipuli ejus sunt, indicat alios, qui fidem habent, dilectionem autem non habent, suos non esse discipulos; sic plane, ut si quis pater neget, eos suos esse filios, qui sibi moribus dissimiles sunt, non quod vere non sint filii, sed quod non quales esse oportebat. Frustra appellamur christiani (scribit Leo, serm. 6, De Nativit.), si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio magistri forma esset discipuli, et illam humilitatem eligeret servus, quem sectatus est Dominus. Ex hac observatione corrumpit, quod ex falso principio infert Newman, op. cit. pag. 241: Sequitur, so-*

lam antiquam seu primitivam Ecclesiam nobis posse præbere exemplum fidei suæ, quamdiu in se unitatem exhibuit. De qua porro loquitur Ecclesia? Si de ipsis ejus incunabulis deserit, quando multitudinis credentium erat cor unum et anima una, sequeretur, Ecclesiam paucorum dierum unice nobis posse præbere exemplum fidei, quod puto ipsum non admittere; quod si loquitur de Ecclesia insequentium seculorum, satis ei erit oculos conjicere in documenta historica, ut in eis inveniat quovis seculo exempla humanæ infirmitatis. Ceteris omissis, sat erit verba describere Eusebii, Hist. eccl. lib. VIII, cap. 1, quibus statum Ecclesiae nobis ab oculos ponit instante persecutione Diocletiani, nempe sub finem seculi III et initium sec. IV. Cum ex nimia libertate, inquit, in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus; cum alter alteri invidere atque obtrectare cæpisset; cum inter nos quasi bella intestina gereremus, verbis tanquam armis quibusdam hastisque nos mutuo vulnerantes; cum antistites adversus antistites, populi in populos collisi, jurgia ac tumultus agitent; denique cum fraus et simulatio ad summum malitiæ culmen adolevisset... cum vero sensu omnino destituti, de placando Dei numine cogitaremus quidem; quin potius

provenit, quod adjicitur, de tot divisionibus, post quas Ecclesiæ unitas subsistere nequit; ipsi enim pro certo assumunt, Ecclesiam catholicam constare ex pluribus societatibus christianis, ut superius vidimus, quæ tamen hypothesis est gratuita et falsa. Si enim Ecclesia est individua, atque, ut loquuntur Patres, vestis Christi inconsutilis, dividi in partes non potest, quin destruat; qui enim Ecclesiam scindere ac lacerare nituntur, non Ecclesiam reipsa scindunt, sed se ipsos scindunt ab Ecclesia (1); fiunt siquidem sectarii, hæretici atque schismatici.

instar impiorum quorundam res humanas nulla sollicitudine ac providentia gubernari rati, alia quotidie crimina aliis adjiceremus; cum pastores nostri, spreta religionis regula, mutuis inter se contentionibus decertarent, nihil aliud quam jurgia, minas, æmulationem, odia ac mutuas inimicitias amplificare studentes principatum quasi tyrannidem quamdam contentiose sibi vindicantes, tunc demum juxta dictum Jeremiae obscuravit Dominus in ira sua filiam Sion, etc. Quod si demum Newman loquitur de illa Ecclesiæ ætate, in qua nullæ adhuc prodierint hæreses aut schismata, cum hæc ab ipsa ætate apostolica cœperint, patet, nunquam nos invenire posse beatos illos dies, in quibus Ecclesia antiqua et primitiva præbuerit, juxta adversarium, fidei suæ exemplum. Utique ipse alludere videtur ad schisma, quod erupit ex parte Græcorum; verum nulla est ratio cur in illo schismate sistamus potius quam in schismate Novatianorum, ac Donatistarum aut Anglicanorum.

(1) Hoc est quod perpetuo inculcat S. Cyprianus, præsertim vero in aureo suo libro *De unitate Ecclesiæ*, ubi inter cetera pag. 198, edit. Maur.

scribit: *Non enim nos ab illis (hæreticis et schismaticis), sed illi a nobis recesserunt. Et cum hæreses et schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt.* Eadem docet S. Augustinus passim. Attamen si adversarios audias, præsertim vero Palmerium, non Lutherani, non Calviniani aut Zwingliani, non Anglicani se separarunt ab Ecclesia catholica seu romana, sed Ecclesia romana seu catholica separavit se ab illis. Nempe non rami ab arbore divisi sunt, aut rivus a fonte, aut radius a sole; sed arbor divisit se a ramis, fons a rivo, sol a radio; quæ quidem a sano et communi hominum sensu abhorrent, et pugnant cum ipsa rei natura. Interim advertant, arborem, sine ramis illis excisis, virescere posse et fructus dare, item fontem, sine rivo illo, aquas emittere, solemque nova semper luce micare; areferi vero ramos excisos ab arbore, putrefieri rivi aquas et denique evaporare sine fonte, evanescere radium sine sole. Hæc sibi applicent sectarii ab Ecclesia romana seu catholica separati; hæc enim sors citius serius eos manet.

344. Ad 6^m, *Neg.* Si enim unum Hieronymum excipias, ceteri Patres non de Ecclesia, sed de hæreticis factionibus loquuntur (1). Quo autem sensu asseruerit Hieronymus, mundum miratum se esse arianum, alias exposuimus (2).

345. Ad 7^m, *Dist.* Quando jam defecerat in conciliabulum et latrocinium, *conc.*; cum adhuc legitimum esset, *neg.* Etenim norunt eruditi omnes, nemine penitus dissentiente, Concilium Basileense in conciliabulum et schismaticam factionem defecisse, cum Eugenio IV, legitimo Pontifici, opposuit antipapam Felicem V, qui paulo post infulas deposuit. Nullus intererat schismaticæ illi sessioni S. Sedis legatus; eaque majori parte ex presbyteris componebatur, qui denique se subjecerunt Nicolao V, Eugenii successori (3).

346. Ad 8^m, *Dist.* In adductis Christi et Pauli testimoniis prænunciatur defectio plurimorum, præsertim vero malorum ab Ecclesia, *conc.*; defectio ipsius Ecclesiæ, *neg.* Alioquin, cum post

(1) Sane Hilarius, in lib. *Cont. Auxentium*, n. 12, scribit: *Male vos parietum amor cepit, male Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini, male sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in his antichristum esse sessurum? Montes mihi et silvæ, et lacus et carceres et voragine sunt tutiores.* Loquitur de sola Ecclesia mediolanensi, in qua Auxentius, fretus Imperatoris favore, occupabat illius Ecclesiæ templa, eo quod dissimulasset veræ fidei professionem, quam postea rebus immutatis deseruit. Cfr. præfat. Maur. editor. opp. tom. II, pag. 587 et seqq. impress. Veronæ 1730; S. Basilius, epist. XLII. edit. Maur. al. 69, item epist. CCXLIII, al. 70, deplorat calamitates Ecclesiarum orientalium, quæ vexabantur ab hæreticis *tolerantibus* illius ætatis, describit vaferrimam agendi rationem Episcoporum arianorum, et

auxilium implorat Episcoporum occidentalium, italorum et gallorum, qui tunc pace fruebantur. Homiliam XLIX in Matth. sub S. Joan. Chrysostomi nomine objectam, jam monuimus spuriam esse.

(2) Tract. *De vera relig.* part. II, prop. IV, n. 93.

(3) Cfr. Bellarm. loc. cit. Harduin. *Acta Concil.* tom. VIII, col. 1229 et seqq. Nat. Alexand. diss. VIII in sec. XV et XVI, art. 5, qui quamvis acerrimus sit Concilii Basileensis propugnator, at tamen fatetur, saltem ex defectu consensus Ecclesiæ, irritam fuisse et depositionem Eugenii et electionem Felicis. Verum omnino legendæ sunt animadversiones in Concilium Basileense, quas cit. dissertationi apposuit Roncaglia. De hoc Concilio iterum redibit sermo.

Antichristi cladem gentes omnes et Judæi ipsi convertendi ad Christum sint, veram Ecclesiam nulla ratione internoscere amplius possent (1). Accedit, longe verisimilius verba Christi *de fidei perfectione* in pluribus, non autem de fide ipsa absolute debere intelligi (2).

ARTICULUS II.

De Ecclesiæ infallibilitate.

347. Dum Ecclesia docendi munere fungitur, triplex officium exequitur, *testis* scilicet, *judicis* et *magistræ*. Testis quidem in proponendis fidei veritatibus, quas a Christo accepit; judicis in dirimendis controversiis, quæ vel fidem attingunt, vel ad eam referuntur; magistræ denique in ministerio quotidiano, quo viva voce et praxi fideles iis omnibus instruit, quæ ipsis intemerata doctrina et moribus informandis conferunt, eosque veluti manu ducit ad æternæ salutis iter capessendum.

348. Ad singula hæc præstanda Christum Ecclesiam suam infallibilitate instruxisse contendunt Catholici, inficiantur acatholici omnes, ut ei substituant systemata vel spiritus privati, vel interioris nescio cujus afflatus Spiritus Sancti, vel privatæ Scripturarum interpretationis, aut alterius cujusvis inventi, postremis præsertim temporibus excogitati ad excludendam ab Ecclesia infallibilitatis dotem, qua semel admissa, sectarii se penitus contritum iri persentiunt.

349. Jam vero necessaria hac prærogativa sub triplici, quem diximus, respectu Ecclesiam a Christo instructam esse ostendere aggredimur. Ne autem, quæ sumus exposituri, simul collecta legenti tenebras offundant, constituimus integram hanc gravissimam quæstionem in duas partiri propositiones, in quarum altera generatim vindicemus infallibilitatem Ecclesiæ in proponendis docendisque iis, quæ ad fidem et mores pertinent, atque in dirimendis controversiis, quæ circa eadem objecta exoriri pos-

(1) Cfr. Rom. xi, 25.

(2) Cfr. Bellarm. loc. cit.

sunt, sive prout testis, sive prout iudex, sive demum prout magistra est. Cum vero inter controversias, quæ ad fidem referri inuimus, potissima ea sit, quæ afficit librorum sensum, seu, ut vocant, *facta dogmatica*, ejusdem Ecclesiæ infallibilitatem etiam in his dirimendis propugnabimus in altera propositione. Sit igitur exorsus a prima.

PROPOSITIO I.

Ecclesia Christi est infallibilis in iis omnibus, quæ ad fidem et mores pertinent.

350. Christus ex dictis Ecclesiæ auctor ideo eam fundavit, ut per hanc homines doceret tutam salutis viam. Ergo eam infallibilitate instruxit, sive ut testis est apud homines ejus doctrinæ, quam ab eo accepit, sive ut iudex est in controversiis dirimendis, quæ oriuntur aut oriri possunt circa verum ejusdem doctrinæ sensum, sive demum prout magistra est in ministerio suo exhibendo ad homines rite informandos.

351. Antecedens nec ab adversariis ipsis in dubium revocatur; ita porro evincimus consequens. Christus sibimetipsi seu in sui locum Ecclesiam suffecit ad omnes homines in fide ac moribus docendos, eidemque missionem hanc difficillimam obeundam commisit ad omnes homines et in omnes ætates usque ad mundi finem; sigillum præterea divinæ hujus missionis eam præ se ferre voluit in signis et portentis, ceterisque extraordinariis donis, ut per ipsa fidem apud populos sibi conciliaret in hoc munere exequendo; interius insuper gratiæ suæ subsidio ipse omnium corda illustrat ac permovet, ut doctrinæ sibi Dei nomine ab Ecclesia propositæ pronas admoveant aures eique obsequantur; æternas denique poenas et supplicia comminatur obedientiam detrectantibus atque Ecclesiæ prædicationem respicientibus (1).

(1) Præclare Möhler, in cit. *Symbolica*, cap. 5, § 36, scribit: *Une fois consommée, l'alliance avec les en-*

fans de Dieu doit durer jusqu'au trépas. Le Baptême est la porte de l'Eglise, l'admission dans la société des

352. Jam vero hæc omnia absque infallibilitatis dote Ecclesiæ concessa non modo concipi nequeunt, sed plane absurda essent; et a pietate divina prorsus aliena. Adsurdum enim inprimis est, posse Ecclesiam falli, ac proinde homines decipere; quandoquidem Dei nomine, imo et in ejus locum suffecta, munus illud implere debet, quod ipse prius inchoavit, ac prosequendum eidem commisit apud omnes gentes, per ejus ministerium illuminandas, quibus tutam salutis viam constituit patefacere. Adsurdum præterea est, potuisse aut voluisse Christum divinam Ecclesiæ missionem miraculorum suorum sigillo communire, quo homines invincibiliter ad errorem aut falsam doctrinam profitendam inducerentur. Quamvis enim daremus (quod falsum esse ostendimus), post sufficientem Evangelii promulgationem ejusmodi extraordinaria dona in Ecclesia cessasse, cum tamen illorum ope primi fideles

fidèles; il confère le droit, bien plus, il impose l'obligation de prendre part à toutes leurs joies, à toutes leurs douleurs. D'un autre côté, l'administration des Sacremens, aussi bien que celle de la parole, a été identifiée par le Seigneur à l'apostolat; et encore à cet égard, ils sont à jamais attachés à la communauté, unis à elle d'une manière indissoluble. Ainsi donc l'union avec Jésus-Christ implique union avec son Eglise. Les liens qui rattachent à Jésus-Christ, enchaînent à l'Eglise; tous deux sont inséparables; il est en elle, et elle est en lui (Ephes. v, 29-33). Par ces raisons mêmes, l'Eglise ne peut manquer à la partie de sa tâche, qui est de conserver la parole de Dieu; elle n'est point sujette à l'erreur. Comme chaque adorateur du Christ est incorporé à l'Eglise par des liens indissolubles; comme c'est elle qui le conduit au Sauveur, et qu'il ne reste en Jésus-Christ

qu'autant qu'il demeure en elle, c'est l'Eglise aussi qui forme son cœur et son intelligence. Il ne peut donc lui refuser sa confiance. Dès lors il faut que cette confiance soit méritée. Il ne faut point que le fidèle, qui s'abandonne à l'Eglise, puisse être induit en erreur; l'Eglise par conséquent ne peut défailir de la vraie doctrine. Ceterum quod spectat ad comminationes, quas Christus interminat incredulis, refertur iis sunt sacræ Litteræ. Sic ex gr. Matth. x, 14, mittens Apostolos ad annunciantium regnum Dei: Quicumque, ait ipsis, non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris; amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. Marci, xvi: Qui non crediderit, condemnabitur. Joan. iii, 18: Qui non credit, jam judicatus est. Et alibi passim.

in Christum crediderint, ac se in Ecclesiam receperint, et propterea ad seram usque posteritatem illis tanquam credibilitatis motivis Ecclesia auctoritatem sibi conciliaverit, ad scopum nostrum perinde est. Semper enim verum foret, Deum prodigiis concurrisse ad obsignandam uti divinam illius Ecclesiae missionem, quae posset quovis tempore homines in erroneam aut falsam doctrinam inducere, et quae Dei nomine et auctoritate proponeretur. Absurdum pariter est Deum, seu Christum gratiae suae subsidio homines inclinare, allicere ac flectere per pium credulitatis affectum ab obsequium et obedientiam praestandam Ecclesiae a se institutae, si haec posset pro veritate errorem, pro vero cultu superstitionem, pro sanctis morum regulis perniciosas propinare. Multo vero minus posset Deus aeterna comminari supplicia incredulis et obedientiam detrectantibus, si possent ab Ecclesia absolute decipi.

353. Diximus insuper hoc docendi munus Christum Ecclesiae suae demandasse explendum apud omnes homines et in omnes aetates, nimirum apud omnes homines tum praesentes tum futuros usque ad seculi finem, quia ipse *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (1)... *et pro omnibus mortuus est* (2)... *et aequaliter cura est illi de omnibus* (3). Porro infallibilitatis praerogativam ad id munus rite obeundum, ex quo pendet aeterna hominum salus, necessariam in primis esse quoad omnes homines praesentes, ostendere operosum non est. Homines enim in duas distinguuntur classes, in eos scilicet, qui jam intra septa Ecclesiae sunt, et in eos, qui sunt extra Ecclesiam; rursum qui extra Ecclesiam versantur, sunt aut infideles, aut haeretici, aut schismatici. Jam vero quoad ambas classes aequae necessaria est Ecclesiae infallibilitas. Ac primo quidem necessaria est quoad eos, qui jam in Ecclesia inveniuntur, ut recte instrui ac doceri queant, ne in errores sanae doctrinae adversantes prouant, tum etiam ut in unitate conserventur et contineantur. Si nullum enim esset infallibile tribunal, quod absque erroris formidine dirimere

(1) I Timoth. ii. 4 et seqq.

(3) Sapient. vi, 8.

(2) II Cor. v, 15.

controversias posset, quæ quotidie exoriuntur sive circa germanum Scripturarum sensum, sive circa quælibet doctrinæ capita, nulla esset Catholicis ratio se Ecclesiæ decisionibus subjiciendi, et captivandi proprium intellectum ejusdem definitionibus. Unusquisque posset pro lubitu sentire et credere, turbæque necessario nascerentur ac disputationes, nullo unquam tempore solvendæ, in articulis maximi momenti, et perpetua inde confusio. Sola siquidem auctoritas infallibilitate destituta ad compescendas controversias religionis minime valet, nec nisi tyrannidem saperet velle sola auctoritate homines ratione præditos ad hoc potius quam illud fide credendum impellere (1).

(1) Cum libertas examinis, prout ostendimus, sit principium fundamentale protestantismi, hoc ipso est fons uberrimus dissensionum ac divisionum, ita ut bis centum sectæ ex eo pullula-verint, et novæ quotidie oriantur. Non alia ratione potuerunt Lutherani, quos vocant orthodoxos (nam sicut habentur græci *orthodoxi*, Russi schismatici *orthodoxi*, Anglicani *orthodoxi*, sicutiam sunt Lutherani *orthodoxi*, Calviniani seu reformati *orthodoxi*), et Reformati impedire plenam propriæ sectæ dissolutionem, quam adoptando practice viam auctoritatis, quam theoretice rejiciunt. Exinde tot apud ipsos coactæ synodi, tot editæ fidei professiones, ut possent aliquo modo in unam coire societatem et fidei professionem. Cum tamen nullo jure id præstare potuerint, utpote infallibili auctoritate destituti, juxta principium illud Lutheri, quod vir unus spiritualis ac pius melius possit cognoscere veritatem quam universa Ecclesia, nulla ratione valuissent illam dissolutionem impedire, quæ suapte natura emergit ex principio essentiali

et constitutivo protestantismi. Quapropter per Principum sanctiones, per edicta politica, aut etiam per decreta consistorialia, sub gravissimis pœnis cogi membra singula debuerunt ad fidei professiones communi calculo profitendas, adigi ad id debent interposita juramenti religione, sive animi persuasionem habeant sive non, nihil refert. Quis porro non videt, ejusmodi agendi rationem absonam omnino esse, eversivam ipsius protestantismi principii, ac tyrannidem sapere, uti copiose ac luculenter ostendit, D. De Baudry, in op. cit. *La religion du cœur*, Paris 1840, trois. part. chap. III, art. 3. Quod quidem fassus est vel ipse advocatus Jayet, unum ex præcipuis membris magni consilii protestantici in Helvetia, in suo *Compte rendu*, pag. 322, his verbis: *Je ne conçois pas une confession de foi sans l'infailibilité. La parole divine même, si elle présente quelque obscurité, ne peut être interprétée par des voix humaines. On nous a dit à la vérité que Dieu a employé des moyens humains pour se révéler à nous; mais*

354. Nec minus necessaria est ejusmodi Ecclesiae infallibilitas quoad illos, qui extra eandem Ecclesiam versantur; nullum enim infallibilitate destituta Ecclesia ad eos convertendos jus haberet; frustra missionarios ad illos mitteret, ut ipsos aut ab infidelitate, aut ab hæresi, aut a schismate abducerent; possent quippe reponere, se in pari conditione esse, atque ita fere ratiocinari: Possumus quidem nos errare ac decipi, at errare pariter ac decipi Ecclesia vestra potest, dum testem se exhibet illius doctrinae quam se a Deo accepisse contendit; errare potest in controversiis quæ agitantur; itaque in pari statu nulla est ratio quare ad eam accedamus, vel subjiciamus nos judicio ac magisterio illius fallibili perinde ac nostro. Major autem minorve probabilitas haud excludit errandi formidinem, nec haberetur in eo nisi transitus ab opinione in opinionem. Cum tamen Ecclesia mandatum a Christo acceperit prædicandi, ac docendi omnes gentes, cumque Christus pœnas interminaverit obedientiam detrectantibus, necessario inferendum est divinam hanc missionem includere infallibilitatem, eique plane inhærentem esse.

355. Porrigi autem debere hanc eandem infallibilitatem in omnes ætates, usque ad mundi finem, non minus luculenter elucet. Etenim si Christus Ecclesiam in locum sui suffecit, ut id conficeret quod ipse in Judæa inchoaverat circa conversionem gentium; si eam dare constituit ut medium tutum, quo homines ad veritatis a se prædicatæ cognitionem pervenirent; si donis extraordinariis eam communivit, quibus ipsa divinam missionem

n'oublions pas que ces voix humaines, qui nous ont transmis la parole de Dieu, avaient le don du Saint-Esprit. Je ne conçois pas que le langage inspiré puisse être interprété par des voix qui ne le sont pas. Sed videsis ipsum, actorem art. cit. De la tyrannie qu'on exerce sur les consciences en établissant, pour règle d'enseignement, une confession de foi, qui n'est pas infallible, pag. 331 et seqq. At-

que hic obiter notetur singulare phænomenon, quod apparet in protestantismo: sine libertate examinis protestantismus natus non esset; cum practica hac libertate examinis penitus protestantismus extingueretur. En inter quas angustias coarctentur protestantes; necessaria est hæc libertas, ut vivant; necessario auferenda est, ne moriantur! Ita Deus excæcat humanam sapientiam extollentem se adversus Ecclesiam.

suam comprobaret; si denique ingressum in Ecclesiam atque in ea perseverantiam voluit viam unicam esse omnibus hominibus salutem assequendi, evidens est coarctari non posse Ecclesiæ infallibilitatem ad tria aut quatuor secula, ita ut ulterius non protrahatur. Nam quæ motiva illam exigunt et exposcunt pro aliquo seculo, eadem militant pro omni seculo. Alioquin in longe deteriori conditione versarentur homines qui post ea secula orti sunt, quam illi, qui vitam degerunt tribus quatuorve prioribus illis beatis seculis; idque absque ullo eorum merito, quibus priori illa ætate vivere contigit, et absque culpa eorum, qui postea nati sunt. Quod quam absonum sit et a divina pietate alienum, nemo est qui non videat. Primi enim certi omnino fuissent, se tenere veritatem divinitus traditam; certi fuissent, se in vera esse et unica salutis via, quamdiu cum Ecclesia crederent; non potuissent omni doctrinæ vento jactari, aut naufragium facere circa fidem; contra vero reliqui incerti in his omnibus hæerere deberent, cum æterni exitii formidine. Igitur aut nunquam Ecclesia infallibilis fuit, aut talis semper est (1).

(1) Ex his patet, quam absurda sit illorum novatorum sententia, qua statuunt, ecclesiam immaculatam, ac proinde infallibilem perstitisse usque ad tertium aut quartum seculum, ita ut omnes controversiæ sint ad illam beatam epocham revocandæ. Dum hæc oggerunt novatores, profecto non attendunt ad solemnem ac indefinitam illam promissionem, quam Christus fecit Ecclesiæ in Apostolis suis, dicens: *Ecce, ego vobiscum sum* (docentibus et baptizantibus) *usque ad consummationem sæculi*; neque attendunt ad parem exceptionem, quam facere eodem jure potuissent singulæ sectæ, cum ab Ecclesia damnatæ sunt. Ariani enim excipere potuissent, Ecclesiam infallibilem perstitisse usque ad sec. iii; Mani-

chæi usque ad sec. ii; Gnostici usque ad sec. i; Docetæ ejusmodi infallibilitatem periisse cum Apostolis, imo cum Christo, prout reipsa vidimus Gnosticos, testibus Irenæo ac Tertulliano, ita sensisse, dum se Apostolis præferebant. Quod si semel admittatur, ad tempus Ecclesiam infallibilitate instructam esse, nulla ratio assignari potest, quare non sit perpetua, et possit aut debeat coarctari ad unum potius quam ad aliud seculum. Cum Newman, op. et loc. cit. pag. 241, sibi hanc proposuisset difficultatem, quod nequeat scilicet assignari tempus, quo cœperit Ecclesia a veritate aberrare, respondet, hoc argumentum *nihil valere*, quia etiamnum sunt in Ecclesia (suo modo concepta) tot scissiones, quin earum exor-

356. Sane divinæ promissiones, quibus præclara hæc Ecclesiæ dos innititur, absolutæ sunt; Christus enim aperte edicit: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (1). Ac discensurus ex hoc mundo ad Patrem, ait discipulis suis: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis* (2). Qui deinceps exponit, cujusmodi sit officium divini hujusce Spiritus in æternum nobiscum mansuri, dicens: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (3). Christus præterea exhibetur absolute ut Ecclesiæ caput ac sponsus, qui se illi copulaverit indissolubili

dium cognoscatur, ac propterea id accidisse paulatim ac sensim sine sensu. Adjicit, hoc esse *factum historicum*; satis esse, ut omnes (hæretici protestantes) conveniant in admittendis quatuor prioribus seculis, uti seculis unionis et pacis; quod pluribus confirmare nititur, pag. 244-246. Juxta ipsum, pag. 247, divisio cœpit aut in Concilio Sardicensi an. 347, aut non serius Conc. Nicæno II, an. 782 (in his duobus aut fit saltus a seculo IV ad sec. VIII. *Parva res!*) Nam in hoc inveniuntur plures errores, inter quos eminent decretam de cultu imaginum, quem ipse spectat ut corruptionem. Jam vero quid hæc sibi volunt? Contendit ne Newman, Christum non stetisse promissis suis post elapsam sec. IV aut seculum VIII, ac aliud ipso agente et incogitante, aut dormiente, inimicum hominem superseminasse zizania in ejus agro? Quis dici ferat, Christum debuisse a distractione aut somno suo excuti a Lutero, Calvino, Zwinglio, Henrico VIII, aliisque ejusmodi libidinosi monstris, ut prospiceret Ecclesiæ suæ? Deinde quo jure sui protestan-

tes assignant IV seculum? Præterquam quod nos, adductis suo loco documentis, contrarium evicimus (vid. tract. *De vera relig.* part. II, prop. V, n, 97), hæc sentiendi ratio totum evertit christianæ religionis systema, atque ea semel posita, nulla amplius suppeteret via revocandi ad bonam frugem incredulos, Socinianos et rationalistas. Factum porro, quod Newman vocat *historicum*, unice innititur in anticipatis protestantium judiciis, ut liquet ex imaginum cultu sancito a Conc. Nicæno II, quem ipse vocat *corruptionem*, sed alii protestantes et Anglicani probant, et nos ab omni labe vindicavimus in apposito tractatu *De cultu Sanctorum*. Eadem ratione eodemque jure, quo protestantes et Anglicani vocant corruptionem cultum Sanctorum, Sociniani corruptionem et idololatriam cultum Christo Deo exhibitum appellant. Verum de hoc argumento paulo post iterum recurret sermo in solutione hujus difficultatis.

(1) Matth. XVI.

(2) Joan. XIV, 16.

(3) Ibid. XVI, 15.

conjugio ; sic enim loquitur Apostolus : *Ipsum dedit* (Deus) *caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus* (1). Et iterum : *Unum corpus et unus spiritus* (2). *Vir caput est mulieris, sicut Christus Ecclesiæ, ipse salvator corporis ejus* (3). Loquens demum de Adæ et Hevæ conjugio ut typo conjunctionis Christi cum Ecclesia : *Sacramentum hoc, inquit, magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia* (4). Porro si Spiritus, velut interior Ecclesiæ doctor, ac veluti Ecclesiæ anima, cum ipsa mansurus est ad docendam omnem veritatem in æternum ; si Christus in perpetuum est Ecclesiæ caput, ut eam dirigat, et fidelis sponsus indissolubili nexu cum ea consociatus, ut eam tutetur ac foveat, quî fieri potest, ut post pauca secula Ecclesia deseratur, sic ut ex veritate in errorem misere prolabatur, et filios suos ad prava dogmata credenda inducat, aut inducere possit? Hæc plane repugnant. Quapropter Apostolus absolute vocat Ecclesiam Dei vivi *columnam et firmamentum veritatis* (5), ejusmodi nempe, quæ nunquam possit a veritate excidere, ita ut si ipsa corrueret, totum labefactaretur religionis christianæ ædificium.

357. Nec alium fuisse totius piæ antiquitatis sensum testes in primis sunt antiquissimi Patres græci atque latini ; inter quos S. Irenæus : *Non oportet adhuc quærere, scribit, apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere ; cum Apostoli, quasi in depositarium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, uti omnis quicumque velit,umat ex ea potum vitæ* (6). S. Alexander Episcopus Alexandrinus : *Unam ac solam, inquit, catholicam et apostolicam Ecclesiam (confitemur), quæ semper quidem inexpugnabilis est, licet universus orbis eam oppugnet ; victrix autem et omnis impicæ factionis hæreticorum, qui adversus ipsam consurgunt* (7). S. Athanasius : *Sufficit his*

(1) Ephes. 1, 22.

(2) Ibid. iv, 4.

(3) Ibid. v, 23.

(4) Ibid. v, 12.

(5) I Timoth. iii, 15.

(6) *Contra hæres.* lib. iii, cap. 4, n. 1, p. 178, edit. Mass.

(7) In *Epist. de Ariana hæresi*, ad Alexand. Constantinopolitanum, n 12 : *Μίαν καὶ μόνην, καθολικὴν, τὴν ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν· ἀκαθαίρετον μὲν αὐτῇ, καὶ πᾶς ὁ κόσμος αὐτῇ πολεμῶν βουλεύεται· νικηφόρον δὲ πάσης τῆς τῶν ἰσπεροδίων ἀσεβειστάτης ἐπαναστάσεως.*

duntaxat verbis ad illa (paradoxa hæreticorum) respondere : Hæc catholicæ Ecclesiæ non sunt ; neque ea est Patrum sententia (1). Eusebius affirmat, Christum prænuñciasse, Ecclesiam nullis unquam viribus expugnandam, ac ne ab ipsa quidem morte superandam ; at penitus inconcussum illius robur mansurum esse prænuñciavit, utpote quæ vi ejus ac potestate, sic tanquam immoto ac nullis omnino machinis perrumpendo scopulo, altis defixæ radicibus niteretur (2). Joan. Chrysostomus : Nihil, inquit, Ecclesia potentius ; o homo, bellum solve, ne robur dissolvas tuum. Ne inferas cælo bellum... Si Ecclesiam oppugnes, vincere nequis ; omnibus quippe fortior est Deus (3). S. Isidorus Pelusiota : Per inferi portas divinus sermo impiorum hominum cætus atque hæresum blasphemias intelligit, quibus omnibus obsistens Dei Ecclesia, eas quidem frangit et expugnat, ab iis autem vinci non potest (4). Nec aliter senserunt aut scripserunt Patres latini. S. Cyprianus, juxta Apostoli mentem comparans Ecclesiam virgini intemeratæ : Adulterari, inquit, non potest Sponsa Christi ; incorrupta est et pudica ; unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore

In *Biblioth. Patrum*, Galland. tom. iv, pag. 450.

(1) *Epistola ad Epictet.* Corinth. Episc. n. 3 : Ἡ τοῦτο μόνον ἀποκρίνασθαι πρὸς τὰ τοιαῦτα, καὶ εἰπεῖν· ἀρκεῖ, ὅτι οὐκ ἔστι ταῦτα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, οὐδὲ ταῦτα οἱ πατέρες ἐφρόνησαν. Edit. Maur. tom. i, part. ii, pag. 903.

(2) *Præpar. Evang.* lib. i, cap. 3... Ἐκκλησίαν... οὐδὲ συνεστῶσαντῶ, ἐνθὲα προγῶσει ἀήττητον καὶ ἀκαταμάχητον ἴσθαι, καὶ μηδεπώποτε ὑπὸ θανάτου νικηθῆσθαι· ἰσθάναι δὲ καὶ μένειν ἄσειστον, ὡς ἂν ἐπ' ἀσειτῶ καὶ ἀρραγεὶ πέτρα τῇ αὐτοῦ δυνάμει βεβηκυῖάν τε καὶ ἔρριζωμένην ἀποφηναμένου. Edit. Vigeri.

Paris. 1628, pag. 7 et 8.

(3) *Hom. ante exilium*, num. 1. Οὐδὲν ἐκκλησίας δυνατότερον, ἄνθρωπε. Δῦσον τὸν πόλεμον, ἵνα μὴ καταλύσῃ σου τὴν δύναμιν· μὴ ἴσῳαγε πόλεμον εἰς οὐρανόν... ἐκκλησίαν δὲ εἰὼν πολεμῆς, νικῆσαι σε ἀμήχανον· ὁ Θεὸς γὰρ ἔστιν ὁ πάντων ἰσχυρότερος. Edit. Maur. tom. iii, pag. 415.

(4) *Lib. i, epist. ccxxviii.* Πύλας ἄθου ὁ Θεὸς λόγος ἐκάλεσε τὰς τῶν ἀθίων τιμαρίας, τὰς τῶν αἰρέτιων βλασφημίας, αἷς τίσι πάσαις ἀνδιετῶσα ἡ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία, τὰς μὲν καταγωνίζεται, ὑπὸ δὲ τῶν οὐ κατακουριεύεται. Edit. Paris. 1638, pag. 67.

custodit (1). S. Hieronymus : *Poteram*, scribit, *diem istiusmodi eloquio ducere, et omnes propositionum rivulos uno Ecclesie sole siccare* (2). Et rursum : *Ex quo intelligimus, Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari; et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens, sive Dominus Deus ejus, id est, Ecclesie, se facturum esse pollicitus est; cujus promissio lex naturæ est* (3). Et alibi : *Cui (ecclesie) dicitur: Surge, illuminare, ut quæ cecidit in incredulis (Judæis), surgat in fidelibus; et postquam surrexerit, illuminetur, ut nequaquam habeant erroris tenebras* (4). S. Augustinus : *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans; pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem manet in radice sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vincunt eam* (5). Et hæc speciminis gratia, quibus quæ superius attulimus mirifice confirmantur (6).

358. Testis deinde hujus dotis est ipsa possessio, quam Ecclesia ostendit perpetua sua agendi ratione, ab ætate apostolica et seculis insequentibus usque ad nos, ut constat ex omni ætatis documentis. Huic enim infallibilitati sibi a Christo donatæ innixa, Ecclesia omnes exorientes errores absque ullo discrimine proscripsit, veritatem asseruit, contumaces sectarios anathemati subjecit, incipiendo a Nicolaitis, Simonianis, Docetis, Cerinthianis usque ad Lutheranos, Reformatos, protestantes cum omnibus surculis suis.

359. Quæ cum ita se habeant, patet, quod ab initio. proban-

(1) Lib. *De unit. Eccles.* edit. Maur. pag. 195.

(2) In *Dial. adv. Lucifer.* n. 27, edit. Vallars. tom. II, pag. 201.

(3) *Comment. in Amos*, lib. III, cap. 9; Ibid. tom. VI, pag. 358.

(4) *Comm. in Isai.* lib. XVII, cap. 60, ibid. tom. IV, pag. 719.

(5) *Serm. I, de Symb. ad Catech.* cap. VI, n. 15.

(6) Qui plura cupit, consulat Walenburgicos, in tract. *De perpetua probat. fidei per testes*, cap. 27 et seqq.

dum assumpsimus, Ecclesiam scilicet infallibilem prorsus esse in iis, quæ ad fidem moresque pertinent, sive ut testis est, sive ut iudex, sive ut magistra, prout constat tum ex Christi institutione, tum ex repetitis solemnibus ejus promissionibus, luculentisque divinorum eloquiorum oraculis, tum ex sensu antiquitatis, tum denique ex perpetua ipsius Ecclesiæ possessione. Qui propterea neglecto immenso hoc divinæ bonitatis beneficio hominibus collato, ut tuto pervenire valeant ad cœlestem beatitudinem, ex se sibi prospicere posse præsumunt, comparari cum illis queunt, quibus in deserto columna ignea dux data est ad iter commonstrandum in terram promissionis. Si enim inter densissimas noctis tenebras audax quispiam beneficæ illi viam collustranti igneæ columnæ ac populum dirigente terga vertisset, reputans se sibi posse sufficere, nec illo adjumento indigere, certo se exitio commisset per obscurissimos deserti anfractus, ferarumque huc illuc discurrentium incursum, nec unquam terminum attingere potuisset. Ita plane qui in hac vita peregrinantes, destinata malitia infallibilem Ecclesiæ auctoritatem posthabent, ut privato sensui indulgeant, certo se committunt æternæ mortis exitio, nec unquam pervenient ad promissam humilibus beatitatem, quæ in cœlis est (1).

DIFFICULTATES.

360. Obj. prima. Commentum infallibilitatis Ecclesiæ adversatur ideæ religionis christianæ, perniciosum est, auctoritatem denique humanam substituit auctoritati divinæ. Sane 1º neque Christus neque Apostoli unquam discipulis certam quamdam præscripserunt fidei profitendæ formulam unice tenendam; sed potius liberum Dei cultum moralem præceperunt, Joan. IV, 23, 24; VIII, 32; II Cor. III, 17; Gal. V, 1, et doctrinam proposuerunt ita comparatam, ut perfici et possit et debeat (2).

(1) Alias diximus, quod nunquam satis ingeminare juvabit, orationem et humilitatem duas illas condiciones esse, sine quibus ad veram Ecclesiam, adeoque veram fidem, perveniri non potest. Qui proinde sincero corde verita-

tem inquirunt, illis se communiunt, et certissime ad eam pervenient; qui eas negligunt aut parvipendunt, utat magnas inquisitiones faciant, nunquam illam assequuntur.

(2) Ita Wegscheider, § 30.

2^o Christus præterea nunquam alligavit religionis suæ essentiam alicui formæ ; sed eam unice constituit in amore et charitate , quæ dummodo sarta tecta teneatur , quæcumque demum sit verborum forma , qua enuncientur fidei dogmata , perinde est ad religionis substantiam (1). 3^o Quod si exoriantur controversiæ , transactione veluti quadam sopiri possunt communi consilio ad pacem in societate fovendam et ad hoc adigi dissentientes possunt , quamvis in propria interius sententia permaneant (2). 4^o Contra vero perniciosum est hoc infallibilitatis systema ; sive quia fovet fanaticum ac intolerantiam , quæ non aliunde nata est , quam ex supposita ejusmodi prærogativa ; 5^o sive quia fovet inertiam , et extinguit omne proficiendi in scientiis colendis , exegesi præsertim biblica promovenda , studium. 6^o Porro studium veritatis altius indagandæ et rectius cognoscendæ , quod Scriptura sacra valde commendat (Joan V , 39 ; VIII , 22 ; I , Joan. IV , I ; I ad Cor. X , 15 ; I ad Thess. V , 21) , a Deo ipso menti humanæ ,

(1) Tale est systema quod apud plures protestantes modo grassatur. Purus amor erga Deum , aiunt ipsi , in operatione activa est unica religio. Eadem ratione , qua non est nisi unus Deus in immenso hoc universo , ita religio eadem ubique esse debet , quoniam vero Deus est purus substantialis amor , religio pariter amor esse debet , non solum in terra , sed et in cælo. In mundo actuali amor purus erga Deum officia omnia producit pietatis , tam in divina voluntate facienda , quam in animi conformatione ad ipsam ; item purus amor erga res creatas cujusvis ordinis et gradus officia vitæ respectiva ac socialia gignit. Hæc est basis ac fundamentum ethices evangelicæ in mira ac varia pulchritudine et excellentia sua. Semel ac peramabile hoc principium in animo radices egerit , habitudines no-

stras , opera ac verba ducit ac regit ; si vero defecerit , non superest nisi unum nomen , pura puta forma et exterior professio : qui quidem status est tenebrarum , peccati ac mortis. Forma assimilari potest corpori humano pulchritudine prædito ; sed amor in Deum est anima , quæ totum informat. Dolor , fides et oratio totidem media sunt a Deo electa ad perducendam animam in statum religiosum ; ast amor est finis , quem nobis proponere debemus in exercitio istorum aliorumque ejusmodi officiorum. Ille sapiens est , qui nunquam a fine in usu mediorum necessariorum aberrat , etc.

(2) Ita Boehmerus , ex sententia protestantium , in *Jure ecclesiastico protestant.* Halæ 1714 , tom. I , lib. I , tit. I , *De summa Trinitate et fide catholica* , § 16.

quamvis errori obnoxia, insitum est; et quidquid, Deo hoc studium moderante, de vera religione temporis successu ab hominibus melius exploratum et cognitum fuerit, tanquam ab ipso Deo profectum vi humana opprimi nec debet nec potest (Act. V, 38). 7° Hinc nostra ætate jam eo perducta res est, ut religio christiana, nisi bene distinctis ac separatis; quæ ad formam ejus mythicam atque symbolicam pertinent, ab iis quæ vera atque æterna ejusdem habenda sunt fundamenta, nova quadam luce collustrari et hominibus cultioribus subtiliorique artium et litterarum cognitione imbutis denuo commendari non posset. 8° Tantum autem abest, ut Ecclesiæ institutum sola quadam formulâ certa et immutabili conservari atque contineri possit, quod temere nonnulli finxerunt, ut hæc sententia Ecclesiæ antiquioris non minus quam universæ christianismi indoli repugnet (1). 9° Demum per infallibilitatis commentum substitui auctoritatem humanam auctoritati divinæ, aperte patet; nec enim amplius Scriptura seu verbum Dei regula esset fidei nostræ, sed auctoritas Ecclesiæ, sive hominum privilegio donatorum, qui sibi solis arrogant inspirationem divinam perpetuo cum ipsis permanentem; 10° Scripturæ valor ab Ecclesiæ auctoritate penderet. 11° Id enim Scriptura diceret, seu illum sensum Scriptura præ se ferret, non quem reipsa habet, sed quem illi Ecclesia tribuit. Ergo.

361. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Dist.* Neque Christus neque Apostoli certam aliquam discipulis fidei profitendæ formulam præscripserunt, nulla ad id cogente necessitate, *trans.*; necessitate aliqua postulante, *neg.* Christus enim et Apostoli rem ipsam credendam proponebant, captui discipulorum sese accommodantes, quin solliciti essent de hac potius quam illa verborum formula, qua res credendæ enunciarentur. Verum præsto erant ope vivi magisterii ad res ipsas enucleandas, si qua id ferret occasio. Si qui autem protervi obsisterent, ac pravis interpretationibus traditam sibi doctrinam temerarent, determinatis formulis ita eam proponebant, ut qui non acquiesceret, ab Ecclesia illico expelleretur. Hinc factum est, ut quod in nucleo aut semine genera-

(1) Ita Wegsch. loc. cit.

libus verbis continebatur, data occasione ex conflictu, magis ac magis evolveretur, et definitis formulis enunciaretur. Sic Cerinthiani et Docetæ occasionem Joanni præbuerunt utramque in Christo naturam, divinam et humanam, altius inculcandi; hebraizantes in causa fuerunt, cur Paulus virtutem Evangelii supra legem clariori in lumine collocaret; Corinthiorum dissidia excitarunt Apostolum ad illa promenda oracula, quibus Ecclesiæ auctoritatem commendat. Idem die de futura corporum nostrorum excitatione, de necessitate bonorum operum ad salutem, aliisque non paucis articulis, qui ab Apostolis conceptis verbis propositi sunt, postquam de his mota quæstio aut dubitatio est (1). Quod vero contigit Apostolorum ætate, insequentibus seculis eadem ratione per jugiter vivum Ecclesiæ magisterium factum est, novis semper exorientibus hæresibus aut controversiis.

362. Ceterum falsum absolute est, neque Christum neque Apostolos discipulis certam quamdam fidei profitendæ formulam nunquam injunxisse. Etenim Joan. IX, 35, sciscitatus est Christus a cæco nato: *Tu credis in Filium Dei?* Et ibid. XIV, 12, omnibus Apostolis suis dixit: *Non creditis, quia Pater in me est, et ego in Patre?* Matth. ult. *Euntes docete... baptizantes in nomine Patris*, etc. Quapropter Philippus, Act. VIII, 37, ab eunucho sub determinata forma fidei professionem exegit, priusquam illum ad lavacrum admitteret (2). Hinc Apostolus ad Timotheum scribebat: *Formam habe sanorum verborum* (3). Falsum præterea est, quod subdit adversarius, Christum et Apostolos liberum Dei cultum moralem præcepisse. Testimonia indicata ex Scripturis non evincunt nisi divinorum eloquiorum abusum, ut

(1) Cfr. Moehler, *Symbolique*, tom. II, chap. 5, § 40, *Différence de forme entre la doctrine de l'Écriture et la doctrine de l'Église*, ubi hoc argumentum egregie evoluit.

(2) Sane cum eunuchus Baptismum efflagitasset, interrogavit eum Philippus, an ex toto corde crederet? Cui

respondit eunuchus: *Credo, Filium Dei esse Jesum Christum*; quibus paucis verbis velut in compendio complexus est eunuchus quæcumque, dum irent per viam, ab evangelizante Philippo acceperat.

(3) II Tim. I, 13.

vel ex levi singulorum inspectione quilibet deprehendere potest (1). Idem iudicium ferendum est de eo, quod postremo loco adjicitur, Christum nempe et Apostolos doctrinam ita comparatam proposuisse, ut perfici posset ac deberet, a Gnosticis scilicet, ab Arianis, a Nestorianis, Lutheranis, protestantibus, rationalistis, mythicis, qui ita eam reipsa perfecerunt, ut in auras Evangelium prorsus abierit.

363. Ad 2^m, *Neg.* ut patet ex modo dictis; nam Christus jussit Apostolos prædicare Evangelium omnibus gentibus, docentes eos servare *omnia, quæcumque* ipsis mandaverat (2). Non mandavit autem solam charitatem servare; aliis porro verbis Marcus in loco parallelo Christum loquentem inducit, quibus illud *omnia quæcumque* magis declaratur; ait enim inibi Christus: *Qui crediderit, salvus erit; qui non crediderit* (subintellige *omnia quæcumque tradidi vobis*), *condemnatur* (3).

364. Ad 3^m, *Neg.* Transactio enim fit de bonis propriis, non autem de re aliena; jam vero depositum fidei non est res, cujus proprietates ad Ecclesiam pertineat, sed tota Christi est; ideoque nunquam fieri potest, ut ab Ecclesia transigatur vel de minimo fidei articulo cum hæreticis, eo quod ipsis non arrideat. Alioquin deberet etiam transigere cum libertinis circa præcepta, quæ illis molesta accidunt. Ejusmodi commentum acceptum referre debemus Protestantibus, quibus, rejecta Ecclesiæ infallibilitate, nullum aliud præsto erat effugium ad controversias sopiendas præter absurdum hujusmodi transactionis systema. Diximus ad *sopiendas* controversias, non autem *ad dirimendas*, cum hoc ab ipsis præstari nullatenus possit (4).

(1) Etenim, Joan. iv, 23, 24, ait Christus: *Deus spiritus est*, etc. II Cor. III, 17, scribit Apostolus: *Domini autem spiritus est; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas*; Gal. v, 1: *State*, inquit, *et nolite iterum jugo servitutis contineri*. Judicet nunc lector, utrum hæc testimonia liberum Dei cultum præcipiant. Primus enim textus est de ratione, qua coli Deus in

posterum debeat, absque apparatu sacrificiorum leviticorum, quæ templo Hierosolymitano addicta erant; alii vero sunt de libertate a lege Mosaica rituali. Cfr. Bernard. a Piconio et Estius ad hæc loca.

(2) Matth. ult. 19.

(3) Marc. xvi, 16.

(4) Cfr. grave et elegans commentarium *De fidei controversiis per ami-*

365. Ad 4^m, *Neg.* Nam principium infallibilitatis nec fanaticum fovet, neque intolerantiam, prout hic ab adversariis accipitur. Ac primo non fovet fanaticum; alioquin Scriptura, quæ juxta adversarios ipsos est infallibilis, foveret fanaticum; fovissent itidem fanaticum Christus et Apostoli, utpote infallibilitate præditi, in doctrina evangelica tradenda. Itaque

cabiles transactiones dirimendis, adversus Boehmerum, inter Opuscula ad hierarchicam Ecclesiæ constitutionem spectantia, Parmæ 1789, vol. unic. in 4. Contendit enim Boehmerus loc. cit. Fidem, ut vocat, formulariam neque ab Apostolis adscitam esse, neque tribus prioribus Ecclesiæ seculis, sed primum in Conc. Nicæno. Verum præter symbolum apostolicum nuncupatum, quod certe vel ab Apostolis est vel ab Ecclesiis apostolicis, in quo fidei formula continetur, exploratum est plures fidei professiones longe ante Concilium Nicænum in Ecclesia obtinuisse. Fidei formulam exhibent Constitutiones dictæ apostolicæ; exhibet S. Gregorius Thaumaturgus, ut plures alias omittam; de quo argumento legi omnino debet docta Petri Lazari, Soc. Jesu, De antiquis formulis fidei earumque usu exercitatio. Certe ad symbolum fidei receptum in universa Ecclesia jam provocabat Tertullianus, illud Regulam appellans, ut suo loco ostendimus. Verum quod magis interest, illud est, quod Boehmerus, dum et ipse fatetur, amicabilem transactionem nullam unquam felicem exitum habuisse, easque ut ineptas prorsus traducit, transferat in Imperatores ac principes juxta approbationem publicam, quæ fiat per confessiones fidei et symbola, etsi con-

cedat, contingere posse, ut hæc fidei confessiones et hæc symbola, ab Imperatoribus probata, a vera fide et recto Scripturæ sacræ tramite sint aliena. Cfr. Tit. cit. § 31 et seqq. Ex his patet, quod, abjecto infallibili Ecclesiæ magisterio, via omnis adempta fuerit Protestantibus controversias circa fidei dogmata exortas dirimendi. Quum vero acres diuturnæque contentiones inter pullulantes diversas sectas de fidei religionisque constituendæ ratione continuo exarserint, defatigati frustra sunt eorum duces ac magistri, eo quod finem nullum habituras eas viderent, donec, omni spe veri inveniendi amissa, coacti primum sunt de simulata quadam religionis concordia transactionum ope concilianda cogitare; quasi nempe divina veritas a Christo Ecclesiæ tradita res ejusmodi sit, quæ dividi, distrahi, aut in quamcumque libuerit partem flecti, aut torqueri possit. Cum vero neque ejusmodi transactio ullos fructus protulerit, demum ut finis aliquis controversiis utcumque imponeretur, confugerunt ad sententiam judicalem Imperantium, ut civili auctoritate lites saltem sopirentur, ac tranquillitas publica non turbaretur, relicta interim unicuique de singulis articulis sentiendi libertate. Nihil tamen inde profecerunt, uti ex hodierno progressu abunde liquet.

infallibilitas nullo modo fanaticum nutrit. Si qui vero exinde fanaticum conciperent, hoc illorum vitio esset vertendum, non autem infallibilitati. Id ipsum pariter dicendum de intolerantia, politica nempe et civili, prout eam hic sumunt adversarii, quæ certe ex infallibilitate Ecclesiæ non oritur. Siquidem exploratum est, longe magis intolerantes esse acatholicos, qui infallibilitatem respuunt, quam Catholicos (1). Quod vero spectat ad intolerantiam religiosam sive theologiam, quæ necessario ex infallibilitate profluit, hæc resolvitur in hanc propositionem: Idem non potest verum esse ac falsum, aut: Veritas cum errore simul consistere nequit.

366. Ad 5^m, *Dist.* Si infallibilitas ad modum inspirationis Ecclesiæ tribueretur, *conc.*; si ad modum peculiaris subsidii, sive, ut aiunt, adistentiæ, *neg.* Nunquam porro Catholici docuerunt, donum infallibilitatis a Deo Ecclesiæ tribui ad modum inspirationis. Jam vero divina adistentia non excludit, imo supponit humana media, ac proinde studium in veritate investiganda, antequam iudicium proferatur. Hinc patet, haud removeri doctos ab exegesi biblica excolenda, a linguarum antiquarum exercitio, a monumentorum inquisitione persequenda, ceterisque adminiculis comparandis, quæ ad rectum iudicium proferendum consueta via requiruntur. Deinde præter dogmata alia plura sunt, in quibus viri docti proprium exercent ingenium. Demum omnibus semper ingenii cultu opus est ad ea propugnanda, quæ ab Ecclesia definita sunt, uti ex experientia constat. Sane non minus viris vere doctis abundavit et abundat Ecclesia catholica quam sectæ acatholicæ.

(1) Equidem fateor, Catholicos in pluribus regionibus, in quibus prævalent acatholici, pace frui, ut in Anglia post datam Catholicis emancipationem, et in provinciis sæderatis Americæ septentrionalis, atque alibi. Imo notum est, haud paucos Protestantes probos et honestos reperiri, qui benevolos se erga Catholicos præbeant, qui que interdum neque detrectent opibus ac largitionibus ad templa Catholicorum erigenda concurrere. Ast neque il-

lud dissimulare licet, in nonnullis regionibus adhuc vigere despotismum religiosum et persecutionis systema, ita ut omnigena vexatione Catholici torqueantur. Certum est, non omnes Protestantes aut schismaticos ejusmodi sævitiam probare, utpote quæ adversetur civili omnium nationum europæarum cultui, qui nunc tantopere magni fit; attamen ejusmodi exempla recentia sunt et pervulgata.

Igitur infallibilitas solum tollit animi hæsitationem , et certum eum facit de veritate , circa quam anceps esse posset.

367. Ad 6^m, *Dist.* Insitum menti humanæ a Deo est studium veritatis altius indagandæ et rectius cognoscendæ per media idonea et in ordine suo, *conc.*; quacumque ratione, *neg.* Veritates ordinis naturalis a mente humana investigari utique possunt ac debent, atque ulterius in ea investigatione et cognitione perfici ipsa semper potest. Ast non ita se res habet in veritatibus ordinis supernaturalis seu revelatis, quæ progressus in se incapaces omnino sunt, utpote a Deo datis. Potest autem homo harum sibi perfectiorem cognitionem comparare, sed sub magisterio Ecclesiæ ejusque directione; potest præterea inquirere in earum fundamenta, nexum, consecutiones aliaque ejusmodi, minime vero easdem veritates cudere, ac intrinsecus perficere, quod absolum est. Dum voluerunt Protestantes proprio Marte in fidei veritates inquirere, easque determinare, reficere, eo non pauci progressi sunt, ut alias post alias amiserint, neque retinuerint nisi christianismi nomen et larvam. Hoc porro est, quod ab adversario, quem impugnamus, dicitur de *vera religione temporis successu ab hominibus melius exploratum et cognitum, Deo hoc studium moderante*, quibus verbis ipse impietatem cum blasphemia consociavit. Si quis autem conferat, quæ ex Scripturis adducuntur ad ejusmodi impietatem cohonestandam, eundem deprehendet, quem superius adnotavimus, Scripturarum abusum.

368. Ad 7^m, *Dist.* Apud Protestantes, *conc.*; apud Catholicos, *neg.* Novam enim ejusmodi lucem rationalistis, symbolistis, mythicis libenter ac ultro relinquimus. Nobis enim fidei avitæ simplicitas sat est. Cultiores autem homines, quos adversarius designat, subtiliori sua artium ac litterarum cognitione prius a supernaturalismo in naturalismum dilapsi sunt, deinde ex naturalismo in symbolismum, ex symbolismum in mythicismum, quem distinxerunt præterea in historicum et poëticum, ita ut Scriptura universa effecta sit magnum poëma, ut Ilias homerica vel Æneis virgiliana (1).

(1) Huic principio totum innititur systema rationalistarum ac mythico-

369. Ad 8^m, *Neg.* agendi rationem, quam tenet Ecclesia in proponendis fidei dogmatibus per aliquam determinatam formam, adversari antiquioris Ecclesiae indoli; hoc enim falsum est. Vimus siquidem plures hæreses, in vivis adhuc agentibus Apostolis, proscriptas fuisse, et determinatis formulis contradictorias erroribus illis veritates assertas. Ante Concilium Nicænum jam octoginta plus minus hæreses profligatæ sunt, et veritas catholica eadem ratione in tuto posita; voces *trinitatis*, *personæ*, *naturæ*, aliæque ejusmodi inductæ sunt contra catholicæ veritatis hostes, ut tesseræ orthodoxæ fidei (1). Quod si factiosi aliqui tunc temporis pariter restiterunt Ecclesiae definitionibus, uti nunc eisdem resistunt Protestantes, cuncti ab Ecclesiae sinu ejecti sunt, et ipsa incolumis semper perstitit ac ita perseverat, ut ex perduellium defectione nullum detrimentum capiat (2).

rum, præcipue vero Strausii. Verum et hoc systema pendet a natura ipsius protestantismi, quæ tota *subjectiva* est, seu a spiritu uniuscujusque privato tanquam a proprio fundo fides ac religio erui debet. Hinc pervulgata in Germania antithesis illa, qua distinguitur in sua natura catholicismus a protestantismo, quod ille nimirum sit *objectivus*, quatenus fidem seu fidei objectum ab Ecclesia recipit, iste sit *subjectivus*, quatenus fidem seu fidei objectum de suo cudit sibi que efformat.

(1) Harum formularum exemplum aliud occurrit in voce *ἰσοούσιον*, *consubstantiale*, quæ jam seculo III tesseram constituebat orthodoxæ fidei circa Filii divinitatem, adeo ut Dionysius Alex. accusatus fuerit apud cognominem rom. Pontificem, quod eam vocem omisisset in Ecclesia a Patribus frequentatam. Cfr. quæ adversus Basnagium de hac voce erudite scripsit doctus De Magistris, in præfatione ad opera S. Dio-

nysii Alexandrini, pag. 34 et seqq. Romæ 1796.

(2) Ex his constat, quam ineptum sit, quod Boehmerus loc. cit. adstruit, dum affirmat, quod *fidei* definitio alienam a religionis natura coactionem inferat. Jam vero, num religionis naturam ignorabat Apostolus, cum formam doctrinæ præscriberet ab omnibus servandam? Aut cum verbi administris potentiam datam testabatur, II Cor. x, 5, ut omnem intellectum redigerent in obsequium Christi? Ludit profecto Boehmerus, dum hæc oggerit. An forte hic agitur de coactione, quæ libertati vim inferat, quam nec ipsa natura patitur? Agitur enim vero de necessitate officii, quam secum infert legitimum quodvis præceptum, quæ nempe intelligitur præscriptum officium ita necessarium esse, ut, qui parere detrectet, et culpam contrahat, etsubeundæ pænæ obnoxium se reddat. Cfr. cit. *Comment.* pag. 81.

370. Ad 9^m, *Neg.* Ut enim constat ex probationibus, Ecclesiæ auctoritas spectari non debet ut auctoritas humana, sed velut organum divinitatis, ac perpetua seu jugis manifestatio Christi ipsius, qui eam sibi suffecit ut testem, judicem ac magistram earum veritatum, quas eidem ipse commisit, ac propterea infallibilitate instruxit. Scriptura est pars istius depositi perinde ac traditio; utriusque autem custos et interpret Ecclesia est; illa vero nequit sola esse regula fidei nostræ, ut patet ex aberrationibus acatholicorum omnium, qui eam unicam ducem sequi voluerunt, rejecto Ecclesiæ testimonio ac magisterio, prout suo loco uberius evolvemus. Quod adjicitur de inspiratione, paulo ante exposuimus.

371. Ad 10^m, *Dist.* Scripturæ valor *extrinsecus* seu *relate ad nos, conc.*; *intrinsecus* et *in se, neg.* Certe, ut postea ostendemus, nonnisi per Ecclesiam nobis constare tuto potest de inspiratione, numero et canone librorum divinatorum.

372. Ad 11^m, *Dist.* Id est, Scriptura per Ecclesiæ interpretationem illum verum ac germanum sensum præ se ferret quem reipsa habet, *conc.*; sensum adscititium pro lubito ei tributum, *neg.* Nec enim ad arbitrium Ecclesia Scripturæ sensum affingit; sed duntaxat verum ejus sensum declarat juxta analogiam fidei, juxta sensum traditionalem, ac juxta illum sensum, quem ipsa a Christo et Scriptoribus ipsis divinis accepit. Soli acatholici, qui hanc deserunt viam, reipsa Scripturæ eum sensum tribuunt, quem ipsa nec habet nec patitur, quando adnituntur aliquid ex Scripturis evincere, quod rectæ fidei adversatur; nec enim ipsi legitimi sunt Scripturarum interpretes, cum nunquam Christus ejusmodi munus ipsis demandaverit. Exinde omnes hæreses ortæ sunt inter se pugnant (1).

(1) Optime Cl. Moëhler, *Symbol.* chap. 5, § 10, in hanc rem scribit : *Lorsque l'erreur a semé le doute et la division dans les esprits, quel moyen de discerner la vraie doctrine, de revenir à l'unité, sans un tribunal vivant et infallible ? Hors de là, nous*

serions jetés d'opinions en opinions, et bientôt toute vérité nous échapperait. Aussi, pour le dire en passant, partout où l'Écriture a été proclamée la seule règle de foi, on n'a point compris les développemens du dogme, on les a même rejetés formellement. Sou-

373. Obj. secunda. 1^o Saltem Ecclesiae infallibilitatem non adstruunt illa Scripturarum oracula, quae ad eam evincendam Catholici afferre solent. Etenim 1^o quod, Matth. XVI, dicitur de *portis inferi*, de morte intelligi debet, ut liquet ex verbis Ezechiae, qui, periculum ex quo evasit commemorans, ait : *Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi* (1); quas vocat David *portas mortis*, dicens : *Qui exaltas de portis mortis* (2). Sane *לַאֲשֵׁר*, ἀδης, *infernus*, mortem, vel mortis regionem, sepulcrum significat. Christus igitur pollicetur mortem contra Ecclesiam non praevalituram, quia fideles resurgent gloriose (3). 2^o Quod si Catholici pugnaciter contendat, illis vocibus vere significari infernum, ideo Christus promisit, nunquam infernum praevaliturum adversus Ecclesiam, quia semper Christus fidos ac devotos habebit, quos ipse novit; aut quia 3^o non praevaliturus est infernus adversus Ecclesiam Christum Filium Dei ad instar Petri profitentem, non autem quoad reliquas veritates, circa quas errores irrepere possunt. 4^o Deinde Christus pollicitus est hanc firmitatem Ecclesiae *catholicae*, non autem Ecclesiae romanae, aut alii particulari Ecclesiae. 5^o Sane infernus non minus praevalere potest adversus Ecclesiam erroribus practicis seu vitiis et peccatis quam theoreticis; quantum vero praevaleat vitiis in

vent aussi les sectaires se sont précipités dans un autre abîme. Après avoir roulé d'erreur en erreur, enveloppé d'épaisses ténèbres, ne rencontrant partout que le chaos, l'hérétique désespère de sortir jamais du labyrinthe des opinions. Alors dans son abattement, il rapporta à l'Écriture tous les rêves, toutes les visions de l'époque, puis il proclame tout cela dogme de l'Évangile. Mais si l'on reconnaît comme dogmes toutes les opinions, quelles qu'elles soient, qui se sont rattachées à l'Écriture, à quoi dès lors aboutira l'histoire chrétienne? A montrer que l'Écriture, par cela

même qu'elle admet tous les sens, ne renferme aucun sens. Voici donc à quoi se réduisent toutes les objections contre l'Église catholique : Toutes vos définitions dogmatiques, nous crie-t-on, supposent que la lettre des Écritures recèle un sens unique, à jamais immuable, et pourtant elle n'en a aucun, puisqu'elle les a tous. L'esprit humain, dans l'Église chrétienne, n'a d'autre but que de mettre en lumière cette vérité; et dix-huit siècles n'ont pu la montrer à vos yeux !

(1) Isai. xxxviii, 10.

(2) Ps. ix, 15.

(3) Apud Bloomfield, in hunc loc.

Ecclesia romana, nemo est qui nesciat. 6° Quod vero attinet ad textum paulinum, quo Ecclesia dicitur columna et firmamentum veritatis, non majoris ponderis est; Ecclesia enim, de qua loquitur Apostolus, est Ecclesia ephesina, quæ profecto, utpote particularis, non est censenda infallibilis. 7° Sensus itaque illius effati est, Ecclesiam eatenus dici columnam veritatis, quatenus conservat Scripturas, quin ulla ei tributa sit auctoritas, quæ a solo Deo promanat (1). 8° Quid præterea vetat, quominus conditionatas dicamus Christi pollicitationes, cujusmodi fuerunt, quæ antiquæ synagogæ factæ sunt? Exploratum enim est, Ecclesiam judaicam non semel errasse, præsertim vero in judicio Christi, dum manus hominum Spiritu Dei illustrata habuit illi fidem (2). 9° Sic pariter constat, Ecclesiam catholicam in pluribus errasse, sive cum præter Scripturam adscivit traditionem ut fidei regulam; sive cum imaginum cultum probavit, quem ante annos triginta a celebratione Concilii Nicæni II reprobaverat Concilium Constantinopolitanum, ac post annos septem iterum rejecit Concilium Francofordiense et Græci adhuc reprobant; sive demum cum tot alios articulos symbolis apostolico, nicæno et athanasiano adjecit (3). Denique 10° nemo est qui ignoret, plures identidem veritates in Ecclesia fuisse obscuratas, præsertim circa gratiam, contritionem et Sacramenta. Ergo.

(1) Ita Mac-knight, *Préface*, tom. 1, *Timothy*, sect. 5, apud Kenrick, op. cit. pag. 421.

(2) Celebre hoc argumentum est, quod minister Claudius objecit Bossuetio in collatione inter ipsos habita. Cfr. *Conférence avec M. Claude sur la matière de l'Eglise*. Opp. edit. cit. tom. xxiii, pag. 291.

(3) Ita Newman oxoniens. in op. cit. lect. viii, pag. 247 et seq. ubi agit *De indefectibilitate*. In lect. autem iii, ubi tractat *De doctrina infallibilitatis*, excandescit contra Ecclesiam catholicam seu romanam. Quoniam

vero Protestantes conqueruntur de Catholicis, quod nimis duros interdum se præbeant in controversiis, quas cum ipsis agitant, juverit hic specimen exhibere moderationis, quam servat Newman, agens de Ecclesia romana, id est, catholica. Hic igitur, pag. 101, fateatur, ipsam esse Ecclesiam per se nobilibus donis abundantem, justisque titulis; sed adjecit, ineptam esse ad iis religiose utendum, utpote quæ sit *astuta, obstinata, vilis, malitiosa, crudelis, inhumana*, quemadmodum sunt *furiosi*. Eam comparat *dæmoniaco*, affirmans, quod, donec Deus eam non sa-

374. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Neg.* verba Christi hic de morte usurpari in sensu adversariorum, cum huic interpretationi sensus traditionalis totius antiquitatis opponatur. Quamvis enim demus, in objectis locis vocem inferorum aut mortem aut sepulcrum significare, quod non abnuimus, perperam exinde inferitur, in eadem significatione Christum, Matth. XVI, eam usurpasse, ut aperte liquet ex Christi scopo et serie orationis. Etenim Christus hic vult rationem reddere quare firma futura sit Ecclesia sua, et exponere, cujusmodi sit firmitas, quam eidem pollicetur; porro rationem firmitatis ducit a petra, supra quam eam ædificaturus sit; firmitatis autem naturam exponit talem fore, ut, etiamsi infernæ omnes potestates in eam conspirent, nunquam sint adversus eandem prævalituræ. Quapropter vel ipsi acerrimi Ecclesiæ catholicæ hostes hanc probant interpretationem. Rosenmüller sic enarrat Christi verba: *Quam (meam Ecclesiam) nulla, ne potentissimorum quidem hostium vis destruet... Πύλαι ἄδου, tartaræ potestates, consultationes et molimina diabolorum, tyrannorum et hostium Ecclesiæ. Nam רַעַשׁ, cui πύλη respondet, notat ejusmodi portam, ubi habetur judicium, vel imperium, aulam Principis, dominandi potestatem, unde regia Imperatoris Turcarum Porta nuncupatur; ἄδης autem, לַיְוֹשׁ, inferi est orcus, tartara, tota umbrarum respublica (1).*

naverit, tractari debeat, perinde ac si ipsamet esset *diabolus ille, qui eam regit*. Pergit deinde ac profitetur, se non propterea inficiari in *romanismo* res bonas inveniri, hominesque bonos, quia *Satanas* semper consuevit bonum cum malo immiscere (pag. 102). Opinio principalis hujus *diabolici* systematis, juxta ipsum, est infallibilitas Ecclesiæ. Quibus præmissis, sibi ostendere assumit: 1^o quod *romanismus* spectet certitudinem clarissimam veluti necessariam ad fidem et spem christianam; 2^o spectet dubium veluti pugnans cum

assensu veritatis; 3^o tendat ad efformandam completam et consistentem theologiam (hæc possumus illi facile concedere); 4^o in hoc vero efficiendo negligat auctoritatem et innitatur argumentis abstractis; 5^o judicet ac disponat de systemate christiano ex præconceptis fundamentis; 6^o substituat spiritui amoris technicam et formalem obedientiam. Tria porro hæc posteriora capita totidem calumniæ sunt.

(1) *Schol. in Nov. Test.* ad hunc loc.

Nec aliter exponit hunc locum Kuinoel (1), atque Calvinus ipse (2).

375. Ad 2^m, *Neg.* Christus enim loquitur de Ecclesia sua visibili ædificanda supra petram seu supra Petrum, qua de causa ei confert potestatem ligandi atque solvendi.

376. Ad 3^m, *Dist.* Una cum reliquis fidei articulis, *conc.*; solam Christi divinitatem, *neg.* Ecclesia enim debet profiteri integram fidem, seu omnes et singulos fidei articulos, quos a Christo accepit, ut patet ex superius dictis; quapropter si vel in uno articulo Ecclesia a veritate descisceret, jam eam vincerent inferorum portæ. Accedit, professionem Petri de Christi divinitate non fuisse nisi causam, ob quam Christus potius super Petrum, quam super reliquos Apostolos, peculiariter fundaverit Ecclesiam suam, ut suo loco ostendemus.

377. Ad 4^m, *Dist.* Si Ecclesia catholica distingui posset ab Ecclesia romana, *conc.*; si una eademque sit Ecclesia catholica et Ecclesia romana, *neg.* Jam paulo ante ostendimus, Ecclesiæ romanæ nomine Ecclesiam catholicam significari et vicissim.

378. Ad 5^m, *Dist.* Si infernus inducere posset Ecclesiam ad labefactandam morum regulam, *conc.*; si, non obstantibus individuorum peccatis, integra ac intemerata ipsa regula permaneat, *neg.* Dummodo Ecclesia intemeratam ac integram servet morum regulam, individuorum vitia nullum ei nocumentum afferunt; sed qui peccant, sibi nocent. Jam vero Ecclesia non minus infallibilis a Deo constituta est quoad regulam morum, quam quoad regulam fidei. Eadem porro ratione, qua errores privatorum non

(1) Sic enim in suo *Comment.* in libros *Novi Testam. historicos* scribit in hunc loc. *Itaque sensus verborum Christi est: Nulla hostium vis, ne potentissima quidem et maxima, avetere, destruere Ecclesiam meam poterit.*

(2) *Comment. in harmoniam ex tribus Evangelistis*, in hunc loc. ita exponit :... *Surgeret nova Ecclesia, quæ victrix staret contra omnes infe-*

rorum machinas. Tametsi enim vel ad fidem vel ad Ecclesiam pronomen eam referri potest, posterior tamen sensus melius convenit, quod contra omnem Satanæ potentiam invicta stabit Ecclesiæ firmitas; nempe quia inconcussa perpetuo manebit Dei veritas, cui innititur ejus fides. Opp. edit. Amstelod. 1667, tom. vi, pag. 195.

nocent Ecclesiae fidei, sic ejus non nocent sanctitati illorum vitia. Ceterum futuros in Ecclesia peccatores Christus praevidit, ac propterea eidem contulit potestatem remittendi peccata. Apud haereticas vel schismaticas sectas eadem saltem peccata vigent; at illarum ministri ejusmodi potestate minime fruuntur.

379. Ad 6^m, *Dist.* Si Ecclesia in partes dividi posset, *conc.*; si individua sit, *neg.* Porro, ut paulo ante adnotavimus, Ecclesia una ac individua est, nec potest in partes scindi. Quando propterea Apostolus scripsit ad Timotheum: *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis*, loquitur de Ecclesia Dei universa, cujus portio in urbe ephesina Timothei, illius urbis Episcopi, pastoralis curae commissa erat (1).

380. Ad 7^m, *Dist.* Si columna ac firmamentum alicujus aedificii destinata essent ad usum arcæ vel archivii, *conc.*; si ad sustentandum ac fulciendum aedificium ipsum, *neg.* Nescio porro, utrum Vitruvius, vel aliquis alius artis architectonicae magister, unquam ordinaverint columnas ac firmamentum alicujus domus ad usum archivii, et non potius ad domum sustentandam. Quod quidem si ita esset, non solum Ecclesia Dei, sed cujusvis civis domus posset pariter vocari columna et firmamentum veritatis, cum in ea servari eadem ratione potuerint ac possint Scripturae sacrae. Tales sunt Protestantium nugæ, dum veritatem impugnant (2).

381. Ad 8^m, *Resp.* Vetant omnia, quæ in probationibus attulimus, quæque omnem excludunt conditionem. Quod si synagoga erravit in judicio Christi Domini, in primis animadvertimus,

(1) Huc referantur, quæ scribit S. Cyprian. in lib. *De unit. Eccles.*: *Ecclesia una est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Exinde liquet, quam ridicula sit illorum objectio, qui ex eo quod in Apocalypsi jussus fuerit Apostolus scribere *septem Ecclesiis*, concludunt, plures Ecclesias in Scripturis distingui. Perinde enim hoc esset

ac si quis contenderet, unicum non esse regnum vel imperium, quod distributum est in plures provincias, quæ tamen ad eundem Principem pertinent, ac regnum ipsum constituunt.

(2) Cfr. Bellarmin. *De Eccl. milit.* lib. III, cap. 14, § 5 et seqq. ubi hanc ipsam propositam jamdiu a Calvino expositionem confutat.

eam non habuisse promissiones, quas Christus fecit Ecclesiæ suæ. Illa, ut alibi adnotavimus, peculiari ordine providentiali a Deo regebatur per seriem Prophetarum aliaque adminicula extraordinaria, ideoque Deus nullas ei fecit pollicitationes (1). Contra vero diversa omnino ratione voluit Christus instituere ac regere Ecclesiam a se institutam, id est, per hierarchiam sub capite, quod ei præfecit. Verum, etiamsi admitteremus, nonnullas promissiones veteri synagogæ factas a Deo esse, hæ non protendebantur nisi ad Christum usque, ad quem veluti pædagogus populum perducere debebat, prout reipsa Deo opitulante perfecit. Cum igitur Christus advenit, ipsa jam perfuncta erat munere suo; qua de causa Servator noster divinam missionem suam miraculis ac vaticiniis comprobavit. Qui gratiæ divinæ obsecuti sunt, in eum crediderunt, ceteri in incredulitate permanserunt; sic populus ille tot scelerum, quibus se contaminaverat, idololatriæ præsertim atque frequentis apostasiæ, pœnas luit. Atque hac ratione adimpleta veterum Prophetarum oracula sunt, qui hanc defectionem ac pœnam eidem populo comminati fuerant, totiesque prædixerant (2).

382. Ad 9^m, *Neg.* Suppositi enim, qui hic ab adversariis recensentur, errores Ecclesiæ catholicæ totidem veritates sunt, quas partim vindicavimus, partim paulo post adstruemus. Alioquin Sabelliani pari jure potuissent Ecclesiæ crimini vertere professionem trium divinarum personarum in Deo, Ariani professionem consubstantialitatis Verbi cum Patre, et ita porro hæretici reliqui. Concilium Constantinopolitanum VIII, quod nobis objicitur, fuit conciliabulum schismaticorum (3). De concilio Francofordiensi alias scripsimus (4). Sic etiam paulo ante excussimus

(1) Cfr. Tract. *De vera relig.* part. II, prop. 1, n. 8 et seqq.

(2) Cfr. Bossuet, *Confèren.* cit. pag. 293 et seqq., nec non quæ scripsimus in tract. *De Incarn.* part. I, cap. 3, prop. 1.

(3) De hoc conciliabulo cfr. Baronius, cum critica Pagii ad an. 814,

n. 23 et seqq. Exinde enim patebit, illud non fuisse nisi concilium malignantium et furentium schismaticorum.

(4) In tract. *De cultu Sanct.* cap. 5, n. 140 et seqq. Cfr. Bossuet, *Du culte des images.* Opp. edit. cit. tom. XXIII, pag. 259 et seqq. nec non Petav. *De Incarnat.* cap. 13 et seqq.

quod de adjectione articulorum fidei hic rursus objicitur, et quo sensu intelligi id debeat, nempe de magis explicita expositione, seu de *modo* expositionis, non de fidei *substantia*, quæ semper eadem est (1). Falsum pariter est, quod de Græcis affirmant adversarii, eos nempe respuere imaginum cultum. Mirum est, eos talia in facto adeo pervulgato comminisci.

(1) Quoniam Protestantes nunquam cessant ab objectione, quod Ecclesia suis definitionibus novos articulos adjecerit symbolo apostolico, aut symbolo nicæno et athanasiano, inter quos eminet Newman, qui loc. cit. exprobrat Catholicis, quod suffecerint illis symbolis, quibus constanter adhærent anglicani, *credo* (ut ipse vocat fidei professionem) Pii IV, juverit ad os adversarii obstruendum hic subijcere profundam theoriam Cl. Moëhler, qui in *Symbol.* loc. cit. hæc præclare habet : *Dès que la divine parole fut devenue foi humaine, de ce moment elle fut perçue, conservée, transmise par l'homme. Tout, jusqu'au récit évangélique, met en lumière la loi que nous constatons; dans le choix et la disposition du sujet, se retrouve le génie propre de chacun des historiens sacrés. Mais que sera-ce quand les apôtres traverseront les mers, lorsqu'ils porteront l'Évangile aux extrémités du monde? Alors on voit s'élever du milieu de ceux, à qui ils prêchent, une foule de difficultés qu'ils sont obligés de résoudre, et pour cela il leur faut discuter, raisonner, comparer; opérations, qui mettent en jeu toutes les facultés de l'entendement. Ainsi la doctrine du {Sauveur fut soumise à l'exercice de l'intelligence humaine.*

D'une part la divine parole fut analysée, et reçut des divisions logiques; d'autre part elle fut coordonnée, comparée avec elle-même; on ramena toutes les parties à certains points fondamentaux, on mit en relief la base sur laquelle repose tout l'édifice. Dès lors un point de vue plus clair et mieux circonscrit fut ouvert à l'esprit humain; car toutes les idées qui lui viennent du dehors, il faut qu'il se les assimile comme par une seconde création, s'il veut en avoir pleinement conscience. Ainsi élaborée en quelque sorte par le concours de l'intelligence humaine, la doctrine primitive se montra sous plusieurs faces différentes; mais resta-t-elle toujours la doctrine primitive? Nous pouvons répondre, oui et non; oui, car elle est immuable quant à son essence; non, puisqu'elle changea quant à l'expression. Assurément, du temps des apôtres, l'Esprit divin présida à tous ces développemens; mais il n'est pas moins certain qu'ils ne s'opèrent pas sans l'homme, sans l'activité, sans l'intelligence de l'homme. Comme dans les œuvres chrétiennes la liberté et la grâce, le divin et l'humain se pénètrent réciproquement, ainsi en est-il dans le point dont il s'agit. Jamais il ne peut arriver autrement. Après la

383. Ad 10^m, *Neg.* Hoc enim est commentum Jansenistarum, invectum, ut sua obrudant apud imperitos, adeoque jure merito nota hæreticali confixum est in constit. dogmatica *Auctorem fidei* (1). Ecclesiæ magisterium jugiter vivum est, ac propterea impossibile est, aliquam fidei veritatem ita obscurari, ut error Ecclesiam universam invadat ac populetur. Sane juxta ipsos, ideo scholastici fuerunt pelagianismo infecti, quia non docuerunt gra-

mort des apôtres, quand les Evangiles, les Epîtres et toutes les Ecritures furent entre les mains des fidèles, nous voyons encore la parole de Dieu assujettie, pour ainsi dire, à l'activité de l'homme. Lorsque l'Eglise définit la doctrine primitive contre les hérésies, il faut de nécessité qu'elle change l'expression apostolique contre une autre plus propre à repousser l'erreur qu'elle veut condamner. Montrant la vérité divine sous tous les points de vue, les apôtres ne purent en conserver la forme première; l'Eglise par conséquent ne le peut davantage. Puisque l'hérésie se reproduit sous mille faces différentes; puisqu'elle revêt toutes les apparences, emprunte toutes les couleurs, l'Eglise aussi doit prendre diverses positions; elle doit se mettre en face de l'erreur, et opposer à ses nouveautés d'expressions une nouvelle terminologie. Qu'on examine le symbole de Nicée, par exemple, et l'on reconnaîtra ce que nous avançons. Ainsi la tradition transmet aux siècles futurs la vérité chrétienne sous une forme différente... Au surplus, si l'homme fidèle pénètre toujours plus avant dans la révélation évangélique, il semble le devoir aux attaques de l'erreur contre la vérité... Enfin la chute des pro-

testans imprima un mouvement d'ascension au catholicisme. Que l'on compare les auteurs des derniers temps avec les ouvrages antérieurs au concile de Trente, et l'on verra clairement que, dans la connaissance du christianisme, nous sommes à un degré plus haut qu'avant la réforme. Tous les dogmes remis en question ont été commentés, discutés, placés dans un plus grand jour, assis sur des bases mieux reconnues et plus affermies. Si proinde Ecclesia anglicana, ut ait Newman, contenta semper extitit solis symbolis apostolico, nicæno et athanasiano, ideo est, quia illa Ecclesia, utpote infallibilitate et auctoritate destituta, nullam potuit hæresim, nullum errorem damnare, atque ei contradictoriam veritatem opponere. Ita est de omnibus sectis. Credo Pianum damnat inter cæteros etiam errores anglicanorum circa primatum Rom. Pontificis. Hinc illæ lacrymæ!

(1) Talis est synodi Pistoriensis 1^a Propositio quæ assertit: *Postremis hisce seculis sparsam esse generalem quamdam obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quæ sunt basis fidei et moralis doctrinæ Jesu Christi; quæ quidem proscripita est uti HÆRETICA.*

tiam humanas cogere voluntates, infidelium et peccatorum opera totidem esse peccata; et sic de ceteris dicatur. Itaque eorum est mens obnubilata, non autem obscuratæ sunt in Ecclesia catholica veritates.

PROPOSITIO II.

Ecclesia est pariter infallibilis in factis dogmaticis decernendis.

384. Ut lux affulgeat implexæ huic quæstioni, constituendum in primis est, quid veniat nomine *facti dogmatici*; deinde accurate determinandum infallibilitatis, quam adstruimus, objectum.

385. *Facti* igitur *dogmatici* nomine, prout hic sumitur, significatur factum cum jure connexum, quod nempe determinat sensum alicujus scripti, in ordine ad ejus orthodoxiam vel heterodoxiam, ab auctore intentum; ac totum proinde situm est in aliqua doctrina, prout hæc ab auctore textu, propositione aut sententia sua traditur ac docetur. Quo fit, ut, si paucis illud complecti libeat, haud incommodè dici queat: *Factum, a quo determinatur jus*, vel etiam: *Jus in facto fundatum*. Doctrina quippe auctoris cujusque cum bifariam spectari possit, nempe tum in se, tum in tota orationis serie atque auctoris scopo, qui ex eadem orationis serie exurgit, factum dogmaticum respicit doctrinam in suo complexu, ex quo determinatur sensus et mens, quæ in auctoris libro seu scriptione elucescit. Objectum proinde definitionis ac propterea infallibilitatis Ecclesiæ, saltem directum, est *jus*, scilicet orthodoxia aut heterodoxia alicujus doctrinæ, quæ continetur in textu aut propositione cujusdam libri, prout ex totius orationis serie, seu ut vulgo dicitur, ex contextu et scopo ipsius auctoris eruitur.

386. Ex hac facti dogmatici notione colligitur, 1º illud minime constitui ex textu aut propositione *in se* ac solitarie, seu sine relatione ad sensum sive mentem auctoris spectata; fieri enim potest, ut propositio aliqua in se spectata sit orthodoxa, sit vero

erronea aut hæretica in sensu auctoris , qui eam tradit. Ex. gr. in scriptore catholico hæc propositio : *Fides justificat*, est orthodoxa , cum eâ ex analogia fidei intelligi debeat : *Fides dispositive justificat una cum reliquis, quæ ad justificationem concurrunt* ; at in scriptore lutherano eadem propositio est hæretica , cum juxta lutheranum systema intelligatur de *sola fide formaliter justificante*.

387. Colligitur , 2^o mentem et sensum auctoris , qui ad factum dogmaticum constituendum requiritur , haud esse mentem aut sensum *subjectivum* et personalem , de quo solus Deus judicat , sed illum esse sensum *objectivum* , qui exurgit ex libro ipso , serie orationis , parallelismo , et aliis , quæ hunc determinant sensum , ut ita loquar , externum.

388. Colligitur , 3^o objectum definitionis , ac proinde infallibilitatis Ecclesiæ , nec esse solum factum , prout a jure distincte spectatur , neque solum jus , sed jus cum facto inseparabiliter conjunctum. Nam *factum* , quod ex. gr. Lutherus aut Calvinus hoc vel illud scripserit , non est objectum definitionis , sed præsupponitur ex historia , critica , etc. Sic etiam *factum* , prout dicit mentem aut sensum objectivum auctoris , uti exposuimus , non est saltem directum definitionis objectum , cum pariter hic sensus ex contextu , ex locorum parallelismo , ex collatione , ex complexo , scopo , aliisque regulis critices colligatur , ac pariter præsupponitur tanquam , ut ita dicam , præambulum certum. Itaque definitio infallibilis Ecclesiæ directe cadit in jus , quod in facto fundatur (1) , seu in orthodoxiam aut heterodoxiam alicujus doctrinæ , quæ in tali textu aut propositione continetur , in ordiné ac relatione ad mentem sive sensum objectivum auctoris , qui per eam exprimitur. Cum vero talis doctrina non possit infallibili judicio pronunciarî decernique catholica aut hæretica nisi per relationem ad objectivam auctoris mentem , fit , ut non possit in concreto Ecclesia infallibiliter decernere directe jus , quin simul indirecte decernat factum , quod est basis , fundamentum et radix , ex quo

(1) Hac de causa in nostra facti dogmatici definitione etiam posuimus *jus* in recto , et *factum* in obliquo.

in concreto jus, seu veritas aut falsitas, orthodoxia aut heterodoxia alicujus doctrinæ exurgit, et cum quo, uti diximus, est necessario et inseparabiliter connexum atque ab eo dependens.

389. Janseniani, ut eluderent damnationem quinque propositionum, quæ decerptæ erant ex *Augustino* Jansenii, Arnaldo duce, coeperunt distinguere inter *jus* et *factum*. Propositiones illas, in se spectatas, professi sunt merito proscriptas, easque se ex corde ut hæreticas quoque damnare; verum, tum eas contineri in Jansenii *Augustino*, ac in mente et sensu Jansenii hæreticas esse, protestati sunt nulla se ratione adduci posse, ut crederent ac profiterentur. Nam, ut ipsi aiebant, hoc factum est mere humanum; circa factum autem humanum, Ecclesiam infallibilitate minime pollere, apud omnes in confesso est. Ex quo inferebant se nec debere, nec posse obsequi, obluctante propria sua conscientia, damnationi et censuræ quinque propositionum in sensu auctoris (1). Hac ratione Janseniani adnitebantur effugere promeritam damnationem, in quo pariter iterum iterumque fuerunt proscripti (2).

(1) Totam originem ac progressum hujus distinctionis copiose refert Tournely, in tract. *De gratia*, part. I. quæst. III, epocha tertia jansenismi. Cfr. etiam *OEuvres de Fénélon*, Versailles, 1821, tom. x, *Avertissement de l'éditeur*, prem. partie: *Précis dogmatique... des erreurs du jansénisme pour servir d'introduction aux écrits de Fénélon sur cette matière*, art. 1, § 17, *Deuxième subterfuge, le silence respectueux sur le fait de Jansénius*, pag. 21 et seqq.

(2) Huc spectat celebris *casus conscientiæ*, quo fingitur clericus, cui absolutio sacramentalis denegata fuit, eo quod declarasset, *se revera quinque propositiones simpliciter et absolute damnare, ac formulæ fidei Alexan-*

dri VII subscripsisse quidem, nihilominus, quantum ad quæstionem facti seu attributionem illarum quinque propositionum libro Jansenii, existimare se religiosum sufficere silentium. Quem casum quadraginta doctores parisienses his verbis resolverunt: *Doctores infrascripti, visa casus expositione, hujus ecclesiastici viri sententiam nec novam esse, nec singularem, nec ab Ecclesia damnatam, neque talem, ut confessarius possit ipsi sacramentalem denegare absolutionem, nisi eam retractaverit. Deliberatum in Sorbona die 20 Julii an. 1701.* Ast hanc responsionem Clemens XI damnavit ac reprobavit, apposito decreto dato die 13 Febr. an. 1703. Cfr. cit. auctores.

390. Ex nuper invecata distinctione janseniana inter jus et factum, cœpit agitari hæc controversia de infallibilitate Ecclesiæ in factis dogmaticis dijudicandis. Janseniani communi suffragio ejusmodi prærogativam Ecclesiæ denegant; Catholici unanimi consensu illam eidem vindicant. Nos propterea cum istis sic assertam propositionem evincimus.

391. Christi Ecclesia, ex dictis, non solum testis est infallibilis depositi revelationis, quod a Christo et Apostolis custodiendum accepit, sed est præterea infallibilis judex in controversiis dirimendis, ac magistra infallibilis in ministerio quotidiano. Atqui neque judex infallibilis nec infallibilis magistra esset in docendo populum sanam doctrinam, nisi pariter infallibilis esset in factis dogmaticis.

392. Nam juxta præmissa ita jus est cum facto connexum et ab eo dependens, ut, nisi saltem indirecte posset Ecclesia infallibili judicio pronunciare de facto, nulla posset ratione decernere de jure, seu de orthodoxia aut heterodoxia alicujus propositionis. Cum vero ad sartam tectamque servandam Christi doctrinam apud fideles, atque ad eos retrahendos a pascuis venenatis, eosque sana doctrina instituendos, omnino opus sit tum infallibili judicio, tum infallibili magisterio, plane consequitur, non minus quoad jus, quam quoad factum, ex quo illud pendet, debere Ecclesiam infallibilitate pollere. Alioquin, cum Ecclesia, ne fideles pravis dogmatibus imbuantur, aliquot propositiones seu doctrinam in aliquo contentam damnat, eosque lectione talium librorum interdicit, isti obsequi ac obtemperare minime tenerentur; possent quippe reponere, Ecclesiam in hoc suo judicio falli potuisse, ac reipsa deceptam esse, dum existimavit hunc esse auctoris sensum, et ex falsa hac suppositione damnasse, tanquam hæreticas aut erroneas, propositiones veras atque orthodoxas. Non posset præterea Ecclesia lupos a grege arcere; cum enim istorum doctrinam Ecclesia proscriberet, semper possent auctores excipere, Ecclesiam mentem ipsorum non esse assecutam, ideoque perperam doctrinam illam damnasse. Quæ quidem omnia, ut patet, inane ac supervacaneum redderent commissum Ecclesiæ a Christo magisterium, et judicium in controversiis

fidei ac morum dirimendis. Via lata pateret erroribus omnibus, tum theoreticis tum practicis, ingenti fidei morumque jactura.

393. Rursum : Christus instituendo Ecclesiam, sibi ut finem proposuit suppeditare per eam hominibus medium tutum ad salutem, adeoque, uti ostendimus, eam infallibilitate instruxit. Jam vero non minus necessaria est ad hunc finem obtinendum infallibilitas in factis dogmaticis, quam sit infallibilitas in genere; ergo, nisi absurde affirmare velimus, Christum idoneis mediis ad finem obtinendum Ecclesiam suam minime communiuisse, fateamur necesse est, et hanc infallibilitatem in factis dogmaticis decernendis eidem contulisse. Etenim ejusmodi infallibilitas, ut vidimus, non minus quam generalis illa, necessaria est sive ad secernendam veram a falsa doctrina, sive ad impediendum quominus falsi doctores incautos decipiant, sive demum ad fideles rite sana doctrina informandos. Cum enim universim receptum sit, ut auctores in scriptis seu libris propria sensa exponant; si Ecclesia prædita a Christo non esset infallibilitate in judicanda orthodoxia aut heterodoxia doctrinæ, prout ex contextu eruitur, seu prout jus facto innititur, jam non posset ullo modo fungi munere sibi commisso.

394. Attamen Christus, Joan. XXI, dixit Petro : *Pasce oves meas... pasce agnos meos*. Petrus adhortatur Episcopos, scribens : *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* (1). Et Paulus sic alloquitur majores natu, quos ex Epheso congregaverat : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Rationem vero reddens hujusmodi admonitionis, subdit : *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate* (2). At inutilis prorsus fuisset hæc vigilantia Episcoporum, si certo et infallibiliter non potuissent judicare, utrum, quæ locuturi aut scripturi essent illi novatores, vera an falsa, catholica an hæretica fuerint. Demum frustra man-

(1) I Petr. v, 2.

(2) Act. xx, 28-30.

dasset idem Apostolus Tito curare, ut senes sint *sani in fide* (1), si neque Titus neque Episcopi reliqui, etiam simul sumpti cum Ecclesiæ capite, de doctrina orthodoxa aut hæretica, prout ab auctoribus asseritur, judicare ac decernere absque erroris ac deceptionis suspitione possent, prout nec possent rite pascere gregem sibi commissum. Quæ quidem omnia absona sunt et absurda.

395. Quare Ecclesia hac potestate continenti seculorum omnium serie usa est, quin ullus unquam, si hæreticos forsitan excipias, reclamaverit, imo qui ratum et infallibile non habuerit ejus hac in re judicium. Sane Ecclesia in Concilio Nicæno damnavit Arii *Thaliam*, utpote erroribus hæresibusque refertam (2). Damnavit scripta Nestorii in Concilio Ephesino et Chalcedonensi eadem de causa. Contra vero probavit scripta Cyrilli adversus eundem exarata, utpote orthodoxa (3). Et ita porro se gessit insequentibus seculis, cujus illustre exemplum præ cæteris suppeditat Concilium V œcumenicum in damnatione trium capitulorum (4), ut reliqua missa faciam.

396. Sive igitur spectes munia, quæ Christus Ecclesiæ imposuit, sive ejus finem in Ecclesia instituenda, sive praxim constantem, quam perpetuo Ecclesia tenuit, liquet, eam in factis dogmaticis decernendis æque infallibilem esse, prout ostendendum assumpsimus (5).

(1) Cap. 11, 2.

(2) In epist. synodica, apud Socratem, *Hist. eccl.* lib. 1, cap. 2, circa finem, necnon apud Sozomenum, lib. 1, cap. 21.

(3) Cfr. *Acta Concil. Harduini*, tom. 1, col. 1363, item tom. 11, col. 115 et seqq.

(4) *Ibid.* 11, col. 193 et 194.

(5) Cfr. de hoc argumento Fénelon, opp. edit. cit. tom. 11, *Troisième instruction pastorale contenant les preuves de la tradition concernant l'infailibilité de l'Eglise touchant les textes dogmatiques ou hérétiques*. Item Ré-

ponse de M. l'évêque de Cambrai à un évêque, cum aliis epistolis de eodem argumento, quæ continentur, tom. 12; *Instruction pastorale sur le livre intitulé : JUSTIFICATION DU SILENCE RESPECTUEUX*, tom. 14; necnon *Lettre sur l'infailibilité de l'Eglise touchant les textes dogmatiques*, *ibid.* *Dissertation de Ecclesiæ infailibilitate circa textus dogmaticos*, occasione libelli cui titulus : *VIA PACIS*, tom. 15. Consulat. præterea Tournely, tract. *De Ecclesia*, quæst. v, art. 111, *De auctoritate Summi Pontificis et Ecclesiæ universæ in censura librorum, seu*

DIFFICULTATES

397. Obj. prima. 1^o Ecclesia non est infallibilis nisi quoad ea, quæ in divina revelatione continentur; jam vero factum dogmaticum, ex. gr. Jansenii, seu sensus et mens Jansenii in damnatis quinque propositionibus, prout in ejus *Augustino* continetur, aut ex eo eruitur, neque directe neque indirecte in revelatione continetur; fatendum proinde est, ejusmodi infallibilitatem Ecclesiae minime competere. 2^o Sane sensus alicujus propositionis, aut textus aut etiam libri, ex solis critices et hermeneuticæ subsidiis colligi potest, ex lectione, collatione, phrasibus, loquendi usu, aliisque ejusmodi adminiculis, quæ sunt pars logicæ, non autem objectum infallibilitatis. 3^o Equis enim unquam dicet, Ecclesiam infallibilitate instructam esse in interpretatione et vero sensu determinando Tullii, ex. gr. Taciti, Virgilio? Quare igitur censenda erit infallibilis in intelligendo opere Jansenii? 4^o Repugnat præterea, Ecclesiam posse novos fidei articulos credendos proponere, de quibus nihil aut in verbo Dei scripto, aut in verbo Dei tradito continetur; ita porro se gereret Ecclesia, si fide tenendum esset talem esse Jansenii sensum in suo *Augustino*. 5^o Cum igitur nonnisi humana deprehendi possit industria verus sensus alicujus auctoris, restat, ut dicamus, non fide divina, sed fide duntaxat humana ad summum nos tenere aut credere factum dogmaticum ab Ecclesia definitum, quæ non excludat omnem errandi formidinem. Ergo.

398. Resp. Ad 1^m, *Dist. maj.* Ecclesia non est infallibilis nisi circa ea, quæ in divina revelatione continentur, prout *testis* est, *trans.*; prout est *judex* et *magistra*, *neg.* Etenim Ecclesia præter officium testis eorum, quæ in revelatione continentur, habet officium judicis controversiarum, et magisterii perpetui. Prout vero ostendimus, non posset Ecclesia utroque ejusmodi munere fungi, nisi esset infallibilitate a Christo munita. Utique sensus Jansenii, qui in ejus *Augustino* continetur, non reperitur sive directe

ut vocant, in factis dogmaticis; Bol-
geni, *I fatti dommatici*, vol. 2, in-8,

tum in opuse. *L'economia della fede*,
vol. un. Brescia 1790.

sive indirecte in revelatione, cum agatur de facto post tot secula a data revelatione secuto, neque in hoc factum solitarie atque in se spectatum cadit Ecclesiæ judicium ac definitio. Verum jus, seu orthodoxia aut heterodoxia propositionum Jansenii, aut alterius cujuscumque, quod facto innititur, et a quo pendet sive directe sive indirecte, in revelatione divina continetur ratione contradictoriæ doctrinæ, aut quoquomodo a doctrina revelata dissentientis. Quum vero definitio Ecclesiæ, ex dictis, afficiat directe jus ipsum, quod facto innititur, et quo deficiente deficeret jus in concreto definitum, patet, non posse Ecclesiam directe et infallibili ratione judicare de jure; quin indirecte et infallibili judicio decernat etiam de facto, ob intimam utriusque ac inseparabilem connexionem et dependentiam,

399. Ad 2^m, *Dist.* Si factum, id est, sensus auctoris seorsum a jure spectetur, *trans.* vel *conc.*; si spectetur, quatenus est juris fundamentum, a quo illius veritas et infallibilis certitudo pendet, uti exposuimus, *neg.*

400. Ad 3^m, *Neg. paritatem*; in adductis enim exemplis non viget eadem ratio, quæ viget in factis dogmaticis, ut per se patet.

401. Ad 4^m, *Dist.* Et Ecclesia in factis dogmaticis decernendis solum declarat infallibili judicio connexionem juris cum facto, a quo illud pendet, *conc.*; et novos absolute condit fidei articulos, *neg.* Hoc enim tantummodo intercedit discrimen inter cæteras dogmaticas Ecclesiæ definitiones et facta dogmatica, quod in illis Ecclesia decernat solum de jure absque ulla relatione ad factum, ex. gr. B. Virginem esse *Deiparam*; in his vero decernat præterea connexionem seu intimam relationem juris cum facto, ex. gr. vocem *Christiparam* in sensu, in quo eam usurpabat Nestorius, esse hæreticam; adeoque, ut diximus, Ecclesiæ definitio cadit directe in jus, indirecte vero in factum, in quo si Ecclesia falleretur, falleretur etiam in jure decernendo (1).

(1) Cfr. Simonnet, *Institutiones theologicæ*, tract. IX, *De regulis fidei*, disputat. 2, art. 11, ubi data opera enucleat et solvit difficultatem

petitam ex natura actus, quo credi debet orthodoxia aut heterodoxia textuum dogmaticorum decisa ab Ecclesia. Inter cetera autem adnotat, juxta mul-

402. Ad 5^m, *Neg. conseq.* Quæcumque enim demum sint media et industriæ, quibus Ecclesia utitur in cognoscendo sensu seu mente alicujus auctoris, objectum plenum definitionis per modum unius erit fidei objectum divina fide credendum, ob rationes paulo ante adductas. Dum vero Deus Ecclesiæ suæ assistit, non excludit humana media, prout ea in definitionibus pure dogmaticis non excludit.

403. Obj. secunda. 1^o Pugnat adversus hanc doctrinam novitatis præjudicium; cum non ceperit propugnari nisi postremis

torum doctorum catholicorum sententiam, heterodoxiam textus dogmatici ab Ecclesia decisam firmissime judicari posse per fidem, quam vocant *ecclesiasticam*. Hi enim doctores triplicem fidem distinguunt, *divinam* scilicet, quæ nititur auctoritate divina; *humanam*, quæ nititur auctoritate humana; et intermediam, quæ *ecclesiastica* nuncupatur, quia nititur auctoritate Ecclesiæ aliquid definitis cum speciali Spiritus Sancti assistentia, quacum in sua definitione errare non potest. Ex his *humanam* non omnino certam habent, utpote errori obnoxiam; *divinam* vero infallibilem immediate et per se; *ecclesiasticam* infallibilitate participata et accepta; adeoque gradu inferiori, quam sit divina, et superiore humana certitudine. Fénelon clarius hoc ipsum exponit in secunda instructione pastorali super casum conscientiæ, ubi agens de hac theologorum disceptatione circa nomen, quo, hæc designari fides debeat, hæc scribit: *Voilà ce qu'on pourrait dire de part et d'autre, pour examiner, s'il est permis ou non, de donner le nom de foi divine à une telle croyance. On peut disputer à cet égard dans les écoles sur ces deux*

*points. Le premier ne regarde qu'une question de mots sur le terme de foi divine, qui peut être pris dans un sens plus ou moins rigoureux; les uns entendant par ce terme la seule foi divine, qui est une vertu théologique; les autres y comprenant toute croyance qui est appuyée ou immédiatement, ou du moins médiatement sur le fondement de l'autorité divine. Le second point se réduit à savoir, comment chacun tourne son acte de foi. Les uns voudront dire simplement: Je crois l'hérésie d'un tel texte sur la seule parole de l'Eglise, que je sais d'eux être infallible. Les autres disent: Je crois l'infailibilité de l'Eglise en tant que révélée, sur un tel texte. Opp. edit. cit. tom. x, pag. 468 et seqq. Cfr. pariter in responsione ad secundam epistolam Episcopi sancti Pontii, § 15, opp. tom. xii, pag. 546 et seqq. Cons. Muzzarelli, in op. *Il buon uso della logica*, opusc. xxiv, *Se un fatto dogmatico sia oggetto di fede teologica*, ubi ostendere multis connotatur cum pluribus theologis, factum dogmaticum ab Ecclesia definitum esse reipsa objectum fidei divinæ atque theologicæ.*

hiscæ temporibus. 2^o Profecto Patres Leo M. (1), Pelagius II (2), Gregorius M. (3), aliique passim communi calculo docuerunt, sola fide excepta, posse retractari, quidquid in Conciliis definitur. 3^o Atque hinc factum est, ut posteriores duo Pontifices a communione minime separaverint eos, qui abnuebant definitionem Concilii œcumenici V circa tria capitula. 4^o Cujus quidem avitæ fidei exemplo sunt prorsus ineluctabili, inter ceteros, Bellarminus et Baronius, quorum prior, loquens de damnatione Honorii facta in sexta Synodo, pluribus allatis in ejus defensionem, demum concludit : *Quod si aliquis non possit adduci, ut credat corruptam sextam Synodum, is accipiat alteram solutionem, quæ est Joannis a Turrecremata, lib. II, de Ecclesia, cap. 93, qui docet, Patres VI Synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, ac proinde in eo judicio errasse. Quamvis enim generale Concilium legitimum non possit errare, ut neque erravit hoc sextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaque tuto dicere possumus, hos patres deceptos ex falsis rumoribus, et non intellectis Honorii epistolis, immerito cum hæreticis connumerasse Honorium* (4). Alter vero, nempe Baronius, cum et ipse longam texuisset ejusdem Honorii apologiam, tandem concludit : *Id ipsum dixerim in iis, quæ ad fidem spectant, ut plane religio sit vel latum unguem ab iis, quæ in sancta Synodo sunt statuta, recedere; at in iis, quæ ad personas pertinent et scripta ipsorum, non ita rigide reperitur custodita censura. Nam patens exemplum est de V Synodo, quæ tria capitula condemnavit, de quibus a sacrosancto Concilio Chalcedonensi videri poterat aliter actum, nempe de Theodoro, Theodoreto et Iba. In his enim, quæ facti sunt, contingere posse, ut unus quisque fallatur, nemini dubium est. Et tunc illud Pauli ad Corinth. usurpari posset : Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro*

(1) *Epist. cxix, ad Maximum Antioch. cap. 5, edit. Ballerin.*

(2) *Epist. II, ad Eliam Aquilej. et alios Episcop. Istriæ, in Act. Concil.*

Labbæi, tom. v, col. 631.

(3) *Epist. II, ad Constant. Mediolan. edit. Maur. tom. II, col. 683.*

(4) *De summo Pontf. lib. IV, cap. 11.*

veritate (1). 5^o His consonat Card. Pallavicinus, qui aperte fatetur, controversiam de *sensu* trium capitulorum, de quibus disputatum fuit in V Synodo, non pertinuisse ad infallibilem auctoritatem Ecclesiae, neque de fide esse (2). 6^o Certum igitur exploratumque fuit omni retro aetate, Ecclesiae iudicium in factis dogmaticis fidei regulam minime constituere.

404. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Non coepit propugnari haec doctrina nisi postremis hisce temporibus, sub hac determinata formula, *conc.*; quoad rem ipsam, *neg.* Ostendimus enim, hac constanter potestate Ecclesiam a suis primordiis usam esse, omnesque fideles ei paruisse aequae ac in ceteris definitionibus pure dogmaticis. Cum vero Janseniani eam in dubium revocaverint, imo inficiati fuerint, ut promeritam damnationem declinarent, coepit conceptis ea verbis in scholis propugnari, ac nova formula donata est, ut saepenumero evenit (3).

405. Ad 2^m, *Dist.* Adducti Patres docuerunt, sola fide excepta, posse retractari, quidquid definitur in Conciliis non approbatis a romanis Pontificibus, *conc.*; in approbatis, *subd.* posse

(1) Ad annum 681, n. 30, edit. Lucens. 1742, tom. XII, pag. 32.

(2) *Hist. Conc. Trid.* lib. XI, cap. 18, n. 9, edit. Rom. 1656, tom. 1, pag. 957.

(3) Fénelon in cit. tertia *Instruct. pastorali* (quae prostat tom. XI), adductis et expensis singillatim Patrum graecorum et latinorum testimoniis, nec non Conciliorum oecumenicorum et romanorum Pontificum, atque praecipuorum scholasticorum, luculentissime ostendit, traditionem universim receptam de infallibilitate Ecclesiae in factis dogmaticis semper viguisse. In dissert. autem 1, de Ecclesiae infallibilitate circa textus dogmaticos (quae extat tom. XV), cap. 2, demonstrat, hac sublata infallibilitate, totam ruere infallibilitatem Ecclesiae;

decipi enim semper posset in intelligendis textibus Patrum, in intelligendis propositionibus haereticorum, decretis Conciliorum; ac proinde posset praebere ut haereticam doctrinam, quae reipsa orthodoxa est, aut e converso iudicare uti orthodoxam doctrinam, quae sit haeretica, et sic eludi posset quodvis Ecclesiae iudicium. Ex hoc praeterea fieret, ut infallibilitas Ecclesiae *theoretice* semper admitteretur, *practice* semper eluderetur; omnia illius anathemata lata in doctrinam, quam iudicavit haereticam, ex. gr. Nestorii, Pelagii, Lutheri, Calvini, essent inane tericulum; tunc ipsa inermis, et succiso censurae nervo, imbecillis jaceret; unde portae inferi praevalerent adversus eam. Haec autem omnia exemplis illustrat, quae ibidem videri possunt, ne prolixior sim.

retractari, quidquid ad fidem nec directe nec indirecte spectat, *conc.*; quidquid directe solum ad eam non pertinet, *neg.* Quæ ut intelligantur, animadvertendum est, S. Leonem M. in *Epist. ad Maximum antiochenum Episcopum* testari, se non misisse legatos suos ad Concilium Chalcedonense nisi cum facultate tractandi de rebus fidei; quidquid propterea in eodem Concilio, agentibus licet legatis S. Sedis, præter fidem gestum est, non habere firmitatem. En ejus verba: *Si quid sane ab his fratribus, quos ad sanctam Synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis; quia ad hoc tantum ab apostolica sunt Sede directi, ut excisis hæresibus catholicæ essent fidei defensores* (1). Hæc ipsa porro eadem verba applicant Pelagius II et Gregorius M. ad quintam Synodum in causa trium capitulorum, ut evincant etiam in hypothesi, quod Synodus Chalcedonensis tria illa capitula probasset, nihilo secius eadem damnando Synodum V non pugnasse cum Concilio Chalcedonensi, quia, quæ de tribus capitulis Chalcedone gesta sunt, non fuerant a S. Sede probata. En iterum Pelagii verba ex *Epistola ad Istriæ Episcopos*: *Aperte nobis licentia tribuitur, ut quidquid illic (in Synodo Chalcedonensi) extra fidei causas de personis gestum est, retractetur. Specialis quippe synodaliū Conciliorum causa est fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente, ostenditur, quia nihil obstat, si ad iudicium revocetur* (2). Eadem loquitur ratione S. Gregorius M. qui fuit a secretis Pelagii II.

406. Ad 3^m, *Dist.* Non separarunt præfati Pontifices a communione eos, qui detrectabant recipere definitionem V Synodi, re nondum luculenter perspecta, *conc.*; re maturius discussa, *neg.* Magna enim perturbatio in Ecclesiis occidentalibus orta est ex occasione damnationis trium capitulorum; rebantur quippe plerique, quintam Synodum Chalcedonensi fuisse contrariam hac in causa; cum tamen re ipsa in Concilio Chalcedonensi actum esset de solis personis, in Synodo autem V de solis scriptis. In tali autem rerum statu prudenter Pontifices existimarunt, dissi-

(1) Loc. cit.

(2) Loc. pariter cit.

mulandum esse cum reluctantibus, donec temporis tractu res melius in aperto poneretur, uti factum est (1). Tenebris itaque dissipatis, S. Gregorius M. neminem ad Ecclesiae pacem admisit, quin prius contestatus esset, se V illam Synodum admittere et venerari, damnassetque tria capitula. Imo receptum est, ut, cum Præsul aliquis inauguraretur, debuerit profiteri, se illam Synodum recipere (2).

407. Ad 4^m, *Dist.* Bellarminus et Baronius de Honorii persona, adeoque de facto mere personali locuti sunt, *conc.*; de facto dogmatico, *neg.* Id liquet 1^o ex utriusque scriptoris verbis. Etenim Bellarminus disserit de eo, in quo patres VI Synodi decipi potuerunt, nimirum *ex falsis rumoribus, et non intellectis Honorii epistolis*, nempe quoad consilium Honorii in sopienda controversia per quamdam œconomiam. Jam vero nonnisi facta particularia atque personalia a falsis rumoribus pendent, perinde ac a mente personali scriptoris consilium circa agendi rationem (3).

(1) Et hæc cohærenter ad præclara hæc de re edita a S. Augustino monita, qui, *Cont. Parmenian.* lib. III, cap. 2, n. 13, statuit, tunc quemque percellendum anathemate, *ubi periculum schismatis nullum est, aut quando ita cuique crimen actum est, et omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere.* Et iterum, *Epist. XII, n. 5: Non asperere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine; severitas autem exercenda est in peccata paucorum.* Hic autem obiter animadverto, hanc difficultatem, quæ ab adversariis urgetur ex agendi ratione eorum, qui restiterunt definitioni Con-

cili V, eo quod contrarium ipsum censuerint definitionibus editis in Concilio Chalcedonensi, rem nostram magis probare. Nisi enim pro certo illi habuissent, œcumenica Concilia infallibilia esse in factis dogmaticis, nulla causa fuisset, quare restiterint decretis Concilii posterioris, seu Synodi V, perinde ac si hæc adversaretur decreto infallibili Concilii Chalcedonensis, quod ab omnibus ut œcumenicum habebatur; dubitabatur autem ab istis, utrum talis pariter censenda esset quinta Synodus.

(2) Cfr. apud Joan. Garnerium S. J. *Liber diurnus Romanorum Pontificum*, Paris. 1680, in secunda fidei professione, pag. 35, et pag. 38 et seq.

(3) Cfr. erudita *Relatio Card. Caroli Alberti Cavalchini ponentis in causa ven. servi Dei Bellarmini*, Romæ 1753, n. 267 et seqq. pag. 208

Baronius pariter aperte scribit : *In iis, quæ ad personas pertinent et scripta ipsorum*, in ordine videlicet ad consilium aut mentem subjectivam. Utriusque enim scopus est defendere personam Honorii, quem in hæresim neutiquam lapsum merito affirmant, etiamsi Patres VI Synodi ipsum inter hæreticos, id est, hæreticorum fautores connumeraverint (1). Id liquet 2^o ex eo, quod in decreto dogmatico Concilium VI ne verbum quidem habeat de epistolis Honorii; in hoc porro solo *infallibilia Concilia sunt* (2). Quod si Baronius ac Bellarminus aperte non distinxerunt inter mera facta et facta dogmatica, hoc ideo est, quia illorum ætate nondum illa formula inducta fuerat; hinc merito illis aptari possunt Augustini verba de Pelagianis, nonnullorum pro se veterum auctoritatem obtrudentibus : *Vobis nondum litigantibus, securius loquebantur* (3).

408. Ad 5^m, *Neg.* Pallavicinum fassum esse, *sensum* trium capitulorum a V Synodo damnatum non pertinuisse ad infallibilem auctoritatem Ecclesiæ; sic enim scribit : *Observat* (S. Greg. M. in *Epist. ad Constantium mediolanensem antistitem*), *dissidium non in dogmatibus verti, sed in hominibus, de quibus actum fuerat in Concilio Chalcedonensi post firmatam integre doctrinam, ac proinde controversiam non esse de articulo fidei, et qui ad Ecclesiæ auctoritatem nulli obnoxiam errori spectaret* (3).

et seqq. ubi apertissime ostenditur, in objecto loco Bellarminum, non de facto dogmatico, sed de facto personali Honorii egisse.

(1) De quo argumento ex professo paulo post agemus.

(2) In posterioribus enim actionis XVI verbis profitetur Synodus, se in posteram edituram fidei professionem : *Sancta Synodus dixit: sufficienter quidem habent quæque usque nunc gesta sunt ac decertata, et ad præsentem dogmaticam inquisitionem intendunt. In sequenti vero inspiratione sancti et vivifici Spiritus definitionem rectæ fidei convenientem synodaliter statue-*

mus. Subsequens porro definitio fidei, quæ redacta et edita est act. XVII et XVIII, titulum habens : *Definitio orthodoxæ fidei facta in regia urbe*, etc. nihil prorsus habet de damnatione epistolarum Honorii.

(3) *Cont. Julian.* lib. I, cap. 6, n. 22. Verum de mente Card. Bellarmini, Baronii, Turrecrematæ, aliorumque, quorum auctoritate abutuntur Janseniani, cfr. Fénelon, edit. cit. tom. XI, *Troisième instruction pastorale*, chap. 34 ad 37, ubi copiose rem totam ita evolvit, ut nullum dubium supersit.

(4) En ipsa ejus verba loc. cit. *Ma perciò nacque scisma poi fra Cristiani,*

409. Inst. Saltem Zosimus Rom. Pontifex probavit libellum sibi a Cœlestio oblatum, tanquam catholicum, cum tamen pluribus erroribus refertus esset. Ergo.

410. Resp. *Dist.* cum S. Augustino, probata est a Zosimo voluntas emendationis, *conc.*; falsitas dogmatis, *neg.* Cum enim, eodem referente Augustino, Cælestius professus esset, se in hoc libello ea posuisse, de quibus adhuc dubitaret, et de quibus vellet a Pontifice instrui; cum præterea viva voce adjecisset se consentire iis, quæ ab Innocentio in quæstione pelagiana scripta fuerant, ideo Rom. Pontifex libellum Cælestii catholicum dixit, quia *et hoc catholicæ mentis est*, ut idem loquitur S. Augustinus, *si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit... detecta ac demonstrata respuere* (1).

ARTICULUS III.

De auctoritate Ecclesiæ.

411. Hic *auctoritatis* vocem usurpamus in ordine ad regimen ecclesiasticum, juxta ea quæ hujus capituli initio præmisimus. Auctoritas proinde sic accepta pro objecto habet potestatem Ecclesiæ *legislativam* et *coactivam*. Potestas legislativa est potestas ferendi leges illas, quæ Dei populum seu fideles regunt ac dirigunt in iis omnibus, quæ ad exteriorem disciplinam seu politiam

opponendo gli eutichiani, e gli altri condannati nel Calcedonense, che la chiesa romana erasi ritirata da questo con approvare il Constantinopolitano secondo (id est quintam synodum). Or S. Gregorio in più luoghi va dissipando questa apparente ripugnanza, e dimostrando che quanto alla dottrina accordavansi que' due Concilii in rifiutar l'eresie de' tre nominati (Theodori, Theodoreti et Ibæ). E ciò meglio che altrove dichiara egli scrivendo

a Costanzo vescovo di Milano, dove osserva (ciò che dicemmo) la diversità consistere non intorno a' dogmi, ma intorno alle persone, delle quali s'era trattato nel Concilio Calcedonense dopo avere interamente stabilita la dottrina; onde non era quello un articolo di fede, e che appartenesse alla infallibilità della chiesa. Videsis hujus loci versionem latinam ad calcem voluminis.

(1) *Cont. duas epistol. Pelagianorum*, lib. II, cap. 4, n. 5.

Ecclesiæ spectant. Hæc porro disciplina complectitur exteriorem Dei cultum, liturgiam, sacros ritus, psalmodiam, Sacramentorum administrationem salva eorum substantia, formam sacramentorum electionum canonicam, atque Ministrorum institutionem, jejunia, vota, festos dies ac similia (1). Ecclesiastica igitur disciplina est regula practica et externa, præscripta ab Ecclesia ad retinendos in sua fide Christi fideles, eosque ad æternam felicitatem facilius perducendos. Ex quo patet, quam incaute nonnulli dictitent, disciplinam parum interesse fidei, ac satis esse, ut dogmata intacta consistant (2).

412. Recentiores Protestantes, post Pfaffium et Boehmerum, contendunt, ad quemlibet christianum coetum ex ecclesiasticis et laicis conflatum spectare potestatem sancienti leges disciplinares. Eadem hæret Anglicanis sententia, qui, ut aliquo modo cohonestent titulum supremi Ecclesiæ anglicanæ capitis, quem sibi Henricus VIII, Eduardus VI, Elisabetha, aliique deinceps sibi usurparunt, una cum suprema potestate in res sacras et ecclesiasticas, ad exclusionem auctoritatis Rom. Pontificis, nihil non moliuntur, ut evincant, hanc Principibus competere potestatem saltem in res disciplinares. Quodque magis mireris, admittuntur

(1) Cfr. Muzzarelli, *Il buon uso della logica*, opusc. v, *Disciplina ecclesiastica*, edit. Rom. 1807, tom. II pag. 5 et seq. ubi ad quinque capita revocat objectum disciplinæ Ecclesiasticæ: nempe 1° ad cultum divinum, qui consistit in administratione Sacramentorum, in sacris ritibus, ecclesiasticis cœremoniis; 2° ad politiam et correctionem cleri; 3° ad divisionem particularium diœceseon; 4° ad rectam dispensationem honorum ecclesiasticorum; 5° ad regulam morum in ordine ad Deum, ad proximum et ad nosmetipsos.

(2) Cfr. Zaccaria, in op. cui tit. *Comandi chi puo, ubbidisca ch'è deve, os-*

sia dissertaz. III, *della forza obbligatoria dell' ecclesiastica disciplina*, Faenza 1788, qui, pag. 41, plures recenset Catholicos neotericos ita sentientes post Protestantes. Ab hac dissertatione duæ aliæ de hoc ipso argumento ejusdem cl. auctoris sejungi nequeunt: altera nempe cui titulum fecit: *Lasciamo star le cose come stanno, ossia dissertaz.* I, *sulla mutabilità poco intesa da' più della disciplina ecclesiastica*, Faenza 1787; altera vero, quam inscripsit: *Rendete a Cesare ciò che è di Cesare; ma si a Dio rendete quel che è di Dio, ossia dissert.* II, *sulla podestà regolatrice della disciplina*, Faenza 1788.

ostendere regiam hanc supremam potestatem, si fieri posset, ex principiis et praxi Catholicorum (1). Quod si Catholicorum nomine

(1) Ita nova schola Oxoniensis, in qua eminet Palmer, qui, op. cit. vol. 1, part. II, cap. 3, ubi de ecclesiastico primatu ac de actis civilis potestatis sub regnis Henrici VIII et Eduardi VI, deinde vero cap. 5, ubi disserit de regno Elisabethæ, totus in eo est, ut evincat, non aliud Ecclesiam anglicanam tribuisse regibus suis quam quod suis Catholici Principibus tribuunt. Quod paradoxum lectoribus ut suadeat, imo et persuadeat, historiam reformationis anglicanæ, ut vocant, veluti a *priori* conscribit, id est, non juxta documenta, quæ aut nulla profert aut mutila ac detruncata, sed prout sibi eam evenisse mente concepit. Si ipsum audiamus, non politica et civilis potestas suam Ecclesiæ imposuit politicam ac tyrannicam reformationem; sed clerus ipse ultro seipsum et Ecclesiam mire fœdatam reformavit, in quo potestas civilis nihil aliud fecit quam suppetias ferre, ut negotium feliciter optatam ad metam perduceretur. Quod si Henricus adegit clerum ad ipsum declarandum *supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput* (tunc enim primum cœpit ab Henrico VIII *Anglicanæ* denominatio invehî), id non nisi sub expressa clausula: *salva lege Christi*, clerus effecit. S. præterea Henricus ejusque successores Eduardus et Elisabetha sese ingesserunt in negotiis omnibus ecclesiasticis, omniaque sus deque verterunt, adeo ut ex catholica, quæ prius erat Ecclesia, per novam metamorphosin facta fuerit protestans, hæretica et schismatica; hæc

omnia si auctori nostro fidem adjungas, non afficiunt nisi res exteriores disciplinæ, vel ad summum violentæ usurpationes fuerunt contra ipsius Ecclesiæ constitutionem, quæ de cetero post ejusmodi reformationem identica omnino permansit, nimirum qualis prius erat; ad eum plane modum (ut quidam ex Oxoniensibus, D. Hooke, nuper aiebat, an lepide aut serio nescirem), quo qui mane surgens lavit faciem suam, eadem certe persona, quæ erat ante lotionem, habetur et est. Optime hæc quidem a *priori* excogitata sunt; ast, si historica documenta consulamus, non item. Constat enim, 1° Henricum ob denegatum sibi conjugium a Clemente VII, rebellasse Ecclesiæ romanæ, quæ hactenus, ut in universo mundo, sic etiam in Anglia habuit semper atque exercuit primatum; 2° *Reformationem* anglicanam invite ac oblectante clero factam fuisse a potestate laica, rege nempe ejusque *SERVI* (quem dicunt) *PARLAMENTI* lege; 3° Henricum vere sibi et rem et titulum supremi capitis ecclesiastici in Ecclesia anglicana usurpasse, et clausulam illam, quæ testis est reluctantiæ cleri ejusque perseverantiæ in avita fide circa primatum juris divini in rom. Pontifice, paulo post sublatam fuisse ac penitus abolitam, ita ut clerus ipse non aliam habuerit optionem, nisi aut emittendi juramenti de absoluto primatu regis, aut vitam amittendi. 4° Hunc primatum regium non solum sese extendisse ad res disciplinares, quod etiam nefas fuis-

intelligent eos, qui veram Ecclesiæ doctrinam sequuntur, nihil magis a veritate abhorret quam ista Anglicanorum assertio, uti mox ostendemus; sin vero intelligunt aulicos regalistas, qui uti

set, sed ad jurisdictionem ipsam Episcopis in cura animarum conferendam, ita ut hi effecti fuerint ejus vicesgerentes, et ad fidem ipsam, quæ non obligabat, quin prius singuli articuli probati ac *confirmati* essent a Rege; 5^o tantum distare Ecclesiam anglicanam ab Ecclesia catholica, quæ prius in Anglia obtinuit, quantum etiamnum Ecclesia protestans anglicana differt ab ecclesia catholico-romana. Dixi Ecclesiam *protestantem*; cum statuto legis decretum sit, non alium posse esse Regem Angliæ, adeoque Ecclesiæ anglicanæ caput, quam *protestantem*. Si caput porro est protestans, corpus poteritne esse catholicum? Cfr. opusculum, cui tit. *Ecclesia anglicana reformativne se ipsam?* Quod est celebris D. Lingardi et insertum in *Dublin' Review*, seu *Revisione dubliniensi*, mens. Maij 1840, ubi omnia documenta invenies, quæ huc spectant. Adi quoque auctoris ipsius *Historiam Angliæ* (vol. VI et VII), adeo commendatam et gallice atque italice redditam. Ad auctores vero catholicos, ad quos provocat Palmer, quod attinet, notandum est, istos alios non esse nisi eos, qui continentur in *Report from select committees*, etc. seu *Relatione comitatus selecti*, etc. quæ jussu *cameræ*, quam *vocant communium*, edita est 25 Jun. 1815, Lond. vol. 1 fol. constans p. 544. Hæc porro relatio continet responsa officialia data a ministris diversorum Eu-

ropæ statuum, circa modum quo illi se habent in ordine ad Catholicos et ad S. Sedem; quæ quidem provocata fuerunt, anno 1812, a D. (Lørd) Castlereagh, deinde vero a D. Bathurst anno 1815, ad negotium emancipationis catholicorum in Anglia maturandum. Jam vero ejusmodi responsa data ut plurimum ab iis, qui erant a secretis ministeriorum, nec sine suspitione corruptionis ope pellucidi auri britannici, nullo modo spectari possunt ut germana guberniorum responsa, multo vero minus ut talia, quæ verum statum relationis potestatis civilis cum Ecclesia catholica illis in regionibus præ se ferant. Exhibent siquidem doctrinam Rechberger et Caraccioli ex parte Austriæ; quisquillas Giannoni contra Ecclesiam et S. Sedem ex parte Neapoli; excerpta Pithoci et Dupin, acta declarationis 1682, *pragmaticam sanctionem* schismatici concilii Basileensis an. 1438; nec non varia decreta conventionis nationalis an. 1791, ac duas conventiones Napoleonis ex parte Galliæ. Referunt quoad Hispanias documenta ministeriorum Aranda, Montiana y Luyando et sociorum, atque declamationes constitutionales regentiæ 1814 contra S. Sedem ejusque repræsentantes Matriti. Exhibent quoad Lusitaniam theses academicas propunatas Conimbricæ an. 1783, 1785, 1786, 1796, 1798, 1799, opera Joan. Joachimi Pereyra, Jos. Mourao,

in aliis, sic et in hoc articulo a doctrina Ecclesiae catholicae recesserunt, facile id ipsis dabimus. Siquidem non defuerunt haud pauci neoterici inter ipsos etiam Catholicos, qui, magno Ecclesiae totius scandalo, Protestantium vestigia premere minime veriti sunt, docentes, nullam proprie dictam auctoritatem legislativam competere ecclesiasticae potestati in res pertinentes ad exteriorem disciplinam, quae afficiat homines prout cives sunt, et quae cum ordine politico reipublicae sunt connexae. Hujus enim exterioris disciplinae sancienda potestatem Principibus tribuunt; potestatis autem legislativae ecclesiasticae objectum illud solum esse contendunt, quod pertinet ad doctrinam evangelicam fidei et morum atque Sacramentorum administrandorum.

413. Horum doctrinam suam fecit synodus Pistoriensis prop. IV, affirmans: *Abusum fore auctoritatis Ecclesiae, transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per eam exigendo id, quod pendet a persuasione et corde, tum etiam multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorum subjectionem suis decretis.* Haec porro propositio a Pio VI, in constit. *Auctorem fidei: quatenus indeterminate illis verbis: extendendo ad res exteriores, notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsi Apostoli in disciplina exteriori constituenda et sancienda, haeretica declaratur*, atque ut talis pro-

Ant. Pereyra, Jos. de Lemosmello, etc. qui omnes notorii fuerunt jansenistae; nec non leges Pombalii ejusque consilii ministerialis, etc. Cfr. opus cui tit. *Sammlung*, etc. seu *Collectio nonnullorum documentorum officialium magni momenti ad inseriendum historiae emancipationis catholicorum in Anglia*, edita a Cl. Aug. Theiner, Mogunt. 1835, et opusculum Lingardi: *Observations on the laws*, etc. seu *Observationes circa leges et ordinationes, quae subsistunt in statibus exter-*

nis, relativas ad negotia religiosa subditorum romano catholicorum, 1817, quod postea insertum est in alio ejusdem op. *A collection of tracts*, seu *Collectio opusculorum de variis argumentis connexis cum principiis civilibus et religiosis catholicorum*, Lond. 1826, in-8, pag. 447-479. Ex hisce palam fit, quinam sint auctores catholici, ad quos confugit Palmer, et in quibus tutissime conquiescit veluti monumentis indubiae fidei atque ineluctabilis auctoritatis.

scribitur; *qua parte vero insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media, quæ pendent a persuasione; quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus pœnis coërcendi atque cogendi, ab eodem Pontifice damnatur ex Bened. XIV, in Brevi Ad assiduas, anni 1755, Primate, Archiepiscopis et Episcopis regni Polon. ut inducens in systema alias damnatum ut hæreticum (1).*

414. Ex qua censura intelligimus, duo juxta doctrinam catholicam asserta esse a Pio VI circa Ecclesiæ auctoritatem, scilicet potestatem leges disciplinares condendi, et potestatem coactivam circa devios et contumaces, quarum ambæ a Deo eidem collatæ sunt. Priusquam vero utramque potestatem Ecclesiæ vindicemus, præmittimus, nos hic loqui de *jure*, non autem de *praxi* utriusque potestatis. Ad praxim enim quod spectat, novimus, plures factas esse a S. Sede conventiones cum diversis seculi Principibus, ad quævis in earum exercitio jurgia tollenda. Cum præterea potestas coactiva non modo complectatur pœnas spirituales, sed afflictivas

(1) Cum enim P. La Borde oratorianus librum edidisset, cui tit. *Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances spirituelle et temporelle*, proscriptus iste fuit decr. v Aug. 1753, a *Congreg. SS. Inquisitionis*. Nihilominus Jansenianorum zelo et industria hic liber non solum sæpe in Galliis recusatus est, sed præterea in linguam polonicam conversus, magno illius regionis detrimento diffundebatur. Quapropter Benedictus XIV, litteris suis sub diem 4 Mart. 1755, excitat vigilantiam Præsulum illius regni *adversus vaniloquos et seductores; ut ipse loquitur, docentes, quæ non oportet, qui constitutos a Deo civilis potestatis fines amplificare et transire*

moliuntur, Ecclesiæ vero jura coarctare, imminuere atque convellere student; et divinis humana miscentes, imperium et sacerdotium seditiose committunt. Ita quidem Pontifex, § 3; in § autem 1, loquens de libro ipso, eum traducit uti *pravum ac perniciosum systema jampridem ab apostolica sede, præsertim vero a Joanne XII, prædecessore nostro, constit. incip.* Licet juxta doctrinam, *reprobatur, ac pro hæretico expresse damnatum, quod fallacibus ratiunculis, fucatis et ad religionem compositis verbis, contortisque Scripturarum et Patrum testimoniis, impudens scriptor obtrudit, quo simplicibus et minus cautis facilius imponat.*

etiam et corporales, perinde est, sive Ecclesia eam exerceat immediate per se, sive per Principes laicos; imo addimus, Ecclesiam, quoad earum irrogationem, diversa ratione et gradu pro temporum, locorum ac rerum adjunctis sese gessisse (1). His præmissis, sit

PROPOSITIO.

Ecclesia divinitus accepit potestatem, independentem atque supremam, sancienti per leges exteriorem disciplinam, cogen-dique fideles ad earum observationem, et coercendi salutari-bus pœnis devios et contumaces.

415. Tres partes habet propositio, nimirum 1^o Ecclesiam a Deo accepisse *potestatem sancienti per leges exteriorem disciplinam*; 2^o hanc potestatem in ordine suo *independentem* esse atque *supremam*; 3^o eandem esse *coactivam*. Cum vero arctissimo nexu sint ejusmodi partes inter se consociatæ, ideo per modum unius sic illas evincimus.

416. Ecclesia divinitus instructa est potestate independente atque suprema condendi leges disciplinares, eaque coactiva, si id exigat ipsa Ecclesiæ constitutionis natura, prout a Christo instituta est, et si præterea ex Christi ordinatione ejusmodi potestatem jugiter exercuerint Apostoli eorumque successores. Atqui.

417. Sane juxta hactenus vindicata Christus Ecclesiam suam veluti societatem, in ordine suo perfectam, proprie dictam et ex-

(1) Hic porro detegenda est illorum fraus, qui, ut odiosam Ecclesiæ coactivam potestatem efficiant, eam ita referunt, perinde ac si illa semper præ manibus ferrum et ignem gereret. Quæ agendi et loquendi ratio quam calumniosa sit et injuriosa Ecclesiæ, nemo est qui non videat. Attamen immunem a putida hac calumnia se non servavit pseudo-synodus Pistoriensis, quæ, cum in rerum indice posuisset: *La chiesa*

non ha forza coattiva, id est, *Ecclesia non habet potestatem coactivam*, remittit lectorem ad pag. 81, ubi legitur: *La mente non si persuade colla sforza, et il cuore non si riforma colle prigioni e col fuoco*, id est, *Mens vi persuaderi nequit nec cor carceribus et igne immutatur*. Quasi nempe Ecclesia hisce mediis in exercitio potestatis suæ coactivæ uteretur.

ternam constituit, in qua alii præessent, subessent alii; hanc suam societatem *regni* nomine passim insignivit; instruxit demum eos, quos huic suæ societati seu regno præfecit, illa omni auctoritate, quæ ad eam recte regendam et gubernandam necessario requiritur, subditis vero seu membris ejusdem societatis mandatum dedit se subjiciendi Superioribus ac Præpositis suis, eosque audiendi, perinde ac si semetipsum audirent. Jam vero perfectæ ac visibilis societatis natura postulat, ut qui præsent ea decernant, quæ ad bonum ejusdem regimen necessaria sunt pro variis temporum, locorum rerumque adjunctis; quæque pro adjunctorum varietate augeri, mutari atque etiam abrogari debent, ut faciliorem efficiant principiorum essentialium ipsius societatis observationem, eorumque veluti sepem, custodiam ac munimentum, ut ita loquar, constituunt. Hoc sane cernimus in omni rite instituta civili societate, in qua legibus regni aut status fundamentalibus aliæ plures adjiciuntur, quas præsens opportunitas exigit. Porro sine potestate legislativa eaque obligatoria et coactiva, quæ propria sit præsidum ipsius societatis, hæc nec esse nec intelligi possunt. Auctoritas enim et subjectio duæ sunt ideæ relativæ, uti pariter relativæ sunt lex et sanctio, adeoque et coactio. Lex siquidem sine sanctione, sanctio sine vi coactiva subsistere nequeunt in præsentî rerum ordine. Quorsum vero Christus, hujus societatis institutor et auctor, eidem Superiores et Præsides sine auctoritate præfecisset? Quorsum subditis obedientiam et subjectionem erga Superiores suos commendasset ac præcepisset, si Præpositi nihil ad subditorum, imo et ad ipsius societatis bonum constituere possent, nec illos cogere ad ea quæ sancita sunt custodienda, aut illos salutaribus pœnis mulctare, qui sese contumaces exhibuerint? Hæc omnia ab ipsa societatis notione, ac multo magis ab idea societatis perfecte adeo constitutæ, cujusmodi est Christi Ecclesia (1), prorsus abhorrent.

(1) Cum propterea M. Ant. De Dominis hanc propositionem emisisset: *Qui de republica ecclesiastica sicut de puris humanis philosophantur,*

mihi videntur non parum a recto tramite aberrare; non modo quia in ea requirunt veram jurisdictionem externam, ubi tamen omnis gloria ejus ab

418. Reipsa Christus, Matth. ult. sic Apostolos suos affatur : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis* (1). Divinitus igitur tenent Apostoli auctoritatem de iis, quæ credenda erant a fidelibus atque servanda. Hanc potestatem sibi a Christo tributam Apostolus vindicat, dicens : *Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem, non erubescam* (2). Coactivam autem esse, quam sibi vindicat potestatem, liquet ex iis verbis, quæ paulo post subdit : *Prædixi et prædico, ut præsens, et nunc absens, iis, qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam, si venero iterum, non parcam. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus* (3)? Hinc, Act. XX, idem Paulus præsulibus aiebat : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*. Ecclesia igitur prædita est potestate gubernandi gregem sibi commissum. Atqui recti regiminis ratio postulat potestatem imperandi, ordinate disponendi, exteriorem disciplinam constituendi, eamque legibus sancienti; notum quippe est, inquit Gerdilius, Christum Ecclesiam visibilem fundasse visibilibus officiis administrandam, cujus proinde potestatis ministerium spirituale dicitur, non quod externam actionem excludat, sed quod ad finem spiritualem dirigat (4).

intus, etc. Facultas theologica Parisiensis, an. 1617, eam hac censura notavit : *Hæc propositio, qua parte veram jurisdictionem, id est, vim coactivam et subjectionem externam Ecclesiæ denegat, est hæretica, et totius ordinis hierarchici perturbativa, atque confusionem babilonicam in Ecclesia generans.*

(1) Matth. ult.

(2) II Cor. x, 8.

(3) Ibid. XIII, 2, 3.

(4) Cfr. *Saggio d'istruzione teo-*

logica, De locis theologis, art. Con-
essione de' tre primi luoghi teologici,
scrittura, tradizione e chiesa. Opp.
edit. rom. tom. x, nec non op. Esame
de' motivi della opposizione fatta da
monsignor Vescovo di Noli alla pu-
blicazione della bolla AUCTOREM FIDEI,
part. II, art. 16, tom. XIV; opp. cit.
edit. et opusc. Catholici dogmatis de
immuni Ecclesiæ auctoritate in san-
ciendis disciplinæ legibus, Docu-
menta ab œcumenica Synodo Triden-
tina petita, Opp. tom. xv.

419. Apostoli autem ejusmodi *autonomia*, seu potestate legislativa, tanquam *propria* juxta Christi institutionem, usos esse, patet ex eo, quod ipsi non pauca præscripserint circa exteriorem disciplinam. In Concilio Hierosolymitano collecti, statuerunt politiam externam quoad legales ceremonias et legem abstinendi a sanguine et suffocato. Paulus, I Cor. VII, indixit modum, quo ineunda essent fidelium conjugia cum infidelibus, et ibid. XI, quomodo decenter cogendi essent publici fidelium conventus, aliaque exterioris disciplinæ capita oretenus stabilienda, subdens: *Cætera autem, cum venero, disponam* (1). Instruxit præterea Timotheum ac Titum in epistolis ad eos datis, qua ratione gerere se deberent circa Episcoporum, Diaconorum et viduarum electionem, arcetque neophytos ac bigamos ab Ordinationibus sacris. Absurdum autem et absonum est vel suspicari, Apostolos disciplinares has leges constituisse ex Principum seculi auctoritate, venia aut dependentia (2).

420. Quod si hæc legislativa potestas a Christo collata fuit Apostolis in Ecclesiæ suæ utilitatem, patet, eam ad eorum successores transfundi debuisse. Profecto, si viventibus adhuc Apostolis, pro multiplicata fidelium copia, et aucta et mutata fuit disciplina, quanto magis post tot discrimina rerum usque ad seculi consummationem augeri variarique debuit atque debebit?

421. Hinc factum est, ut post Apostolorum mortem tum a Rom. Pontificibus tum a Conciliis editæ semper fuerint constitutiones disciplinares, quas a sola auctoritate Ecclesiæ tanquam a legitimo fonte et originario jure promanare affirmat S. Augustinus (3). Quo namque tendit Ecclesiæ disciplina, nisi vel ad exteriorem religionis cultum, vel ad morum sanctitatem? Atqui

(1) I Cor. xi, 34.

(2) Hinc merito S. Thomas, iit part. q. 83, art. 3, agens de ritibus ab Ecclesia præscriptis in divinorum mysteriorum celebratione, scribit: *Quod ea quæ per Ecclesiam statuuntur, ab ipso Christo ordinantur*, et art. 5: *Sed in contrarium est Ecclesiæ con-*

suetudo, quæ errare non potest, utpote a Spiritu S. instructa.

(3) In duabus *Epist. ad Januarium*, quæ in edit. Maur. sunt LIV et LV, quæ ambæ sunt de eodem argumento, nempe de disciplina et ritibus ab Ecclesia institutis.

utrumque objectum, cum suis subdivisionibus paulo ante expositis, immediate et natura sua ad finem spiritualem dirigitur; ergo pertinet ad solum Ecclesiæ forum. Quapropter sic S. Ambrosius alloquebatur Valentinianum Imperatorem: *Noli te gravare, Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere... ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem ecclesiæ* (1). Atque magnus Hosius Cordubensis ita ad Imperatorem Constantium scribebat: *Ne te rebus misceas ecclesiasticis; neu nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus Imperium tradidit; nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi Imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue, ne, si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. Neque nobis igitur terræ imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem* (2). Sic reliqui Patres passim. Omnium autem manibus feruntur constitutiones Pontificum et acta Conciliorum ejusmodi legibus disciplinaribus referta, cum pœnæ comminationibus in transgressores propria auctoritate datis, quin eas hic exscribere debeamus (3).

(1) *Epist. xx*, n. 16, edit. Maur.

(2) In *Epist. Hosii ad Constantium Imper.* apud S. Athanas. in *Historia Ariianorum*, n. 44: Μὴ τίθει σεαυτὸν εἰς τὰ ἐκκλησιαστικά, μηδὲ σὺ περὶ τούτων ἡμῖν παρακελεύου· ἀλλὰ μᾶλλον παρ' ἡμῶν σὺ μάνθανε ταῦτα. σοὶ βασιλείαν ὁ Θεὸς ἐνεχείρισεν, ἡμῖν τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπίστευσε· καὶ ὡσπερ ὁ τὴν σὴν ἀρχὴν ὑποκλέπτων ἀντιλέγει τῷ διαταξαμένῳ Θεῷ· οὕτω φοβήθητι μὴ καὶ σὺ τὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς ἑαυτὸν ἔλκων, ὑπεύθυνος ἐγκλήματι μεγάλῳ γένη. ἀπόδοτε γέγραπται, τὰ Καίσαρος Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ· οὔτε τοῖνυν ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἔξοισι, οὔτε σὺ τοῦ θυμῶν ἐξουσίαν ἔχεις.

Edit. Maur. opp. tom. I, part. I, pag. 371.

(3) Cfr. Gerdil. opp. citt. præsertim *Esame*, etc. et *Catholici dogmatis*, etc. In priori siquidem opere loc. cit. id ostendit ex *Canonibus Apostolis* et *Constitutionibus Apostol.* in quibus collecta sunt tribus prioribus Ecclesiæ seculis sancita; idque pariter demonstrat ex institutione pœnitentiæ canonicæ, ex occasione novatiani schismatis, etc. In posteriori autem id ipsam evincit ex undecim canonibus Conc. Tridentini, necnon ex statutis ejusdem Concilii circa reformationem. Ex quibus omnibus luce ipse meridiana clarius constat,

422. Constat igitur, quod probandum assumpsimus, tum ex ipsa Ecclesiæ constitutionis natura, tum ex Apostolorum eorumque successorum jugi ac continenti praxi, seu perpetuo usu et exercitio, Ecclesiam divinitus accepisse potestatem independentem atque supremam sancienti per leges exteriorem disciplinam, cogendique fideles ad earum observantiam, necnon coërcendi salutaribus pœnis devios et contumaces.

423. Nunc vero coronidis gratia adjicimus, non aliunde originem traxisse contrariam doctrinam, quam ex præpostero protestantium systema de identitate Status et Ecclesiæ, ita ut ille ipse, qui moderaretur res civiles, moderaretur res ecclesiasticas, essetque simul summus Pontifex et Imperator. Hoc principium, quod servos fecit ac territoriales cœtus protestantes, primum cœpit in Germania, propagatum deinde est in Angliam ac Russicum Imperium, ubi a Principis nutu ac voluntate omnia pendent, quæ ad negotia religiosa spectant (1). Exinde regalistæ catholici

Ecclesiam quovis tempore agnovisse et exercuisse potestatem sibi a Christo collatam supremam, independentem et coactivam in legibus disciplinariis sancientiis.

(1) Optime in hanc rem aiebat non ita pridem D. Saint-Marc Girardin, unionem, seu potius identitatem Ecclesiæ ac status civilis constituere principium protestans. Separatio potestatis temporalis a potestate spiritali videtur protestantibus paradoxum, ac malum periculo plenum. Unitas status est ipsorum pulchrum ideale in politica. Hac ratione instituta est reformatio, quæ divisit se ac subtraxit a potestate Ecclesiæ romanæ. Verum hoc ab ipsis effectum est, ut se subjicerent potestati temporali. Contra vero principium catholicismi est omnino diversum ac plane contrarium; neque admittit ejusmodi status unitatem, quam adeo suspiciunt

ac deperiant nonnulli juris publici scriptores protestantes. Juxta Catholicos duæ sunt potestates, duæ supremæ auctoritates, potestas scilicet spiritalis ac potestas temporalis, corpus et anima, actio et cogitatio. Independentia Ecclesiæ catholicæ *personificatur* in Pontifice, Principe independenti ac supremo, qui ex Sede romana, ubi residet, imperat omnibus conscientiis catholicis. Gubernia protestantia nequeunt se accommodare idæ, quod non possint ex proprio arbitrato disciplinam Ecclesiæ mutare, ac reperitur in ipsorum statu lex, quæ ab ipsis non pendeat, potestas a sua distincta. Principium catholicum pro nobis est verum fundamentum civilis culturæ (*civilisation*), quoniam ipsum est defensio ac tutela dignitatis humanæ. Ita in *Journal des Débats*, 22 Juil. 1838.

et aulici ministri non pauci sua dictamina hauserunt, quibus subjiceretur civili potestati ecclesiastica libertas, frustra reclamantibus adversus ejusmodi impietatem, qua hoc fidei dogma evertitur, Romanis Pontificibus una cum Ecclesiae universae praesulibus ob ingentia mala, quae ex hac agendi ratione profluunt in eisdem Ecclesiae detrimentum (1).

(1) Tendunt enim haec omnia, a Protestantibus invecta, ad Ecclesiae catholicae destructionem, et ad hoc ab ipsis fuerunt ordinata. Semel enim ac tollitur ab Ecclesia libertas, qua divinitus gaudet, fit ut Rom. Pontifex nullam amplius in Catholicos in illorum regionibus constitutos exercere possit auctoritatem, nec abusus corrigere, nec devios ad sanam frugem revocare, nec observationem canonum ac disciplinae urgere; ac pessimi homines, qui nunquam desunt, hac immunitate freti omnia pervertunt. Episcopi ad miseram servitutem redacti, nedum quidpiam in bonum animarum statuere possint, impediuntur, quominus vel ipsas pastorales instructiones absque politicae praevia revisione ac placito aut recitare aut publicis typis vulgare queant. Nequeunt Ordines cuiquam conferre absque praevio guberniorum placito, ut innumera pene ejusmodi alia mala silentio praeteream, quae notissima sunt ex publicis documentis. Ne vero haec nimis exaggerata videantur, afferam, quae leguntur in art. *Etat du catholicisme dans le royaume de Wurtemberg, extrait de la Revue européenne, Juin 1833. En 1818, plusieurs députés et conseillers de princes protestans de l'Allemagne, entr'autres de Wurtemberg, de Bade, de l'électorat et du grand-duché de Hesse,*

de Nassau, du Mecklembourg, de Weimar, des duchés de Saxe, d'Oldenbourg, de Waldek, et des villes libres de Lubeck, Brême et Francfort-sur-Mein, se réunirent dans cette dernière ville, sous la présidence du ministre wurtembergeois Wangenheim, assisté de M. le doyen Jaumann, pour délibérer sur les affaires de l'Eglise catholique en Allemagne et fixer les bases de son organisation. Voici les points principaux sur lesquels on tomba d'accord: 1° L'Eglise catholique sera réduite aux droits qui découlent de ses principes essentiels. Or, dans l'esprit de la conférence, les principes essentiels devaient être tirés, non du droit canonique, mais des droits rationnels, naturels et publics de l'Etat et de l'Eglise, tels qu'ils sont imaginés par les protestans, le tout d'après son système territorial et épiscopal et conformément aux doctrines de Febronius. 2° Les conclusions du concile de Bâle et les ordonnances du droit ecclésiastique autrichien, celles surtout de l'empereur Joseph II. 3° La libre communication avec Rome sera tout à fait supprimée. 4° L'évêque n'aura qu'une influence extrêmement générale et indéterminée sur les écoles inférieures et supérieures confiées exclusivement à l'Etat. Même, dans les

DIFFICULTATES.

424. Obj. prima. 1^o Apostolorum et Synodorum decreta, ante Constantinum promulgata, ad eam disciplinæ partem spectant, quæ Ecclesiæ constitutioni est essentialis, et quæ fidei christianæ ita est adnexa, ut inde separari nequeat. 2^o Idque ex ipsa institutione Christi, qui professus est, se non venisse legem solvere, sed adimplere; porro exploratum est, in veteri lege utramque potestatem civilem et sacram fuisse conjunctam. 3^o Hinc Apostolus, Rom. XII, 1, commendat obedientiam sublimioribus potestatibus, id est, Principibus, qui ideo appellantur *sublimiores* potestates, quia eorum auctoritas aliam quamcumque prætergreditur; 4^o quare idem Paulus ad Cæsarem appellavit. Ergo.

425. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Quid enim commune habent Apo-

établissements d'instruction théologique, on ne laissera à l'évêque qu'une très-faible part d'action; et, pour ce qui regarde les séminaires, ses mains seront complètement liées. 5^o Le patronage des cures et des bénéfices, conformément au système territorial protestant, et en conséquence du principe : Cujus est regio, illius est religio, sera dévolu au seigneur du pays. 6^o Il est accordé au prince, en cette qualité, une si grande influence sur la nomination des évêques, des curés et des chanoines, et sur la composition essentielle du chapitre, que la véritable liberté de l'Eglise ne peut réellement se concilier avec cet état de choses. 7^o Pour ce qui est des mariages mixtes, de la rupture du lien et de l'éducation des enfans issus de ces mariages, on a fait prévaloir des principes diamétralement opposés à la doctrine et à la discipline générale de l'Eglise. Bref, ce qui ressort de

*cette conférence, c'est un esprit de mesquine police ecclésiastique et d'empîement sans fin de la part du gouvernement, c'est l'incorporation de l'Eglise à l'Etat avec des garanties d'une souveraine indignité au profit de celui-ci, particulièrement la liberté, du mariage pour les ecclésiastiques avec laquelle on se flatte d'asservir complètement le clergé. Quomodo vero adnisi sint Protestantes hæc executioni mandare, cfr. ibid. His basibus innixæ prodierunt constitutiones variæ illis in regionibus. Attamen non pauci, qui se dicunt Catholicos, illis se conjungunt ad perniciosum animarum et destructionem Ecclesiæ catholicæ. Vere hic libet illud regii Psaltis ingeminare : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Notandum tamen hic est, novum Borussæ Regem, ingenti bonorum omnium lætitia, non parum ab his principiis recessisse.*

stolorum leges de abstinentia a sanguine et suffocato, de non admittendis ad sacram Ordinationem neophytis et bigamis, de silentio mulierum in Ecclesia, de velando earumdem capite, aliæque ejusmodi, cum essentiali Ecclesiæ constitutione, aut fide christiana? Id ipsum dicatur de pœnitentiis canonicis, seculo Ecclesiæ secundo labente, aut initio seculi III, ab Ecclesia præscriptis. Quæ leges si Ecclesiæ constitutioni essentialiter connecterentur et fidei catholicæ, nulla unquam data fuisset ab Ecclesia dispensatio, multo vero minus abrogatæ fuissent (1).

426. Ad 2^m, *Neg.* Componi enim nequit ejusmode doctrina aut cum allatis Christi et Pauli verbis, aut cum Apostolorum praxi, a quibus solis ordinata est disciplina, nullo prorsus adhibito Principum subsidio, immo repugnantibus immaniter seculi potestatibus. Componi præterea nequit cum adductis Patrum testimoniis, quibus adjicimus S. Athanasium, sic interrogantem Constantinum Imperatorem: *Quandonam Ecclesiæ decretum ab Imperatore accepit auctoritatem* (2)? S. Joan. Damascenum, qui ita alloquitur Leonem Isauricum: *Tibi parebimus, o Imperator, in his, quæ ad hujus seculi negotia pertinent... Verum ad res Ecclesiæ statuendas pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur, atque instituta ecclesiastica tradiderunt* (3). Componi denique nequit cum iis, quæ in œcumenico Concilio Chalcedonensi ad Patres dixit Marcianus Imperator: *Decorum est a vobis*

(1) Ut quisque certior eorum fiat, quæ hic asserimus, satis ei erit oculos conjicere in indicem capitum octo librorum *Const. Apostolicar.* apud Cotelierium, tom. 1. In illis deprehendet, innumera prope sancita fuisse, quæ ad essentialem Ecclesiæ constitutionem pertinere, aut a fide christiana inseparabilia esse nemo nisi amens affirmaverit. Exemplo sunt ex lib. I, cap. III, VI, X; ex lib. II, cap. XX, XXI, XXV, XXVIII, XXXV, etc. quorum pleraque tractu temporis abolita sunt.

(2) Πότε γὰρ κρίσις ἐκκλησίας παρὰ

βασιλέως ἔσχε τὸ κύρος. In cit. *Hist. Arian.* n. 52, pag. 376.

(3) Orat. II, *De imagin.* n. XII: Υπείκομέν σοι, ὦ βασιλεῦ, ἐν τοῖς κατὰ τὸν βίον πράγμασι, ἐν δὲ τῇ ἐκκλησιαστικῇ καταστάσει, ἔχομεν τοὺς ποιμένας, τοὺς λαλήσαντας ἡμῖν τὸν λόγον, καὶ τυπώσαντας τὴν ἐκκλησιαστικὴν Θεομοθεσίαν. Vid. opp. edit. Le Quien, tom. I, pag. 336. Plures alias ejusmodi S. Joan. Damasceni in hanc rem sententias in hoc eodem paragrapho videsis.

hæc regulariter (disciplinæ negotia) potius formari per Synodum, quam lege nostra sanciri (1).

427. Quamvis igitur verum esset, quod tamen falsum est (2), in veteri synagoga obtinuisse, ut reges jus haberent in sacra; in lege evangelica iis standum est, quæ a Christo Domino sunt præscripta. Dum autem Christus professus est, se non venisse legem solvere, loquitur de præceptis moralibus, ut constat ex tota orationis serie.

428. Ad 3^m, *Dist.* Imperavit Apostolus obedientiam Principibus in negotiis civilibus, *conc.*; in negotiis ecclesiasticis, *neg.* De his enim ne verbum quidem edicit in adducto textu. Nemo porro, qui insanire nolit, civilem ac politicam potestatem ecclesiastica nobiliorem esse, affirmare potest. Si enim utriusque objectum et finis perpendatur, liquet, manifeste ecclesiasticam civili longe præstare. Vox autem illa comparativa *sublimioribus* haud significat comparisonem referendam esse ad ecclesiasticam potestatem, de qua, ut diximus, nulla ibi mentio fit, sed ad potestates, seu potius ad homines potestate civili præditos inter se. Accedit, quod græcus textus *ὑπερεχούσαις* non præ se ferat sensum comparativum, sed positivum *sublimibus*, vel ad summum *valde sublimibus*, in excelsiori statu constitutis (3).

(1) Apud Harduinum, *Acta Conc.* tom. II, col. 487; cfr. ibid. tom. V, col. 920-921, celebris allocutio, quam habuit Imperator Basilius in VIII Concil. œcumen. Constantinopolit. ubi inter cetera hæc protulit: *Quamquam datum non sit istis (laicis) secundum canonem dicendi quidpiam de ecclesiasticis causis; opus enim hoc pontificum et sacerdotum est, etc.*

(2) Cfr. Salvador, *Hist. des institut. de Moïse*, Paris 1828, tom. I, liv. II, ch. I. *Magistrature sacerdotale*, pag. 129 et seqq.

(3) Cfr. Estius in hunc loc. Hic me cobibere non possum ab afferendis. quæ

præclare in hanc rem scribit Hurter, protestans, in vita Innocentii III, lib. XIV, edit. cit. tom. III, pag. 3: *Dans tous les temps où les persécutions ont été les plus cruelles, elle (l'Eglise) a trouvé des hommes, qui ne tremblaient pas de braver la rage des vagues et les dangers les plus menaçans pour la gloire du Seigneur et l'utilité de la chrétienté; elle compte tant de personnages sublimes qui ont été plus distingués par la dignité de leurs sentimens que par l'éclat extérieur qu'ils recevraient de leurs fonctions pastorales! La liberté intérieure de la conscience s'arme de ces paroles de l'A-*

429. Ad 4^m, *Dist.* Apostolus appellavit ad Cæsarem, quia falso accusatus erat de delicto civili et politico, nempe de seditione, *conc.*; ob negotium ecclesiasticum, *neg.*

430. Obj. secunda. 1^o Disciplina exterior pertinet ad politicum reipublicæ ordinem, ad hominum scilicet actiones, quatenus ciues sunt, atque ad res temporales et sensibiles, propterea a reipublicæ magistratibus et Imperatoribus moderandas. 2^o Quare videmus Concilia quamplura in antiquitate, etiam generalia, ad Imperatores propria acta transmisisse, ut ab iis confirmarentur. 3^o Quid? quod Codices Theodosianus et Justinianus, nec non statuta Francorum regum plura constituent ad res disciplinares pertinentia, et ea confirmet, quæ in Conciliis edita prius fuerant, decreta, Episcopis non solum probantibus, verum etiam exposulantibus? 4^o Notum denique est et pervulgatum Imperatorem Constantinum se ipsum dixisse *episcopum externum*, ac nonnullos Imperatores aut reges vel a Rom. Pontificibus vel a Conciliis vocatos fuisse *sacerdotes*, *Ecclesie rectores*, *pontifices* etiam; qui propterea, 5^o teste Thomassinio aliisque scriptoribus catholicis, regiam potestatem exercuerunt *superintendentiæ* in negotiis et decretis ecclesiasticis, in condendis legibus disciplinaribus, corrigendis abusibus, decernendis ritibus sacris, etc. (1). Quæ omnia aperte ostendunt, negotia disciplinaria subijci natura sua Principum auctoritati, aut saltem Ecclesie potestatem in his absolutam non esse atque supremam, sed omnino dependentem a civili regimine. Ergo.

431. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Ut enim imbecillitas propositi argumenti patefiat, satis est animadvertere, quod, si ideo exterior disciplina ad Principes pertinet, quia in politicum regimen nimis influit, et in status utilitatem, nullus ergo erit in religione, in-

pêtre : Il faut plutôt obéir à Dieu qu'aux hommes. Ce sont de lâches serviteurs qui se servent comme d'un bouclier commode, de l'extension qu'ils savent donner dans toutes les circonstances à ces autres paroles : Que tout le monde soit soumis à l'autorité ; prout

se gesserunt Episcopi prævaricatores Angliæ, cum Henricus VIII his verbis abuteretur, atque semper aulici se gerunt, quoties se obtulerit occasio.

(1) Ita Palmer, op. cit. pag. 461 et seqq.

quit Card. Gerdilius (1), ritus tam sacer, nulla tam religiosa functio, nullum sacerdotale munus et officium, de quo eam ob causam, quod externam actionem, atque veluti materiam requirant, nequeat seculi potestas decernere suoque examini ac iudicio vindicare. Res omnes spirituales, ipsa fidei et morum doctrina in potestatis civilis arbitrium rejicerentur, quia potestas ecclesiastica nequit agere quoad hæc objecta, nisi ope externi et sensibilis ministerii, suaque decreta et iudicia exteriores et sensibiles civium operationes respiciunt. Hæc obtendentes magistratus civiles jure evertere possent omnia Deo dicata templa, quia ex lignis construuntur atque lapidibus; omnes interdicere religiosos conventus, dies festos, totumque divini cultus exercitium, quoniam et animo et corpore exhibentur actus religiosi. Omnia denique juris erunt civilis magistratus, cum in hac ad spectabili rerum universitate, quod sit mere spirituale, nihil omnino existat. Si civilis potestas totam disponere potest exteriorem disciplinam, quæ mutabilis est, salva substantiali religionis integritate, Principes ergo possent se eximere ab observatione præceptorum ecclesiasticorum, præscripti jejunii, abstinentiæ ab esu carniû, annuæ confessionis, sacræ Synaxis in paschate recipiendæ, aliorumque ejusmodi; possent in ditione sua novum condere disciplinæ codicem, conjugium permittere clericis majoribus, indicere communionem sub utraque specie, mutare liturgiam, prout reges anglicani, qui sibi primatum in Ecclesia usurparunt, per summum nefas præstiterunt; qua in hypothesi totidem fierent Ecclesiæ territoriales, qualis evasit reipsa sic dicta Ecclesia anglicana. Quæ omnia et singula absurda esse, nemo est qui non videat, nec ab ipsis denegatur adversariis; imo neque a protestantibus ac projectis rationalistis, parum tamen sibi suisque principiis cohærentibus (2).

(1) Cfr. op. cit.

(2) Sane Melancton, *Exam. Ordinandorum*: Non condant, inquit, magistratus dogmata in Ecclesia, nec instituant cultus. Magdeburgenses Cen-

turiatores, apud Duvalium, pag. 357, scribunt: *Sint sane magistratus membra Ecclesiæ, flagrent magno zelo pietatis, sed non sint capita Ecclesiæ, quia ipsis non competit iste primatus.*

432. Ad 2^m, *Dist.* Quamplura Concilia acta sua miserunt ad Imperatores, ut confirmarentur in ordine ad eorum custodiam et executionem, *conc.*; in ordine ad intrinsecum robur ac firmitatem iis tribuendam, *neg.* Ideo enim interdum potestas civilis canonicis sanctionibus adjecta est, non ut istis vim conferret obligandi fideles, qua ex semetipsis carerent, verum ut canonum custodiam confirmaret transgressores puniendo, uti declaratur in capitulari Childeberti regis: *Ut plebs, quæ sacerdotis præcepta non ita ut oportet custodit, nostro etiam corrigatur imperio* (1). Quod pariter liquet ex celebri Valentiniani III Novella, in qua legitur: *Erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis (Leonis M.) auctoritati non liceret? Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio probavit... nec usquam alteri ecclesiasticis rebus arma miscere aut præceptis romani Antistitis liceat obviare* (2). Atque hac de causa Principes pro synodali confirmatione Concilia et Episcopi nonnunquam rogarunt. Sane Conciliis œcumenicis pene omnibus efflagitantibus, Principes ad tuenda dogmatica decreta, atque ad hæreticorum compescendam audaciam edicta promulgarunt; num igitur ip-

Et clarius adhuc Musculus, *Loc. communib.* cap. de *Magistrat.* sect. ult. *Hæc, inquit, constitutio disciplinæ ecclesiasticæ per Principes nihil aliud esset, quam versionem facere, et arbitrariam religionis constituendæ potestatem, Pontificum magisterio ereptam, magistratibus adsignare.* Demum, ceteris omissis, Wegscheider ipse, § 183, scribit: *Reformatores... Ecclesiæ ipsi facultatem tribuerunt, minime vero cum civili potestate, quæ ad justitiam externam spectat, commiscendam, tum ministros... vocandi, eligendi et ordinandi, tum cæremonias atque ritus, sicut omnem disciplinam ecclesiasticam, ad Evangelii præcepta temporumque rationes immutandi; et*

in not. (*L*) refert artic. Smalcald. *Evangelium tribuit his, qui præsent Ecclesiis, mandatum docendi Evangelii, remittendi peccata, administrandi Sacramenta, præterea jurisdictionem, videlicet mandatum excommunicandi eos, quorum nota sunt crimina, et resipiscentes rursus absolvendi. Ac liquet, hanc potestatem jure divino communem esse omnibus, qui præsent, sive vocentur pastores, sive presbyteri, sive Episcopi.* Quam male isti sibi cohæreant, patet ex iis, quæ de protestantium systemate scripsimus, cum ageremus de ecclesiastica hierarchia.

(1) Tom. I, *Capitul.* pag. 6.

(2) Inter epist. S. Leonis, edit. Baleriniorum ep. XI, pag. 643.

sorum pariter erit dogmaticas sancire definitiones? Quapropter eadem ratione, qua nonnisi Principum tutelæ fuerunt dogmatica decreta subjecta, sic eorundem tantum tutelæ ac patrocínio commendatæ sanctiones disciplinares fuerunt (1).

433. Ad 3^m, *Dist.* Ita tamen ut codices illi atque statuta omnem obligandi vim a canonicis sanctionibus derivaverint, *conc.*; per se, *neg.* Ut enim observat vel idem Nat. Alexander, eatenus constitutiones illæ imperiales valuerunt, quatenus sacris canonibus consentiebant (2). Quare ab iisdem Imperatoribus, præsertim vero Theodosio, nonnullæ leges retractatæ sunt tanquam et sacris canonibus et clericali dignitati detrahentes. Quod si aliæ

(1) Cfr. Zaccaria, op. cit. *Comandi chi pud*, etc. pag. 156 et seq., ubi quamplurima exhibet ejusmodi documenta. Alia pariter cfr. apud Gerdilium, *Trattato del matrimonio*, opp. edit. rom. tom. xv, pag. 190 et seqq.

(2) *Hist. eccles.*, sec. vi, cap. 7, art. 2, *De Justiniano*, ubi in primis observat, in hunc Imperatorem injurios se præbere, qui assererent, ipsum Ecclesiæ auctoritatem sibi usurpasse. Veteres enim canones renovavit duntaxat, aut eos legibus suis velut quibusdam supplementis interpretatus est, novas Ecclesiæ regulas non præscripsit. Id unum quippe fuit ejus consilium, ut vetustatis vindicem atque ecclesiasticæ disciplinæ assertorem se præstaret, ut ipse profiteretur in rescripto ad Dacianum africanum Episcopum, concilii Byzaceni caput. *Semper*, inquit, *nostræ serenitati cura fuit servandæ vetustatis, maxime disciplinæ, quam nunquam contempsimus, nisi et in melius auferemus... quia constat, esse cælitus constitutum, quidquid apostolica decernit auctoritas... Nos tutores sumus*

vetustatis et vindices. Quæ igitur de causis ecclesiasticis instituit Justinianus, vel e canonibus, vel e moribus in Ecclesia receptis hausta sunt, ut testatur ipsemet pluribus in locis, præsertim in Novella LXXXIII, ubi: *Si vero*, inquit, *ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione ecclesiastica et mulcta, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis provinciæ judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles judices secundum sacras et divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.* Pergit deinde ostendere, quod, si quas novas Imperator leges tulit de ecclesiastica disciplina, vim illæ nullam habuerint, nisi quia ab Ecclesia receptæ et approbatæ fuerunt. Quod porro dictum est de Justiniano, idem dici debet de Imperatoribus, qui eum præcesserunt aut subsecuti sunt, æque ac de legibus Francorum, Longobardorum, aliorumque, prout fuse ostendunt Gerdilius et Zaccaria, opp. et locis citatis.

vim obtinuerunt, id factum est, postquam Ecclesia eas adoptavit ac suas fecit. Quod vero spectat ad leges ecclesiasticas, quæ in regum Francorum capitularibus occurrunt, et sub Caroli M. nomine circumferuntur, non a laica, sed ab *Episcoporum auctoritate* latæ fuerunt, testante eodem Carolo M. ubi ait : *Aliqua capitula, quæ magis vobis (Episcopis) necessaria videbantur, subjunximus.* Loquens autem de quibusdam disciplinæ legibus, hæc habet : *Ista vero omnia, quæ vires nostras excedunt, in judicio Episcoporum juxta canonicam sanctionem definienda reliquimus.* Nec enim, subdit Nat. Alexander, *auctoritatem leges mere ecclesiasticas ferendi sibi arrogavit rex maximus, sed earum executionem imperavit (1).*

434. Ad 4^m, *Dist.* In ordine ad defensionem externam Ecclesiæ, *conc.*; in ordine ad potestatem in Ecclesiam exercendam, *neg.* Mirum est, quam abusi fuerint aulici scriptores festivo ejusmodi dicto, quod Constantinus inter epulas per jocum protulit! Non aliud effato illo piissimus Imperator significare voluit, quam quod Episcopi ad bonum Ecclesiæ constituissent, ipse velut ecclesiæ defensor admitteretur executioni mandare (2); aut etiam,

(1) *Hist. eccl. sec. viii, cap. 7, art. 8, De Carolo M.*

(2) En, quomodo rem totam referat Eusebius, lib. iv, *De vita Constantini.* Cum præmisisset, cap. 23, legem eum dedisse ad præsides provinciarum, ut diem dominicam etiam ipsi venerarentur, et dies festos Martyrum cum reliquis solemnitatibus, subdit, cap. 24 : *Quocirca non absurde, cum Episcopos aliquando convivio exciperet, se quoque Episcopum esse dixit, his fere verbis usus : nobis præsentibus, vos quidem, inquit, in iis, quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis. Ego vero in iis, quæ extra geruntur, Episcopus sum a Deo constitutus. Itaque, consilia capiens dictis congruentia, om-*

nes imperio suo subjectos episcopali sollicitudine gubernabat; et quibuscumque modis poterat, ut veram pietatem consecrarentur, incitabat. Quis porro in his non videat, piissimum Imperatorem nil aliud adductis verbis significare voluisse, quam se effecturum, ut pietas vigeret, et Ecclesiæ leges servarentur, ac ethnici ipsi ad christianam religionem amplectendam adducerentur? Optime Petrus de Marca, *Concordia sacerdotii et imperii*, lib. II, cap. 10, n. 7 : *Solet, scribit, ad asserendam Principibus tuendæ Ecclesiæ auctoritatem proferri celebris illa Constantini ad Episcopos oratio, qua illos intra Ecclesiam, se autem extra Ecclesiam constitutum Episcopum*

quod forent Episcopi in Ecclesiæ regimine, id ipsum esset ipse quoad politicam et externam auctoritatem. Cetera autem nomina *sacerdotum*, *pontificum*, *ecclesiæ rectorum* improprie iisdem interdum tributa fuisse nemo ignorat; atque ita fuerunt Principes nuncupati ob rationem, quam S. Leo M. qui ejusmodi titulis Leonem Augustum insignivit, exponit, ad eum adducit, scribens: *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam; ut ausus nefarios comprimendo, et quæ bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas* (1).

435. Ad 5^m, *Dist.* Talem exercuerunt potestatem Principes ex jure sibi proprio, teste Thomassino, *neg.*; testibus aliis scriptoribus catholicis, *subd.* aulicis et regalisticis Ecclesiæ proditoribus, qui catholici non retinuerunt nisi nomen et larvam, *conc.*;

dixit apud Eusebium. Sed si hæc probatio in tetricum lectorem incideret, reponere posset, verbis græcis aliam inesse sententiam, quæ ad personas, non ad res ipsas sit referenda; ita ut significetur, Episcopos eorum curam gerere, qui Ecclesiæ adscripti fidem christianam profiterentur, se vero gentilium, qui essent extra Ecclesiam, salutis consulere, sacrificiis paganorum vetitis, dominicæ diei cultu et feriacione præcepta etiam ipsis gentilibus, quemadmodum superioribus et sequentibus capitibus explicuit Eusebius. Quare satius est ab eo argumento abstinere. Sane græca verba ita se habent: Ἄλλ' ὑμῖς μὲν τῶν εἰσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθισταμένων ἐπίσκοπος εἶμι. Cfr. etiam Allatius, De consensu utriusque Ecclesiæ, pag. 230 et seqq. et Machius Origen. et antiquit. Christ.

tom. IV, pag. 113.

(1) *Epist.* clvi, edit. Ballerin. cap. 3. Quo sensu pariter Conc. Chalcedonense (tom. II. *Act. Concil.* Harduini, col. 490) vocavit Marcianum *Sacerdotem et Regem*; et Gregorius II exhortabatur Leonem Isauricum (apud eundem Harduin. tom. IV, col. 18), ut esset *Rex et Pontifex*; a Concilio vero Moguntino anno 813, apud Hartzheim, *Concil. German.* tom. I, pag. 405, vocatur Carolus M. *Rector Ecclesiæ, Rector veræ religionis*. Quæ quidem aliaque ejusmodi, quibus abutuntur adversarii, ad eum modum intelligi debent, quo interdum fideles vocantur *reges*, eo quod scriptum sit: *Fecit nos regnum*; sic *reges* sunt *sacerdotes* juxta illud: *Regale sacerdotium*. Porro eadem ratione, qua fideles nonnisi improprie dicuntur *reges*, ita nonnisi improprie principes dicuntur *sacerdotes*.

qui sinceri catholici sint, *neg.* Etenim ad Thomassinum in primis quod attinet, falsum est, ipsum tribuere saltem jure proprio Principibus ejusmodi potestatem, quæ non esset nisi mera usurpatio. Contrarium enim hic auctor affirmat in ipso, qui nobis objicitur, loco (1); imo animadvertit, Episcopos in Concilio collectos, ne quidpiam detrimenti auctoritas ecclesiastica pateretur sive ex nonnullis non satis accuratis formulis, quibus interdum usi sunt Carolus M. et Ludovicus Pius aliique, sive ex earum abusu, sollicitos fuisse in limitibus civilis potestatis circa res ecclesiasticas stabiliendis. Imo observat, Patribus minime excidisse illud Isidori Hispalensis Episcopi, potestates temporales Ecclesiæ minus necessarias fuisse, si non reperirentur præfractæ quidam homines mentis, qui, nisi regia potestate frangerentur ad obsequium, nunquam animum adducerent Episcopis morem gerere. *Ceterum*, inquit Isidorus, *intra Ecclesiam potestates necessariae non essent, nisi ut, quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem* (2).

436. Ad reliquos vero auctores, quos adversarius catholicos dicit, reponimus, ipsos in hac doctrina refragari fidei dogmati de auctoritate divinitus Ecclesiæ tradita sancienti leges disciplinares (3), dum satagunt hanc potestatem Ecclesiæ eripere eamque in Principes seculi transferre. Istorum opera ab Ecclesia proscripta sunt; tantum abest, ut isti Catholici sinceri dici possint, aut Ecclesiæ catholicæ doctrinam et sensum eos proferre (4).

(1) Satis est legere, quæ scribit Thomassinus, loc. cit. § 12, et § 14, ut quisque sibi persuadeat, nunquam in animo habuisse hunc auctorem tribuere Principibus spiritualem aliquam jurisdictionem in Ecclesiam. *Nec Episcopos fefellit*, scribit; *quo tandem evadere posset hæc grandiloquentia Principum alioqui religiosissimorum, et quam distortum in sensum eam verborum gloriam malitiosus aut imperitus*

interpretes, ubi liberet, deflecteret.

(2) Ibid. n. 14.

(3) Cfr. Gerdilius, opusc. citat. *Catholicum dogmatis de immuni Ecclesiæ auctoritate*, etc.

(4) Talis est Rechberger, in *Enchiridio juris Canonici Austriaci*, quo sæpe abutitur Palmer, quod opus ab utraque potestate damnatum est; siquidem a S. Sede in *indicem* librorum prohibitorum est relatam, atque

437. Obj. tertia. 1^o Juxta S. Optatum Milevitanum : *Non respública est in Ecclesia, sed Ecclesia in respública est* (1); reipublicæ igitur caput disciplinæ est moderator. 2^o Rom. Pontifex extranea est potestas quoad ditionem non suam, nequit propterea ibi regere disciplinam. 3^o Ecclesia sæpe abusa est auctoritate sua in legibus disciplinariis ferendis; possunt igitur, imo et debent Principes in suis provinciis impedire, quominus, saltem absque *placito regio*, decreta disciplinaria promulgentur, atque vim obligandi habeant; 4^o præsertim cum fieri possit, ut, spectatis ditionis suæ adjunctis, noxia publico bono evadant, ac sint, ut vulgo dicitur, in collisione cum legibus civilibus. Ergo.

438. Resp. Ad 1^m, *Neg. conseq.* Sensus enim hujus effati, quod tantopere extollunt neoterici ac suum effecerunt, apud S. Optatum longe diversus est ab eo, quem sibi fingunt. Optatus siquidem, ut verbis utar doctissimi Albaspinæi, voluit dicere, Imperatoribus romanis non esse maledicendum, sed pro eis orandum secundum Apostolum, quia quietam magis vitam Christiani cum eis agerent, quam cum aliis nationibus, apud quas, quod essent barbaræ, non licebat Christianos tam quiete vivere. Igitur *respública non est in Ecclesia*, significat : Ecclesiam non facere bella, non leges figere, non populos sub legibus coërcere, non res civiles exercere, et similia : *Ecclesiam autem esse in respública*, Christianos sub legibus Imperatorum vivere, protegi, quietam vitam sub eis et ex eorum protectione ducere, et similia (2). Sane Optatus, explicans semetipsum, post recitata verba immediate subdit : *Id est, in Imperio romano*. Quod vero spectat ad sensum hujus effati, prout suum effecerunt neoterici, reponimus, falsum esse principium, quod ab iis assumitur, Ecclesiam scilicet

ab Imperatore Austriæ eliminatum ab omnibus Imperii scholis. Quod vero addit Palmer ex Petro de Marca, de Molinæo, Fouchetio, Pithæo, Pasquierio, Hormanno, Servino, infideli prorsus ratione ab ipso assertur; nec

præterea animadvertit, Petrum de Marca adversus hos opus suum conscripsisse.

(1) Lib. III, pag. 64, edit. Paris. 1631.

(2) In notis ad lib. III, cit. edit. pag. 145.

supervenisse statui jam constituto, ab eoque ita receptam, ut illi dominari possit; siquidem vera religio anterior est omni republica, seu statu ac societate; adeoque ipsa statum in sinum suum recepit, non autem status religionem seu Ecclesiam. Ecclesia Christi recepit in se rempublicam, quatenus respublica conversa est ex superstitionibus suis ad veram fidem, ac propterea cives ingressi sunt in Ecclesie gremium. Ecclesia et respublica minime spectari debent ut duo status, sed ut anima et corpus ejusdem status et societatis (1); quemadmodum vero corpus non debet dominari in animam, sed potius eidem subesse in iis, quæ ad animam pertinent, sic nec potest nec debet civilis respublica dominari in Ecclesiam. Finis immediatus Ecclesie est interior et spiritualis felicitas, finis immediatus reipublicæ est felicitas exterior et temporalis, finis ultimus utriusque est felicitas æterna subditorum (2). Quamobrem præclare Gelasius rom. Pontifex scribebat ad Anastasium Imperatorem: *Duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem* (3).

439. Ad 2^m, *Neg.* Hæc enim assertio schismatica est et hæretica, ut pronunciavit Congregatio S. Inquisitionis sub Innocentio X; et recte quidem, quia Rom. Pontifex primatum jurisdictionis tenet in universam Ecclesiam, prout definivit Concilium Florentinum (4).

(1) Sic præclare scribit S. Isidorus Pelusiota, epist. cclxix, lib. III, opp. edit. Paris. 1638: *Ex sacerdotio et regno rerum administratio conflata est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit (illud enim veluti anima est, hoc velut corpus), ad unum tamen et eundem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem.*

(2) Cfr. Zaccaria, cit. dissert. 3, pag. 180. Hinc Ivo Carnotensis, in epist. LI, ad Henricum Angliæ regem,

scribebat: *Sicut sensus animalis subditus esse debet rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini; et quantum valet corpus, nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas, nisi informetur et regatur ab ecclesiastica disciplina.* Edit. Paris. 1585, fol. 52, verso.

(3) *Epist.* IV, apud Harduin. *Acta Conc.* tom. II, col. 893.

(4) Cfr. Zaccaria, opusc. cit. p. 183, nec non celeberrimum opus Joan.

440. Ad 3^m, Resp. dicitur ejusmodi esse Ecclesiæ injuriosum, quod nulla ratione ab adversariis poterit honestari. Verum etsi daretur, hoc exurgeret argumentum : Ecclesia interdum abusa est potestate legislativa ; ergo hanc non habet, neque habere debet. Quæ quidem si valeret argumentandi ratio, hoc pariter institui posset argumentum : Potestas civilis interdum abusa est auctoritate legislativa ; ergo eam non habet neque habere debet. Nescio porro, utrum hoc politicis arrideat.

441. Quod vero attinet ad *placitum regium* novissime inventum aulicorum hortatu (1), dico, illud plane injustum esse, quia Princeps fieret ex Ecclesiæ filio ac subdito ejusdem judex ac dominus, arbiterque ecclesiasticæ disciplinæ, ideoque limites potestatis suæ transgrederetur. Quid dicerent aulici, si Ecclesia aut romanus Pontifex nollet Principum decreta vim habere, nisi prius ipse ea probasset, sub obtentu, quod possent esse juribus ecclesiasticis noxia ? Non clamarent, Ecclesiam hac ratione invadere jura Principum ? Experientia satis ostendit, quinam injiciantur compedes ecclesiasticæ potestati ex ejusmodi placitis regiiis. Principes acatholici jus placiti regii sibi pariter vindicarunt (2) ;

Antonii Bianchi, ord. min. de observantia, *Della potestà e della politia della chiesa*, tom. III, lib. I, cap. I, § 6, Roma 1745.

(1) Ex tot Imperatoribus et Principibus christianis, qui in universo mundo, ab ætate Constantini M. ad sæculum usque xv regnarunt, ne unum quidem reperies, qui Concilii alicujus decretum aut constitutionem pontificiam, vel circa materiam disciplinarem tantum, placito regio subjiciendam esse contenderit. Cfr. Zaccaria, op. cit. p. ag. 16, et Bianchi op. pariter cit. tom. IV, p. 346 et seqq. Verum juverit de novissimo hoc regii placiti invento judicium afferre, quod tulit D. Pek, membrum consilii Flandri-

ci, his verbis : *Quam consuetudinem (placiti regii) et multas alias ejusdem farinae non posse jure satis defendi puto, ut quæ libertati Ecclesiæ plurimum adversantur, ac proinde non valent apud justos et catholicos judices, qui timorem Dei habent, licet forte valeant apud eos, apud quos quidquid libet licet, et qui Ecclesiam oderunt, eamque Principibus secularibus libenter in omnibus subjicerent ; confusionem passuri in magno illo die, cum ad judicandum eos veniet, cujus sponsam hic contempserunt, et injuria affecerunt. Cfr. Mémorial cathol. Févr. 1826.*

(2) Ut fere omnes Principes acatholici Germaniæ, cujus rei præsto habe-

notum porro est, quid catholicis in ditione Principum protestantium hac de causa evenerit, quot vexationibus subjiciantur, quot oriantur dissidia. Hac ratione istorum Principum patrocinium non semel vertitur in apertum super Ecclesiam dominatum, alicubi vero in vigentem persecutionem.

442. Ad 4^m, *Dist.* Ita ut possit alia legitima ratione reipublicæ bono prospici, *conc.*; ita ut alia via non suppetat, *neg.* Si enim casus hic contingeret, in negotiis præsertim mixtis, posset Principes ejusmodi incommoda Rom. Pontifici patefacere, qui pro sua in bonum universale sollicitudine, si rem ita esse compererit, procul dubio sanctiones ecclesiasticas, ubi id poscerent rerum adjuncta, aut tollet aut mitigabit, prout semper præstitit S. Sedes, quin opus sit indebitam sibi arrogare auctoritatem, ut aulici contendunt.

443. Juverit gravissimum hoc argumentum absolvere verbis, quibus utebatur S. Hilarius Pictaviensis, in lib. contra Auxentium: *Miserari licet nostræ ætatis laborem, et præsentium temporum stultas opiniones ingemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, et ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione sæculari laboratur* (1).

SECTIO POSTERIOR.

DE ROMANO PONTIFICE.

444. Licet ea, quæ hactenus pertractavimus, Ecclesiam integram atque perfectam afficiant, seu societatem universam a Christo ad instar individui viventis constitutam, ac propterea capite ac membris constantem; attamen juxta præmissa agere speciatim de Ecclesiæ capite nobis proposuimus, sive ob argu-

rem documenta, quæ possem hic exhibere, nisi ageretur de re notissima; quo fit ut catholica Ecclesia sub Principibus protestantibus hac de causa ut plurimum vexetur, vexentur Episcopi

ac in universum religionis ministri, ut constat ex publicis ephemeridibus, præsertim vero ex *L'Ami de la Religion.*

(1) Tom. II, col. 594, n. 3, Veron. 1730, opp. edit. Maur.

menti præstantiam, sive ob adversariorum, qui illud quoquomodo aggressi sunt, multitudinem. Cum enim agitur de Ecclesiæ capite, agitur de summa rei, a qua ipsius Ecclesiæ existentia et salus omnino pendet (1). Adversarii autem, qui ipsum impugnarunt, sunt acatholici omnes; qui vires omnes suas ad illud labefactandum nullo non tempore exercuerunt.

445. Quæcumque de hoc capite dicturi sumus, revocari facile possunt ad primatum, quem Christus, Ecclesiæ institutor et auctor, contulit super hanc Ecclesiam suam Petro; ad successionem in hoc primatu; ad hujus primatus naturam; ad illas denique dotes ac prærogativas, quibus eum Christus instructum ac insignitum voluit. De his propterea singillatim, ea qua per nos fieri poterit diligentia, pertractandum erit, non modo contra acatholicos, verum etiam adversus catholicos non paucos, qui, quamvis primatum divino jure admittant in Ecclesia, ipsius tamen vim extenuare, quoad ejus fieri potuit, sategerunt, ut vix illum ad purum nomen non redegerint.

(1) Verissime Card. Bellarminus, in præfat. in libros de summo Pontifice n. 2, scripsit: *De qua re agitur, cum de primatu Pontificis agitur? Brevisissime dicam, De summa rei christianæ.* Quod ex recentioribus pariter agnovit et professus est inter anglicanos Guill. Palmer Oxoniensis, dum in op. sæpius citato, part. VII, *De rom. Pontifice*, cap. I, vol. II, pag. 477, asserere non dubitat: *Doctrinam de primatu Episcopi romani in Ecclesiam universalem cardinem esse, circa quem reliquæ omnes volvuntur controversiæ, quæ inter Ecclesiam romanam et ec-*

clesias ceteras incalescunt; quoniam si Christus Dominus primatum ex officio proprium alicujus Episcopi instituit in Ecclesia catholica, qui semper perdurare debeat, et hunc primatum hæreditaverit Episcopus romanus, illico consequitur Ecclesiam catholicam coarctari ad solam Ecclesiam obedientiæ romanæ, et concilia, doctrinam ac traditiones illius Ecclesiæ obsignatas esse auctoritate totius mundi christiani. Id ipsum patet ex immmani omnium hæreticorum et schismaticorum furore adversus ejusmodi primatum, a quo contriti sunt.

CAPUT I.

DE PETRI PRIMATU.

446. Capitis nomine in subjecta, de qua agimus, materia significatur primatus honoris seu præeminentiae et jurisdictionis. Qui contendunt, Christum instituisse Ecclesiam acephalam seu sine capite, inficiantur, Servatorem nostrum alicui peculiari individuo primatum illum contulisse; ex quo inferunt, nullum a Christo caput Ecclesiae fuisse præfectum. Alii vero existimant, hunc saltem primatum immediate alicui individuo non fuisse a Christo collatum, sed universae Ecclesiae, quæ proinde potest illum per quemlibet exercere, eum ex uno in alium transferendo (1). Nos vero Catholici asserimus, Christum tum præeminentiae ac jurisdictionis primatum instituisse in Ecclesia, seu caput ei præfecisse, et quidem in peculiari individuo, nempe Petro; tum hunc ipsum primatum haud immediate Ecclesiae, sed immediate Petri personae contulisse. Quæ ut ex ordine evincamus, sit

PROPOSITIO I.

Christus contulit Petro primatum honoris et jurisdictionis in universam Ecclesiam, cui propterea eum caput præfecit.

447. Christus Petro primatum contulit non solum ordinis seu honoris ac præeminentiae, sed veræ jurisdictionis in universam Ecclesiam suam, adeoque Ecclesiae suæ caput illum constituit, si super ipsum suam se promisit ædificaturum Ecclesiam, et claves regni cœlorum se ei daturum pollicitus est, ac reipsa utriusque promisso stetit, eidem soli credens pascendum seu regendum universum gregem suum. Jam vero duo priora constant ex Matth. XVI. Quum enim interrogasset Christus discipulos suos: *Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon*

(1) Tale est systema Richerianum, paulo post videbimus. Jansenianum, Febronianum, etc., ut

Petrus dixit : Tu es Christus , Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei : Beatus es Simon Bar-Iona ; quia caro et sanguis non revelavit tibi , sed Pater meus , qui in cœlis est. Et ego dico tibi , quia tu es Petrus , et super hanc petram œdificabo Ecclesiam meam , et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram , erit ligatum et in cœlis ; et quodcumque solveris super terram , erit solutum et in cœlis. Postremum vero , seu promissi solutionem exhibet S. Joannes cap. XXI , illis verbis , quibus Christus redivivus eundem Petrum affatus est : *Pasce agnos meos... pasce oves meas.*

448. Porro in priori testimonio , Christus Petro sub gemina fundamenti et clavium metaphora aperte significat , se eidem supremam potestatem collaturum , eumque suum constitutum vicarium in Ecclesia visibili a se paulo post ædificanda. Quod enim est fundamentum in cæmentitio edificio , erit Petrus in edificio spirituali , nempe Ecclesia. Ast vero fundamentum illud est , quod universum ædificium sustentat ac regit ; ergo et Petrus ille erit , ex Christi institutione , cui omnis in Ecclesia potestas , omnis legum vis tanquam firmo fundamento inniti debebunt. Quod non minus aperte patet ex altera clavium metaphora , qua in eodem testimonio usus est Christus. Etenim apud omnes gentes , præsertim vero hebræam , receptum est , ut claves alicui conferantur tanquam insigne aut symbolum potestatis in domum aut civitatem , cujus claves traduntur , ut non pauca loca Scripturarum parallela confirmant (1). Cum itaque Christus Ecclesiæ suæ claves Petro se daturum promiserit , consequens est , promisisse hoc ipso Christum , se eum constitutum principem supremum

(1) Cfr. Jahn , *Archæologia biblica* , § 37 , Vien. 1814 , ubi scribit : *Claves ex metallo confectæ , non erant nisi potentioribus , et nonnunquam ansæ eburneæ ornatæ. Clavis hujus generis ævo monarchiæ hebræicæ a dispensatore domus regiæ tanquam insigne muneris in humero gestabatur. Sane Isaï. xxxii , 22 , legimus de Eliacim filio*

summi Sacerdotis Helix : Et dabo clavem domus David super humerum ejus ; et aperiet , et non erit qui claudat ; et claudet , et non erit qui aperiat. Quin et suprema Christi potestas , Apoc. iiii , 7 , eodem clavium symbolo designatur : *Hæc dicit sanctus et verus , qui habet clavem David.* Cfr. Calmet , in loc. cit. Isaïæ.

totius Ecclesiæ cum potestatis plenitudine quodcumque solvendi ac ligandi, seu constituendi leges, subditos obligandi ad ipsas observandas, puniendi transgressores, efficiendique quidquid ad Ecclesiæ ipsius bonum et utilitatem pro locorum, temporum, personarum ac rerum adjunctis ipse conferre judicaverit (1).

449. Nec minus luculenter patere promissæ potestatis collationem apud Joannem; loco cit., verba ipsa significant, quibus Christus non unam aut alteram gregis sui partem, sed gregem suum plane universum eidem pascendum commisit, seu universam Ecclesiam, quæ ex agnorum et ovium collectione coalescit. Ne quis vero arbitraretur, officium duntaxat ministeriale præbendi cibum agnis et ovibus Christum Petro conferre voluisse, præter vocem βόσκει, quæ proprie significat *pasce seu ciba*, aliam vocem addidit, v. 16, dicens: Ποίμανε τὰ πρόβατά μου, quod est *pascere cum imperio pascere præsidendo*, prout etiam ex usu loquendi Scripturarum ac locis parallelis aperte conficitur (2).

(1) Juerit ad confirmandum quod diximus de suprema potestate Petro a Christo promissa, sub gemina *Petræ* et *clavium* metaphora, expositionem in medium afferre hominis profecto minime suspecti, judæo-increduli Salvador, qui in op. cit. *Jésus-Christ et sa doctrine*, tom. 1, lib. 11, ch. 1, pag. 325, hæc in rem nostram habet: *D'abord, au sujet du nom et des clefs de Pierre, à qui les trois listes des apôtres rapportées par les Evangiles, accordent toujours le premier rang... L'attribution qui lui fut faite par Jésus du mot syriaque kephas, signifiant pierre, répondait à une double métaphore: à la fermeté de son âme, que le langage poétique de nos jours aurait comparée, dans le même esprit, à un rocher, et à cette circonstance, qu'en se présentant au maître de Nazareth comme son premier*

défenseur, puis en confessant le premier sa qualité de Christ, il avait mérité de passer pour la pierre fondamentale de l'édifice de Jésus et d'être chargé des clefs symboliques. Dans le nouvel ordre d'idées, la signification ajoutée à ces clefs comportait non-seulement le droit d'approuver et de désapprouver ce qu'il fallait faire ou ne pas faire; mais le droit d'ouvrir ou de fermer du même coup aux prosélytes et aux disciples, selon l'exigence des cas, les portes actuelles de l'association et le passage aux félicités de la résurrection prochaine. Loin de chercher leur origine dans les coutumes des Romains, ou chez toute autre nation, on doit la demander à la patrie des fondateurs de l'institut chrétien. Deinde refert textum cit. Isaiæ.

(2) Sane Psal. 11, 9, ubi vulgata habet: *Reges eos*, græca versio habet

450. Id autem vel ex proposito ipso Christi confirmatur, quod fuit Ecclesiam condere ad normam veteris synagogæ, utpote typicæ, insertis tamen nonnullis variationibus ad novam suam societatem magis idoneis. Jam vero synagoga vetus constituebatur ex summo Sacerdote, seu pontifice supremo, deinde vero ex sacerdotibus atque levitis, ac demum ex laicis. Atque hujus quidem rei vadem damus hominem, qui studio partium abripi non poterat, quique, si quibusdam favet, favet potius Protestantibus quam Catholicis, quibus, uti par est, infensum ubique se prodit. Hic est judæo-incredulus Salvador, libere edicens, summum pontificatum una cum aliis subditis distinctionibus ad christianismi essentiam pertinere; ex quo infert, immerito Protestantes ambitioni atque usurpationi romanorum præsulum pontificium apicem et auctoritatem, qua pollent, tribuisse. In hoc vero ipsos plane

ποιμανεῖς αὐτοῦς, *pasces eos*, prouti pariter vertunt interpretes syrus et arabicus apud Waltonum. Sic quod legitur Matth. 11, 6: *Regat populum meum*, græce habetur: Ποιμανεῖ τὸν λαόν μου, nempe *pascat populum meum*. Verum his aliisque ejusmodi omissis, lubet ad dictorum confirmationem verba afferre Jahnii, qui in sua *Archæologia biblica*, ad calcem § 42, scribit: *Itaque in biblicis reges dicuntur pastores; רעים רעה nuncupatio nequaquam*

est subjecta, sed sublimis et honorifica; quare hoc nomen persæpe Deo tribuitur, qui erat rex hebræorum; proprie hæc compellatio dicit rectorem et curatorem, conf. Ps. xxiii, 14; viii, 2; Jes. xl, 10; lxiii, 11; Jer. x, 21; xxii, 22; xxiii, 1; xxxi, 11; xxxvi, 40; l, 6; li, 23; Mich. v, 5; Nahum iii, 18; Ezech. x, 24; xxxiv, 2-23; xxxvii, 24; Zachar. x, 3, 8,

26; xi, 5. *In antiquo quidem fædere hæc tropica pastorum notio perpetuo indicat regem; ætate vero Christi, nomine pastorum פֶּרְנָסִים, conde-*

corabantur præceptores Judæorum, quod primum ex schola stoicorum descendit, qui solos sapientes statuerunt esse vere reges. Hoc modestius saltem, quam a stoicis dictum fuit, a Judæis adoptatum est, et deinceps in Ecclesiam christianam transit, ut, qui doctrina regerent et curarent fideles, pastores dicerentur, Ephes. iv, 21; Matth. ix, 36; Job. x, 11-14; Hebr. xiii, 10, 1. Petr. ii, 25; v, 4; i Cor. iv, 8. Hactenus quidem Jahn. Adnoto tamen, nonnulla ex cit. testimoniis ex N. T. non esse ad rem; alia vero exhibere pastorem, qui non solum doctrina, sed etiam auctoritate regat, ut Joh. x, 12-14; i Pet. ii, 25; v, 4.

ignaros se patefecisse consilii Christi atque essentialis Ecclesiæ constitutionis contendit (1).

451. Atque hinc factum est, ut Scripturæ nobis Petrum exhibeant veluti ceterorum Apostolorum principem, a Christo sin-

(1) En iterom ejus verba, ex op. cit. tom. II, p. 296 et seqq. *J'ai déjà fait remarquer, ait ipse, qu'un temps moral très-long était nécessaire pour que les formes extérieures de la société de Jésus se missent en rapport avec sa propre nature. C'est même à cause de cette vérité si simple qu'on est forcé de reconnaître l'imperfection de la plupart des argumens tirés de l'état de l'Église des apôtres, par les sectes chrétiennes dissidentes. Leur conclusion qui arrivait à dire, qu'il n'existe aucune solidarité entre l'organisation primitive et les modifications amenées par le développement catholique de la doctrine, repose sur une confusion flagrante des faits. J'en apporterai quelques preuves : par exemple, est-il permis de se ranger chrétiennement de l'avis des communions réformées, quand elles récusent la légitimité originaires d'une assemblée centrale et régulatrice, et la majesté d'un Pontife supérieur?... A plus forte raison, la convenance d'une Église centrale dût leur (discipulis Christi) apparaître, lorsque la société nouvelle toute séparée d'avec les Juifs eût expressément déclaré qu'elle était à elle seule le corps du vrai peuple, ou l'Israël général. A plus forte raison, ils durent céder à cette convenance, lorsque la croyance qui avait prédominé sans réserve l'âme des premières générations des chrétiens, au sujet de*

la proximité extrême assignée par le fils de Marie à la fin du monde actuel et à la résurrection primitive des morts, ne se fut pas réalisée (juxta auctoris systema). On se vit obligé à chercher tous les moyens capables de prévenir l'esprit de séparation et de ruine, qui menaçait déjà l'existence de l'Église. Le sacerdoce de la loi avait été destiné à lier entr'eux et à maintenir tous les élémens de l'ancien peuple; la nécessité des circonstances, jointe à la volonté perpétuelle chez les disciples de Jésus d'accomplir les textes anciens, leur imposa d'y substituer un sacerdoce correspondant... Lorsqu'elle (Ecclesia) fut venue à faire passer ses magistrats de leur état originaires d'anciens à l'état de prêtres, de leur état originaires de surveillans à celui d'évêques, ou de princes des prêtres, cette Église ne songea nullement et ne dût pas songer à scinder le caractère nouveau que ses fonctionnaires recevaient; elle n'en détacha point les pouvoirs qui étaient dévolus dans la mère-patrie à leur titre précédents. Bien loin de là, elle fut conduite à concentrer dans un Pontife supérieur, imité, selon l'ordre de ses idées, du Grand-Pontife de la loi, tous les droits qui appartenait à des magistratures très-distinctes dans l'organisation intérieure d'Israël; et, avec le temps, elle fut conduite à concentrer sur ce même Pontife et sur ses

gulari prorsus ratione præ ceteris distinctum et honestatum, ac munia sui primatus exercentem. Etenim in eis reperimus, Petrum in Apostolorum censu constanter primo loco commemorari (1), quamvis ipse prior non fuerit ad apostolatam vocatus (2); primum item Apostolorum, qui Christum redivivum intuitus sit (3); primum, qui edixerit, alium Judæ proditoris loco suffiendum (4); primum, qui Judæis Christum prædicaverit (5), ac tum ipsos tum gentiles in Ecclesiam admiserit (6); qui sententiam in Concilio tulerit (7); qui Ecclesias universas inviserit (8); qui scripta Pauli probaverit (9); cum quo idem Paulus Evangelium suum contulerit, *ne forte, ut ipse loquitur, in vacuum curreret, aut currisset* (10). Exhibent præterea eadem Scripturæ Petrum solum, cui fratres suos (Apostolos) Christus mandavit confirmandos, et propterea precem peculiarem pro eo fuderit (11). Quid porro hæc omnia sibi volunt, nisi Christum reipsa constituisse Petrum fundamentum, caput, principem Ecclesiæ suæ?

452. Sane si Christus, ut ex demonstratis abunde liquet, Ecclesiam suam ad instar humani individui condere constituit anima et corpore præditi, adeoque ut personam moralem ac societatem visibilem, nisi velimus ipsum voluisse hanc societatem, prout visibilis est atque adspectabilis, sine visibili moderatore ac principe, hoc corpus acephalum, nimirum sine capite constituere, fateamur necesse est, eidem caput præfecisse, quod

émanations, tous les droits et tous les privilèges des castes sacerdotales tant de l'Orient que de l'Occident, dont l'Eglise chrétienne se regarda de plus en plus comme l'héritière naturelle. Et alibi passim eadem inculcat adversus Protestantes.

(1) Matth. x, 2; Marc. iii, 16; Luc. vi, 14; apud Matthæum expresse dicitur *primus*.

(2) Joan. i, 33-41.

(3) Luc. xxiv, 34.

(4) Act. i, 15 et seqq.

(5) Ibid. ii, 14 et seqq.

(6) Ibid. x, 34; xv, 7.

(7) Ibid. xv, 7.

(8) Ibid. ix, 32.

(9) II Petr. iii, 15, 16.

(10) Gal. ii, 2.

(11) Luc. xxii, 32. Cfr. Bossuet, *Sermon sur l'unité de l'Eglise*, premier point, ubi eloquentissime et energice, quæ nos hic vix indicavimus, explanat et evolvit. *OEuvres de Bossuet*, édit. Versailles 1816, tom. xv, pag. 495 et seqq. nec non com. J. De Maistre, in op. *Du Pape*, tom. i, liv. 1, ch. 6.

universum corpus regeret, principem, qui societatem moderaretur suam, ac sui ipsius in cœlum abeuntis personam in his terris gereret; quem ex Scripturis non alium nisi Petrum esse deprehendimus.

453. Sive igitur verba spectemus, quibus Christus Petro promissiones amplissimas fecit in præmium confessionis divinitatis suæ, apud Matthæum; sive verba, quibus in præmium peculiaris amoris, quem Petrus post resurrectionem eidem Christo professus est, solvit, quod promisit, apud Joannem; sive Christi spectemus propositum in condenda Ecclesia sua, atque ejusdem Ecclesiæ constitutionem ac naturam; sive demum, quæ de eodem Petro nobis Scripturæ referunt, constat, quod proposuimus, nempe Christum contulisse Petro primatum honoris et jurisdictionis in universam Ecclesiam, eumque propterea illi caput præfecisse.

DIFFICULTATES

454. Obj. prima. 1^o Prolata ex Scripturis testimonia non evincunt nisi quamdam personalem B. Petri præeminentiam meri ordinis, non autem verum ac proprie dictum primatum potestatis ac jurisdictionis super Apostolos reliquos. 2^o Quæ quidem personalis præeminentia Petro obtigit aut ob ejus zelum et dilectionem erga Christum, ob exantlatos pro Christo labores, uti existimarunt S. Augustinus et S. Cyrillus (1); aut quia ceteris erat Apostolis natu major, ut placuit Hieronymo, Chrysostomo et Cassiano (2); aut quia *primus* inter ceteros vocatus fuit Petrus ad apostolatam, uti sentiunt Epiphanius, Cyprianus, Hilarius, Basilius, Gregorius M. et Chrysostomus (3); aut denique ob ejus publicam confessionem Christi, uti rati sunt Gregorius M., Basilius, Epiphanius, Optatus et Ambrosius (4). 3^o Sane Scriptura Apostolos omnes exhibet pares et suprema potestate præditos, dum ipsis Christus sive collective sive distributive

(1) Apud Du Pin, *De antiq. eccles. disciplina*, edit. 1686, pag. 312.

(2) Du Pin, Tournely, *ibid.*

(3) *Ibid.* Tournely, *De Eccles. tom.*

(4) Tournely, *ibid.* pag. 12.

dixit : *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, etc.* (Matth. X, 14). *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis* (Joan. XIV, 16); et post resurrectionem suam omnibus eadem ratione dixit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ... accipite Spiritum S.* (Joan. XX, 21, 22,); tum : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra; euntes ergo etc.* (Matth. XXVIII, 19). Nemo porro negaverit, ejusmodi potestatem Apostolis absque ullo discrimine a Christo collatam esse *supremam*; ergo non potuit Petrus ceteris antecellere potestate aut dignitate *officii*, sed solum *personalibus* respectibus. 4^o Quapropter invenimus, Petrum ceteros quidem zelo et *activitate* superasse; ast nullum reperimus exemplum auctoritatis ab eo supra illos exercitæ. 5^o Sane aperte Scriptura docet, Deum quosdam posuisse in Ecclesia *primum Apostolos, secundo prophetas*, etc. (I Cor. XII, 28). Duodecim igitur Apostoli fuerunt *primi* in Ecclesia, non autem solus Petrus. 6^o Hæc eadem conclusio traditione fulcitur. Tertullianus siquidem scribit : *Apostolos habemus auctores* (1). Cyprianus : *Quamvis Apostoli omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat : Accipite Spiritum S... tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur* (2). Ambrosius : *Hic Petrus, ubi audivit : vos autem quid me dicitis? statim loci non immemor sui primatum egit : primatum confessionis utique, non honoris; primatum fidei, non ordinis* (3); et iterum : *Denique audi dicentem : tibi dabo claves... quod Petro dicitur, ceteris Apostolis dicitur* (4). Hieronymus : *Joannes et Jacobus, quia plus ceteris petierunt, non impetraverunt; et tamen non est dignitas eorum imminuta, quia reliquis Apo-*

(1) *De hæres.*(3) Lib. *De Incarn.* cap. 4, tom. 11,(2) *De unit. Eccles.* pag. 195 edit. pag. 710.

Bened. Paris. 1726.

(4) In Ps. xxxviii.

stolis æquales fuerunt (1). Chrysostomus vocat apostolatam non solum *fastigium dignitatum*, sed etiam *radicem ceterarum et fundamentum*, affirmatque *Apostolorum fidei gentium omnium ac totius orbis terrarum curam fuisse commissam* (2). Cyrillus Alex. vocat Apostolos *judices universales, rectores totius mundi*. Et in *Epist ad Nestorium* dicit, *Petrum et Joannem fuisse pares in honore ac dignitate* (3). Victor Carthag. *Ad quam* (Ecclesiam), scribit, *omnes beatissimi Apostoli, pari honoris et potestatis consortio præditi, populorum agmina convertentes perduxerunt* (4). Isidorus Hispal. *Ceteri*, inquit, *Apostoli cum Petro par consortium honoris et potestatis acceperunt* (5). Conc. V. œcumenicum declarat: *Licet enim Sancti Spiritus gratia et circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant...* (6). Tandem Nicolaus Cusanus: *Scimus, quod Petrus nihil plus potestatis a Christo recepit aliis Apostolis. Nihil enim dictum est ad Petrum, quod aliis etiam dictum non sit... Ideo recte dicimus, omnes Apostolos esse æquales cum Petro in potestate* (7). Ergo.

455. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Hæc enim meri ordinis seu personalis præeminentiae prærogativa, absque vera potestatis jurisdictione, inepta prorsus fuisset scopo seu fini, quem sibi proposuit Christus in condenda Ecclesia sua ad instar individui viventis. Instituisset enim corpus sine capite, societatem sine supremo rectore, quæ non una sed multiplex fuisset, quot scilicet ab Apostolis singulis fundatæ essent Ecclesiæ, quotque deinceps post ipsos instituerentur, utpote nullo inter se vinculo ac nexu colligatæ, ut patet ex cœtibus protestantibus et schismaticis, qui sunt territoriales, ac veluti possessiones aut proprietates soli, seu regiminis, quod iis præest (8). Christus autem in sin-

(1) *Adv. Jovin.*(2) *Homil. De util. lect. Script.*

tom. III, pag. 75-77.

(3) *Act. Conc. Hard.* tom. I, col. 1287.(4) *Epist. ad Theod. Papam.*(5) *De officiis*, lib. II, cap. 5.

T. VIII.

(6) *Acta Conc.* tom. III, col. 188.(7) *De concord. cathol.* lib. II, cap. 13. — Hactenus Palmer, op. cit. part. VIII, *De rom. Pontif.* cap. I, p. 477 et seqq.

(8) Exinde receptum est ac vulgatum apud acatholicos velut axioma princi-

gulari semper loquitur de *Ecclesia sua*, de *regno suo*, de *ovili suo*. Apostolus vero commemorat *corpus* Christi, non autem membra huc illucque dispersa, aut corpus sine capite; tunc enim *truncum* plane vocasset (1).

456. Ad 2^m, *Dist.* Id est, quatuor allatæ ex SS. Patribus rationes eo referuntur ut motiva, quare Christus primatum Petro potius contulerit quam alteri Apostolo, *conc.*; referuntur ad rationem reddendam cur Christus primatum ipsum instituerit in Ecclesia, *neg.* Hæ nempe duæ quæstiones in doctrina Patrum simul permiscendæ non sunt, uti adversarii faciunt. Adducti enim Patres in locc. citt. ut eos legenti patet, rationes aliquas, easque conjecturales indicant, quare Christus Petro potius quam alii ex Apostolis voluerit primatum conferre, quod non abnuimus. Quando vero iidem Patres disserunt de primatu ipso, et rationem afferunt, quare illum in Ecclesia sua instituere Christus voluerit, unanimes sunt in adstruenda unitate Ecclesiæ veluti motivo, cur Christus ad illum instituendum permotus sit. Nimirum docent, unitatem Ecclesiæ Catholicæ induxisse Christum, ut unicum supremum pastorem ei præficeret, unum caput, unum pontificem necessaria potestate et auctoritate præditum ad unitatem constituendam, custodiendam ac conservandam, cum voluerit Ecclesiam suam unam esse, ac talem jugiter perseverare (2). Quod nec infensissimi Sedis apostolicæ hostes diffitentur (3); ac nos, paulo post ejusmodi Patrum testimonio afferentes, luculenter ostendemus.

pium illud : *Cujus est regio, illius est religio.*

(1) Nec obest, quod Christus sit Ecclesiæ caput; nam hic agitur de *capite visibili Ecclesiæ visibilis*, quod certe Christus non est, ex quo ascendit in cælum.

(2) Quod Patres minime inter se permiscuerint duas has quæstiones, argumento ineluctabili est diversa ipsorum agendi ratio in unaquaque earum. Etenim cum quærunt, quare Petro potius

quam alteri Apostolorum Christus contulerit primatum, ancipites sunt, ac mira inter ipsos apparet sententiarum varietas; quum vero inquirunt in rationem, quare Christus instituerit primatum in Ecclesia sua, una eademque sententia ac doctrina est, exploratæ traditioni innixa, nempe hanc aliam non esse nisi unitatem Ecclesiæ catholicæ. Cfr. Petr. Ballerinius, *De vi ac ratione primatus*, cap. 3.

(3) Sane Hugo Grotius, in *Voto*

457. Ad 3^m, *Dist.* Scriptura nobis exhibet Apostolos omnes æquales in apostolatu, ac in omnibus apostolatus facultatibus, qui fuit omnibus communis, *conc.*; in primatu, et in facultatibus primatus propriis, *neg.* Hic enim cum potestate jurisdictionis uni Petro collatus a Christo est; ut liquet ex probationibus, quas nullo modo infirmant objecta Scripturarum oracula, quæ de communi apostolatus facultate et potestate loquuntur (1). Hæc vero apostolatus potestas *suprema* quidem est in ordine suo, minime vero absolute, eo ipso quod, vi primatus Petro collati, Apostoli omnes ei subjecti fuerint ac subordinati a Christo ipso. Et hoc rursus ejusdem primatus acerbiores impetitores concedunt (2).

pro pace, ad art. 7, hæc scribit: *Gradus præpositorum in Ecclesia esse debere, et per illos gradus compaginari Ecclesiam, docuit nos Paulus, Ephes. iv, 11. Ordo sive in partibus, sive in toto, continetur principatu quodam, sive præpositi unitate. Et hoc est, quod in Petro nos Christus docuit. Hoc a Christo didicit Cyprianus; idem cum Cypriano dicit Hieronymus adversus Jovinianum... Tale caput est inter Presbyteros Episcopus, inter Episcopos Metropolitanus, aut alio quis modo electus, ut cæteris præsit. Tale inter omnes Episcopus Romanus* vid. opp. edit. Amstelod. 1679, tom. III, pag. 658. Plura alia heterodoxorum in hanc rem testimonia profert P. Ignatius Fiume Ord. Præd. in op. *Schola veritatis orthodoxæ*, et ex ipso Petrus Ballerinius, op. et loc. cit. quæ illic recoli possunt.

(1) Hoc ipsum fatetur auctor adversario nostro apprime carus, nempe Dupinius, qui in his dissertat. *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, docet. S. Pe-

tro Apostolos *potestate et auctoritate* omnino æquales fuisse, *excepto primatu*. Nam in diss. IV, cap. I, § 3, allatis quibusdam Patrum sententiis (illis nempe eisdem, quos ex hoc auctore deinde citat Palmer), quibus omnes Apostoli Petro pares fuisse dicuntur: *Hæc, inquit, probant, Apostolos in clavium administratione, fidei prædicatione, Ecclesiarum foundatione, potestate, auctoritate æquales fuisse; at eos in primatu Petro æquales fuisse nullus dicit*. Loqui porro hunc auctorem de jurisdictionis primatu, non autem de solo primatu ordinis aut præminentiae et honoris, liquet ex iis, quæ habet in eadem diss. cap. II, § 3: *Ex hoc primatu romani Pontificis fluunt multæ prærogativæ, quæ ipsi non secus ac primati jure divino competunt*, quas mox distincte refert. Quomodo vero hic auctor sibi cohæreat, ipse viderit.

(2) Id fassus est Quesnellus, qui in libello, edito an. 1705, inscripto *Idée générale du libelle: Motif du droit*

458. Ad 4^m, *Neg.* Nam hoc ipso quod jurisdictionis primatum Christus Petro contulit, is debuit, ut verbis Bossuetii utar, *super omnes sine restrictione* (1) auctoritatem habere; eamque exercere potuisset, si opus esset; et reipsa exercuit, dum scripta Pauli probavit, et alia gessit, quæ in probationibus commemoravimus, quæque ipsa rei natura postulat. Primatus enim et subiectio sunt ideæ relativæ, nec una sine altera concipi potest. Quod si Petrus vim coactivam in Apostolos non exercuit, ideo est, quia hac vi Apostoli non indigebant (2).

pour le procureur de la cour ecclésiastique de Malines, accusateur et partie contre le P. Quesnel, cum accusaretur, eo quod in alio opere S. Petrum et S. Paulum duo Ecclesiæ capita constituens, reproduxisse visus esset propositionem damnatam, ut accusationem dilueret, pag. 92, scribit, eum tantum in damnatam thesim incurrere, qui admitteret inter Petrum et Paulum omnimodam æqualitatem sine ulla subordinatione ad S. Petrum, ut in decreto explicatur. Profitetur autem, pag. 94, se alienum ab hac sententia, cum S. Paulo nunquam tribuerit primatum universalem, qualem uni S. Petro asserendum non dubitat. Eadem fatetur M. Antonius de Dominis, lib. vi, n. 2, scribens: Hic jam nos romani sistere solemus, et dicere, Petrum a Domino designari pro fundamento totius Ecclesiæ, quæ debet eidem inniti, quemadmodum ædificium innititur fundamento; qui tamen paulo post obivium hunc sensum eludere conatur, uti videbimus.

(1) In serm. ad Comitata cleri Gallic. Parisiis habito an. 1681.

(2) Apposite Card. du Perron, *Réplique au roi de la Grande-Bretagne,*

ch. 46, pag. 458 et seq. *Pour maintenir l'unité, inquit, il était besoin, encore outre l'autorité interne et essentielle à l'apostolat, d'une autre autorité externe et accessoire à l'apostolat, qui eût la superintendance sur le soin de la conservation de l'unité. Et comme l'office de la cause est de régler son effet, il fallait que celui qui était le principe et l'origine de cette unité, eût aussi la superintendance sur les autres, pour ce qui regardait la conservation de l'unité, et par conséquent la juridiction superéminente sur les choses nécessaires à la manutention de l'unité... Non que les apôtres eussent besoin pour se maintenir en unité, que les effets de cette autorité se pratiquassent si évidemment sur eux comme sur leurs successeurs, à cause de l'assistance qu'ils avaient chacun en particulier de l'Esprit de Dieu; mais afin de proposer à l'Eglise une forme et un modèle de l'ordre qu'elle devait suivre après leur décès. Quod etiam Petrus de Marca, in opusc. cit. *De discrim. clericorum et laicorum*, fassus est, scribens, cap. 3, n. 13: *Tenebantur Apostoli fundare Ecclesias in unitate, cujus caput cum esset**

459. Ad 5^m, *Dist.* Deus juxta Scripturas posuit *primum* Apostolos inter eos, qui charismatum donis præcelluerunt ad munia ecclesiastica obeunda, *conc.*; absolute, *neg.* Scopus Apostoli in objecto loco minime est gradus hierarchicos recensere; alioquin recensisset Episcopos, Presbyteros et diaconos; sed fuit commemorare varia charismatum dona et officia, quæ Spiritus S. distribuit in Ecclesiæ utilitatem; his autem præcellere affirmat primo loco Apostolos; deinde prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Ex hoc vero sequitur, Apostolos quidem primos esse, uti jam diximus, in ordine suo, nempe in apostolatu, non autem in ordine ad Petrum, universo collegio apostolico prælatum, cum vera jurisdictionis potestate, a Christo ipso (1).

460. Ad 6^m, *Neg.* Omissis porro testimoniis Tertulliani, Hieronymi et Chrysostomi, quæ ad præsentem controversiam non pertinent, utpote quæ commendant dignitatem apostolatus omnibus communem, ac si placet, etiam supremam in ordine suo, juxta dicta, expendemus, ne longiores simus, reliqua quæ obiecta sunt, et proprius ad rem præsentem referuntur. Itaque:

461. S. Cyprianus affirmat, Apostolos pari fuisse consortio præditos honoris et potestatis cum Petro, *Dist.* In apostolatu, seu in potestate apostolica ac muniis ei adnexis, *conc.*; sub omni respectu, *neg.* Etenim contrarium eruitur ex ipsis adductis S. Martyris verbis: *Tamen, ut unitatem manifestaret (Christi), unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit... Exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una*

Petrus, illius communioni eas subjicere tenebantur. Et num. 21: Porro (docet Optatus) unitatem ab omnibus Apostolis servandam in illa una cathedra (Petri), ne, si ab ejus unitate recedentes in Ecclesiis ædificandis aliam cathedram constituerent, schismatici et peccatores haberentur. Nulum erat periculum, ne, scissa unitate

Ecclesiæ, Apostoli proprias sibi Ecclesias defenderent sejunctas a communi Petri. Sed regiminis semel constituti forma exposcebat, ut sciremus, Apostolos quoque ipsos huic regulæ a Christo præscriptæ subditos fuisse.

(1) Cfr. Estius, tum hic, tum in epist. ad Ephes. iv, 11.

monstretur; perinde ac si diceret: licet omnes æquales seu pares essent apostolica potestate et honore, ut tamen in unitatem omnes convenirent et coalescerent, præfecit omnibus Petrum veluti unitatis exordium, fontem ac originem; seu quod idem est, contulit Petro super omnes primatum potestatis et jurisdictionis, cum sine ipso unitas nunquam emersisset. Germanam hanc esse S. Cypriani mentem, patet tum ex verbis ipsis, tum ex iis quæ scribit in epist. LV, in qua vocat Petri cathedram *Ecclesiam principalem*, ex qua *unitas sacerdotalis exorta est*, quæ ejus unitatis formandæ vim, *principalitatis* ipsius cathedræ propriam atque præcipuam, significant (1).

462. S. Ambrosius in primo textu scribit, Petrum egisse primatum confessionis, non honoris; fidei, non ordinis, *Dist.* Cum nondum assecutus esset hunc primatum honoris et ordinis, *conc.*; postquam hunc assecutus est, *neg.* Significat itaque his verbis S. Doctor, Petrum ceteris prævisse Apostolis in edenda fidei confessione.

(1) Idque magis liquet ex idea, quam constanter ingerit Ecclesiæ S. Martyr, præsertim vero epist. LIX, ubi Ecclesiam unam definiens, ejusque unitatem describens, ait: *Plebs sacerdoti coadunata et pastori suo grex adhærens*. Quoniam vero in particularibus Ecclesiis quilibet *sacerdos* et *pastor*, nempe Episcopus unitatis suæ cujusque particularis Ecclesiæ origo est, eandemque unitatem eatenus format atque conservat, quatenus ipsi, qui radix et centrum est unitatis, tota ipsius Ecclesiæ *plebs* coadunari, et totus *grex* adhærere in unum debet, ut ex plebis ac gregis unione cum suo sacerdote ac pastore Ecclesia una fiat; ita juxta S. Cyprianum in universali Ecclesia unus summus sacerdos ac pastor S. Petrus, et propterea romanus Pontifex, qui, uti

postea ostendemus, Petro succedit, catholicæ unitatis origo est, unitatemque totius Ecclesiæ catholicæ format et continet, quatenus ipsi, ut radici et centro ejusdem unitatis, coadunari atque adhærere debent omnes et fideles et Episcopi, ut ex pluribus particularibus plebibus gregibusque, ei supremo sacerdoti atque pastori adhærentibus, unus grex et Ecclesia una universalis coalescat. Quo reipsa fit, ut Ecclesia catholica, pluribus licet in locis dispersa, *sit utique connexa, ut ibidem subdit, et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata*. Hoc vero minime verificaretur, si Petrus auctoritate primatus etiam inter Apostolos ac super Apostolos minime præditus a Christo fuisset. Cfr. Ballerin. op. cit. cap. 13, n. 10.

463. In altero autem textu juxta S. Ambrosium, quod Petro dicitur, omnibus dicitur, *Dist.* quoad potestatem remittendi peccata, *conc.*; quoad primatum, *neg.* Contendit quippe S. Ambrosius adversus Novatianos, potestatem, quam Ecclesia exercet in remittendis peccatis, non esse usurpatam, sed ei a Christo collatam tum in Petro tum in reliquis Apostolis.

464. S. Cyrillus affirmat, *Petrum et Joannem æqualis esse dignitatis*, *Dist.* In apostolatu, *conc.*; in primatu, *neg.* Talem porro esse sensum verborum Cyrilli, patet ex immediate sequentibus: *Propter quod et Apostoli et sancti discipuli esse monstrantur* (1).

465. Victor Carthag. scribit, *omnes beatissimos Apostolos pari honoris et potestatis consortio præditos*, *Dist.* In apostolico munere ac dignitate, *conc.*; in primatu, *neg.* Loquitur enim Victor de orthodoxa doctrina, qua Ecclesia ab Apostolis eadem ratione informata est (2).

466. Nec alia est mens S. Isidori Hispalensis, qui adducta verba perinde ac Victor Carthagin. mutuatus est a S. Cypriano, in eodemque propterea sensu. Sane id liquet ex verbis immediate præcedentibus; præmiserat quippe Isidorus: *In Novo Testamento post Christum sacerdotalis ordo a Petro cœpit. Ipsi enim primum datus est pontificatus in Ecclesia Christi; sic enim loquitur ad eum Dominus: Tu es Petrus, etc.* (3).

467. Concilii V auctoritas extra præsentem controversiam urgetur, siquidem Concilium non loquitur de æqualitate potestatis inter Apostolos, sed de æqualitate donorum, præsertim vero infallibilitatis, ad instruendam Christi Ecclesiam; quod nemo inficiatur (4).

(1) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. 1, col. 1287.

(2) Cfr. apud Baron. tom. xi, anno 646, n. 15, pag. 378, edit. Lucensis.

(3) Cfr. quæ in hunc locum adnotat eruditus Arevalus, in nova S. Isidor. opp. edit. Romæ 1802, tom. vi, p. 418.

(4) Scopus Concilii erat inducere Vi-

gilium rom. Pontificem, in urbe Constantinopolitana degentem, ut una cum Patribus disceptaret ad judicandam causam trium capitulorum, non autem judicaret per se solum seorsum a concilio, prout ipse facere constituerat. Quod ut obtinerent, afferunt hujus Concilii Patres exemplam Apostolorum,

468. Ad Nicolaum Cusanum denique quod spectat, miramur adversarii facilitatem in illius afferenda auctoritate, qui palinodiam cecinit, senior factus, eorum, quæ juvenili ætate in opere cit. incaute scripserat (1). Tunc enim Basileensis concilii fama captus, totus erat in extollenda Concilii œcumenici auctoritate, ac pontificia dignitate deprimenda et coarctanda. Cum vero comperisset illud in schisma deflectere, consilium mutavit, atque ad schisma compescendum totus incubuit, ut patet ex ejus epist. ad Rodericum, in qua Petri primatum egregie defendit (2). Imo et in ipso, quod objicitur, opere primatum Petri omnino non respuit, sed solum intra angustos fines illius auctoritatem redigere satagit (3), idque argumentis plane tanto homine indignis nec sine pugna cum semetipso (4).

qui, quamvis etiam singulatim gratia Spiritus Sancti abundarent, non tamen aliter voluerunt, de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverint. Cfr. apud Hard. tom. iii, col. 188 et seq.

(1) Cfr. Bellarm. *De scriptoribus ecclesiast.* tom. vii, pag. 528, opp. edit. Venet. 1728.

(2) Cfr. in edit. Basileensi an. 1565, pag. 825 et seqq. quæ profecto lectu digna est; evertit porro Cardinalis de Cusa in hac epistola quidquid in objecto opere, *Concordantia catholica*, constituerat.

(3) Sane lib. 11, inter cetera scribit, edit. Paris. 1514, fol. 23: *Petrus primo pontificatum super Apostolos accepit... Cum autem Episcopatus sit principatus super Sacerdotium, ut præhabitus est, quare dicere habemus principatum ecclesiasticum successionem quadam a primo principe scilicet Petro dependere, et sicut princi-*

patus Petri a legatione Christi dependebat, ita et omnium Episcoporum. Et paulo post: *Nam et inter Apostolos quædam fuit discretio, et licet omnes essent Apostoli, Petro tamen concessum est a Domino; et ipsi, inter se idipsum voluerunt, ut reliquis omnibus præesset Apostolis, et Cephas, id est, caput et principium teneret apostolatus, qui et eandem formam successoribus suis et reliquis Episcopis tenendam tradiderunt.*

(4) Quis enim admittat, quod ibid. contendit Cusanus, auctoritatem in Ecclesia pendere ex contractu sociali? Imo et Christum, volentibus Apostolis, constituisse Petrum principem Ecclesiæ suæ, ut exinde concludat, hos potuisse exercere auctoritatem super ipsum? Episcopos omnes, et forte etiam presbyteros, ut ipse loquitur, æqualis potestatis esse quoad jurisdictionem, licet non executionis? Aliaque ejusmodi, quæ in disputationis æstu eidem exciderunt, quæque nec probarentur a Palmerio ipso?

469. Obj. secunda. Saltem nihil evincunt pro Petri primatu, quæ ex Matth. XVI et Joan. XXI a Catholicis proferuntur, utpote *incertæ* interpretationis, ineptæ propterea ad fidei articulum adstruendum, præsertim cum interpretatio diversa sit *probabiliter* justa. Facile porro est utrumque ostendere. Sane ut incipiamus a textu Matthæi, 1^o Ecclesia non convenit, hic *petram* significare *Petrum*; nonnulli enim Patres, apud Dupinium et Natalem Alex., exponunt de *Apostolis in genere*; alii, ut Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Beda, Paulinus, Rabanus, Anselmus, Petrus Lombardus, Innocentius III; intelligunt *petram* de Christo ipso; plerique, ut Hilarius, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Hilarius diaconus, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alex., Juvenalis, Leo, Petrus Chrysologus, Theodoretus, Eucherius, Felix III, Gregorius III, Beda, Joan. Damascenus, Hadrianus I, Nicolaus I, Joannes VIII, Stephanus VI, Innocentius II, Hadrianus IV, Urbanus III, Thomas Aquinas, Tostatus, Ekius, etc. intelligunt *petram de vera fide* (1). Verum quidem est, plures Patres accepisse *petram de Petro*, inter quos Tertullianus, Origenes, Cyprianus aliique, quos idem Natalis Alex. recenset; ast ex hoc recte inferitur, Ecclesiam nullam traditionem apostolicam accepisse circa sensum prioris partis hujus textus. Constat præterea non modo diversos Patres diversam hujus loci dedisse interpretationem, sed eosdem Patres diversis temporibus eum diversimode interpretatos esse, ut patet ex Augustino, qui *liberum* relinquit unicuique intelligere *petram* aut de *Petro* aut de *ipso Christo* (*Retract.* lib. I, cap. 27). Nulla igitur interpretatio *de fide* est, aut sufficere potest ad fidei articulum adstruendum, quod nobis in præsentia satis est. Et hæc de prima textus parte. Ad alteram enim quod spectat de *potestate clavium*, eam minime evincere quod romanenses contendunt, 2^o aperte liquet ex facto admissa a Dupinio, omnes scilicet antiquos Patres *unanimes consensu* docere, *claves universæ Ecclesiæ datas esse in persona Petri*. Hæc est doctrina Tertulliani, Cypriani, Hieronymi,

(1) Nat. Alex. diss. IV, in sec. XV. et XVI, n. II.

Optati, Gaudentii, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Theophylacti, Eucherii, Bedæ, Rabani, Lyrani, Hincmari, Odonis, Petri Blesensis, aliorumque pene innumerorum (1). Ergo apposite concludit Dupinius : Claves hoc in loco significare nequeunt potestatem principalem super totam Ecclesiam, ut contendit Bellarminus; neque inferri potest ex eo, Petrum aliquid accepisse, quod collatum non sit Apostolis reliquis. Ergo multo minus poterit romanensium circa hunc textum recepta interpretatio fulciri consensu universali Ecclesiæ, neque fidei articulo fundamentum præbere. 3º Insuper diversa interpretatio hujus loci probabilior est. Cum enim *fundamentum* significet id, ex quo incipit ædificium ipsumque sustentat; cumque *claves* cum potestate ligandi atque solvendi exprimant privilegium aperiendi, quod hactenus clausum fuit, hinc Petrus debebat incipere et sustentare Ecclesiam, ejusque januam credentibus aperire. 4º Hæc interpretatio antiqui auctoris est, qui sub Ambrosii nomine circumfertur : *Petra enim dicitur, scribit, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit* (2), eamque tuetur Tertullianus (3). Ex quo merito infert Dupinius, quod si hæc verba de persona Petri dicta fuerunt, non significare supremam potestatem Petro collatam, ut perperam contendit Bellarminus, sed primas partes ac magnos labores, quos Petrus in conversione infidelium et Ecclesiarum administratione exantlare debebat (4). Ergo.

470. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m, prob. *Dist.* Id est, Ecclesiæ Patres præter expositionem *litteralem* ac *primariam* de primatu Petri alias *secundarias* ac *impropriis* per quamdam extensionem interpretationes illius textus adjecerunt, quæ primariam confirmant, *conc.*; ad exclusionem expositionis litteralis et primariæ, *neg.* Certum enim est, 1º Patres quatuor priorum seculorum constanter ac unanimi consensione intellexisse in sensu litterali, proprio ac primitivo verba Christi de Petri persona, ac de pri-

(1) Dupinius, *De antiq. Eccles. discipl.* pag. 309.

(2) Serm. II, *De Sanctis.*

(3) *De pudicitia*, pag. 574, edit. Rigalt.

(4) Ita rursus Palmer, op. et loc. cit.

matus dignitate illi soli collata (1). Certum est, 2^o ipsam Ecclesiam universalem, orientalem et occidentalem eundem sensum horum verborum professam esse in formula ab Hormisda rom. Pontifice subscribenda proposita orientalibus (2). Certum est proinde 3^o, reliquas tres interpretationes, postea adjectas, non esse nisi secundarias, adventitias, temporarias, ex peculiari occasione datas, et per quamdam, ut aiunt, extensionem applicatas aliis præterquam personæ Petri, et genuinum sensum minime excludere, sed eidem inniti eumque supponere (3).

471. Et sane ut a prima interpretatione, quæ objicitur, incipiamus: Nonnulli Patres verba Christi exponunt de Apostolis in genere, *Dist.* Ratione apostolatus, *conc.* ratione fundamenti, *subd.* exponunt de Apostolis uti fundamento secundario, *conc.*; uti primario, *neg.* Quæ ut magis patefiant, animadvertendum est cum Card. Du Perron, duplicem distingui in Apostolis potestatem, alteram *intrinsicam* et *essentialem*; alteram vero *accidentalem* et *extrinsicam*, seu clarius aliis verbis, potestatem *ordinis* ac potestatem *jurisdictionis*. Illa erat potestas evulgandi Evangelium; conficiendi Sacramenta, Episcopos et Presbyteros consecrandi, Ecclesias fundandi, et similia; isthæc erat potestas præsidendi fidelibus, eosque regendi, errantes revocandi et corrigendi, in

(1) Cfr. Card. Du Perron, op. cit. cap. 56, pag. 448, ubi scribit: *La différence de ces deux expositions est, que l'une est immédiate et l'autre médiante, l'une directe et l'autre collatérale, l'une littérale et l'autre morale; l'une originale et perpétuelle, et l'autre accessoire et temporelle; l'une consignée dès le commencement, et l'autre introduite par occasion.*

(2) In hac enim formula dicitur: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, et a Patrum traditione nullatenus deviare; quia non potest D. N. J. Christi prætermitti sententia,*

dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus; quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. Jam vero Bossueto adnotante: *Hæc professio ab Hormisda Papa dictata, ab omnibus Episcopis orientalibus eorumque antesignanis Constantinopolitanis patriarchis est recepta... ut certum sit hanc formulam a tota Ecclesia catholica comprobata. Defensio declarat cleri Gall. lib. xx, alias xv, cap. 7.*

(3) Cfr. Ballerin. op. cit. cap. 12.

unitate conservandi, aliaque hujusmodi præstandi. In priori potestate æquales Petro fuerunt Apostoli omnes, et hoc sensu vocantur fundamenta Ecclesiæ una cum Petro; in posteriori dispare fuerunt ceteri Apostoli a Petro, quia a Christo, ut vidimus, ipse constitutus fuit fons, radix et fundamentum ecclesiasticæ unitatis (1).

472. Quod vero spectat ad secundam interpretationem: Alii Patres *Petræ* nomine intelligunt Christum ipsum, *Dist.* ut petram principalem et meritoriam firmitatis *petræ* secundariæ, *conc.*; ad exclusionem *petræ* secundariæ, Petri nempe, quæ a *petra* principali firmetur, *neg.* Voluerunt scilicet Patres per ejusmodi interpretationem significare, Christum solum esse *petram* principalem Ecclesiæ, juxta illud Pauli, I Cor. III, 11: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* At non inficiantur, Petrum esse *petram* secundariam et in Christo fundatam, prout postulat orationis series ac verborum constructio. Etenim, si Petro semoto, super se tantum Christus ædificatam Ecclesiam adductis voluisset verbis significare, uti adnotat P. Scheffmacher, sic deberet eorum syntaxis constitui: *Tu es Petrus, tu Simon, quem alloquor, et ego, qui tecum loquor, sum ista petra, et super hanc petram, id est super me, ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cælorum* (2). Quis porro affirmabit, Christum adeo in-

(1) Op. cit. *Réplique au roi de la Grande Bretagne*, cap. cit. p. 450, 458.

(2) *Lettres d'un docteur catholique à un grand homme protestant*, tom. 1, trois. lettr. pag. 171, Strasb. 1730. Huc pariter spectat pulcherrima laudati Cardinalis observatio circa nomen *Petri*, in loco de quo agimus. Voluit Christus his verbis: *Tu es Petrus*, etc. allusionem facere ad nomen S. Petri. Jam vero omnes allusiones ad nomina vel allusiones sunt *confirmationis* vel *reprehensionis*. Allusiones *confirmatio-*

nis illæ dicuntur, quibus probatur aut confirmatur nominis impositio, quod alicui primum datum est, uti cum Vopiscus vocat Imperatorem Probum *vere probum*, et Imperatorem Carum *vere carum*, ac Sanctus Athanasius dicit Hosium *vere hosium*, id est, *vere sanctum*; concilium Constantinopolitanum sub Menna celebratum appellat pontificem Agapetum *vere agapetum*, id est, *dilectum* seu *amatum*. Allusiones *correctionis* illæ sunt, quæ fiunt ad corrigendum ac reprehendendum, aliquem eo quod

concinnter, immo insipienter esse locutum? Itaque non Christus, sed Petrus per illud *petræ* vocabulum apud Matthæum significatur, prout reipsa versiones omnes, si vulgatam excipias, quæ sequitur textum græcum (1), habent constanter: Tu es *petra*, et

immerito nomen gerat ei impositum. Hæc autem correctio duplici ratione fit: aut scilicet per negationem ac per antithesim, uti cum Noëmi dixit: *Ne vocetis me Noëmi*, id est, *pulchram*, sed vocate me *Mara*, id est *Amaram*; aut per translationem, quatenus significatur alteri potius quam illi nomen aptari, cui impositum est; veluti cum S. Augustinus loquens de Absalom, cujus nomen significat *patrem pacis*, asserit verum Absalom esse Christum Jesum. Porro si cum Christus dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, *petræ* voce significavit Petri personam, facere voluit allusionem approbationis; quod si intellexisset seipsum, fecisset allusionem translationis, ac proinde correctionis. At omnia adjuncta clamant, Christam hic nullo modo intendisse ejusmodi correctionem aut improbationem Petro facere, perinde ac si Apostolus indigne Petri seu *petræ* nomen illi impositum gessisset, tum quia ipsemet Christus illi hoc nomen imposuerat, tum quia voluit Christus remunerari ejus fidei confessionem, tum denique quia hunc sensum excludit illud exordium: *Beatus es, Simon Bar-Jona*. Restat igitur, ut Christus voluerit facere allusionem approbationis, ac proinde hoc nomine Petri personam designaverit, non autem seipsum. Cfr. op. cit. pag. 465 et seqq.

(1) Ratio hujus mutationis, in textu græco, *Petri et Petræ*, desumitur ex proprietate linguæ græcæ, in qua voces *Πέτρος* et *πέτρα* in masculino ac feminino genere promiscue usurpantur ad idem significandum. Cum igitur Christus dixerit syriace: Tu es *cepha* (*petra*), et super hanc *cepha* (*petram*) ædificabo Ecclesiam meam, græcus interpres, quoniam id lingua ferebat, masculinum genus Petri personæ, femininum rei, quæ significabatur, accommodavit. Vulgatus latinus sequutus est interpretem græcum. Gratius penitentiorem rationem exhibet, quare Matthæi interpres mutaverit genus, quia nimirum *πίτρος usitate* id non significabat, quod Christus indicatum volebat, videlicet *saxum* tale, super quo aliquid ædificari solet; hinc positum esse *πέτρα*. Ceterum nunc etiam recentiores Protestantes interpretationem petitam ex vocibus *πίτρος* et *πέτρα* explodunt. Satis sit hic exscribere verba Kuinoëlii in hunc loc. *Male*, inquit, *plures interpretes per πέτρα intellexerunt vel Christum ipsum vel professionem Petri ante v. 16 editam. Vid. Suiceri, Thes. eccles. hac voc.; Wolfius in Curis; Koehlerus, anal. ad hunc loc. Neque vero ad has contortas interpretationes confugissent interpretes, si non pontificii e verbis καὶ ἐπὶ ταύτη τῇ πέτρᾳ, ad Petrum relatis, male ac perperam vindicare voluissent Petri successoribus,*

super hanc *petram*; ita syriaca, arabica, persica, æthiopica (1), nec non armena, coptica et ruthena (2).

473. Nec quidquam evincit, quod legitur apud Apostolum: *Petra autem erat Christus*; nam ex eo, quod inibi Christus *petræ* nomine intelligatur, non fluit, ipsomet hoc nomine intelligi Matth. XVI, aut in quovis alio Scripturarum loco, ubicumque vox *petræ* occurrit, quod esset absurdum.

474. Augustinus utique aliique recensiti Patres per *petram* apud Matthæum intellexerunt Christum, non ad excludendum collatum Petro primatum, sed ad indicandam originem firmitatis quam consecutus est Petrus. Deinde vero quia S. Doctor in mutatione *petræ* et *Petri*, ex ignoratione linguæ syriacæ, suspicatus est aliquod latere mysterium; tum etiam, quia cum ipse pugnaret adversus Donatistas, qui Sacramentorum vim ex ministrorum sanctitate derivabant, veritus est, ne, si in *Petro fundata* diceretur Ecclesia, præsidium in eo sui erroris invenirent, maluit ad eripiendum illis quodcumque effugium, fundamenti seu *petræ* rationem ad Christum revocare. Non ita tamen huic interpretationi hæsit Augustinus, ut litteralem et obviam excluderet; siquidem *Enar. in Ps. LXIX*, ita scribit: *Petrus, qui paulo ante eum confessus erat Filium Dei, et in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia* (3); et alibi passim. Ceterum S. Doctor primatum Petri constanter agnovit, sive cum

hoc est, Pontificibus Rom. auctoritatem et prærogativam singularem ac divinam. Est enim protestans rationalista, qui ita scribit). Eadem fere habet Rosenmüller.

(1) Cfr. Walton, *Polyglotta*, tom. v, ad hunc loc. Sine animadversione peculiari dimitti non debet versio persica, quæ sic energice reddit verba Christi: *Et ego tibi dico: Tu es petra religionis meæ (id est, lapis), et fundamentum Ecclesiæ meæ super te extractum erit, et portæ inferi illam non destruent.*

(2) Cfr. Card. Du Perron, op. et loc. cit. pag. 469. Placet hæc omnia confirmare confessione ipsius Bezae, qui textum S. Matthæi ita commentatus est: *Dominus syriace loquens, nulla usus est agnominatione; sed utrobique dixit Cepha; quemadmodum et vernaculum nomen, Pierre, tam de proprio, quam de appellativo dicitur. In græco quoque sermone πέτρος et πέτρα non re, sed terminatione tantum differunt.*

(3) N. 4.

scripsit : *Ecce, ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet ;... a posteriore Paulo esse correctum* (1), sive cum ait : *Cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam* (2), ut alia loca præteream (3). Porro si excipias B. Hieronymum et Theodoretum, quorum expositio, quin advesetur obviæ ac litterali, eam potius aperte confirmat (4), reliqui Augustinum secuti sunt in hac secundaria expositione (5).

475. Ut jam ad tertiam deveniamus interpretationem: plerique per *petram* aut *fidem Petri* aut fidei confessionem intellexerunt, *Dist.* In concreto, nempe Petrum divinitatem Christi confitentem, *conc.*; in abstracto, vel *neg.* vel *subd. causaliter*, ut cum scholis loquamur, *conc.*; *formaliter, neg.* Cum hæc potior difficultas sit ob plurium Patrum, V potissimum et VI seculi, expositionem,

(1) *De Baptismo*, lib. II, cap. I, num. 2.

(2) *Tract. cxxiv, in Joan.* n. 5.

(3) Alia cfr. apud P. Scheffmacher, loc. cit.

(4) Etenim S. Hieronymus, in c. 11 epistolæ ad Galat. scribit : *Non quod aliud significet Petrus, aliud cephas, sed quod quam nos latine et græce petram vocamus, Hebræi et Syri propter linguæ inter se viciniam cephan nuncupent.* In lib. autem III *Comm. in Hierem.* cap. 16 : *Non solum enim, inquit, Christus Petra, sed et Apostolo Petro donavit, ut vocaretur Petra.* Textus, qui objicitur ex Hieronymo, desumptus est ex ejus *Commentario* in cap. VII S. Matth. v. 27, 28, ubi explanans S. Doctor Christi verba : *Qui ædificavit domum suam super arenam*, etc. exponit mystice de Christo,

qui est fundamentum principale et invisibile Ecclesiæ; porro in cap. XVI, nomen Petri de persona Petri interpretatur, dicens : *Ita et Simoni, qui credebatur in petram Christum, Petri largitus est nomen.* Sic etiam Theodoretus, in cap. III, epist. I ad Cor. Quod dixit Apostolus : *Nemo potest aliud fundamentum ponere*, etc. affirmat, Christum esse fundamentum principale, seu potius fundamentum objectivum fidei nostræ, quod Petrus posuit in sua confessione, in quo nulla est difficultas.

(5) Cfr. Franc. Ant. De Simeonibus, *De rom. Pontificis judiciaria potestate*, Romæ 1717, tom. I, cap. I, § 6, ubi adversus Laanojum et Dupinium ostendit, ejusmodi expositionem apprimè conciliari cum litterali propria, etiam in sensu eorum Patrum, qui nobis objiciuntur.

juverit nonnulla animadvertere ad eam enodandam. Patres enim, præsertim post exortam arianam hæresim, cum cernerent, firmissimum catholicæ causæ præsidium inesse illis Petri verbis: *Tu es Christus filius Dei vivi*, atque ob præclaram adeo fidei confessionem a Christo super Petrum ædificatam Ecclesiam esse, summis proinde laudibus eam extulerunt, et ipsammet fidei confessionem fundamentum Ecclesiæ nuncuparunt metonymice, id est, translato nomine effectus ad causam, ut Arianos divini Verbi osores liberius arguerent, traducerentque veluti fundamenti Ecclesiæ eversores vastatoresque. Dum itaque Patres nomine *petræ* intelligunt fidem et confessionem Petri, non divisim a Petro, seu ut scholis loquendi mos est, in *abstracto*, sed in *concreto* spectatam, nempe prout a Petro edita est, eam intelligunt; nec Petrum excludunt, sed supponunt, eadem ratione qua S. Hieronymus docet: *Super aquas ambulasse Petri fidem* (1); id est, Petrum credentem. Adde, ut recte observat S. Ambrosius (2), non super ossa aut super carnem Petri ædificatam Ecclesiam esse, sed super Petrum veram fidem confitentem.

476. Cum igitur secundariæ et adjectæ interpretationes Patrum non modo non opponantur originariæ, litterali ac nativæ expositioni verborum Christi, imo huic innitantur eamque supponant, merito inferimus, adversarii conatus prorsus evanescere, quibus sibi aliisque persuadere nititur, ex prædictarum interpretationum varietate non posse fidei articulum constitui; eo vel magis, quod iidem Patres, qui alias adjecerunt expositiones, etiam originariam ac litteralem præbuerint (3). Hoc sane vel ipse adversarius

(1) Apud De Simeonibus, op. cit. cap. 1, § 5.

(2) *De Incarnat.* cap. 5, n. 34. Cfr. Card. Du Perron, op. et loc. cit. nec non Ballerin. op. cit. cap. 12, § 2, ubi apprime hanc pariter expositionem conciliat cum primaria ac litterali.

(3) Cfr. Card. Gerdil, *Analisi contro*

Launojo, opp. edit. rom. tom. xiii, pag. 10 et seqq. ubi ostendit, illos ipsos Patres, qui alias secundarias interpretationes dederunt textus evangelici: *Tu es Petrus*, etc. dedisse etiam interpretationem, quam vocavimus originariam, primitivam, litteralem ejusdem textus de persona Petri. Cum igitur ex tribus adjectis interpretationibus, quæ

insinuat, dum asserit, Patres eosdem diversis temporibus diversas dedisse interpretationes; quod sic intelligi debet, Patres, primaria interpretatione supposita, alias deinde adjecisse, quæ magis scopo, quem intendebant, opportunæ ipsis visæ sunt.

477. Ad 2^m, *Dist.* Liqueat ex facto admissio a Dupinio, si in sensu Dupinii ejusmodi factum reipsa subsisteret, *conc.*; si factum istud plane confictum sit a Sedis apostolicæ infensissimis hostibus, *neg.* Ad ejusmodi porro figmentum, quod Dupinius, Febronius aliique ejusdem farinae homines cum Richerianis factum autumant, evertendum, insequentem propositionem adjecimus, quæ tota est de hoc argumento. Ejusmodi vero facto seu fundamento sublato ac everso, jam sponte sua concidunt, quæ eidem cum Dupinio suo superstruxit Palmer; quin iis refellendis hic diutius immoremur.

478. Ad 3^m, *Neg.* Quamvis enim *fundamentum* etiam significet id, ex quo incipit ædificium; quamvis *claves* expriment etiam privilegium aperiendi, quod hactenus clausum fuerat, non hæc tamen sola est illis significatio. Ex communi siquidem hominum sensu, atque ex recepta præsertim in libris sacris significatione, fundamenti nomine intelligitur etiam id, quod jugiter erectum semel ædificium sustentat, ac tamdiu subsistere debet, quamdiu idem subsistit ædificium. Ad hanc ideam nobis ob oculos in re, de qua agitur, objiciendam, post verba: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, adjecit Christus: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: id est, infernales potestates nunquam evertent aut concutient ædificium, super ejusmodi fundamento ædificatum. Idem dic de *clavibus*, quibus, ut vidi-

de omnibus Apostolis exponit, semper inter eos Petrum ut fundamentum principale esse affirmet; quæ vero exponit de Christo, ita intelligat, ut Christus sit *petra*, quæ Petram faciat, quatenus nempe, ut loquitur S. Leo M. *Epist.* xxviii, *ad Flavianum*, cap. 5, Petrus a Domino et a principali petra

soliditatem et virtutis trahit et nominis; tertia vero, quæ exponit de fide Petri, de Petro confitente fidem accipi debet, ut patet ex dictis; plane consequitur, eas non solum inter se cohærere, sed omnino primam confirmare, nempe originariam, eique inniti.

mus, suprema significatur potestas in domum, cujus claves alteri traduntur.

479. Ad 4^m, *Dist. Etiam, conc.*; solum, *neg.* Etenim postquam objectus nobis auctor dixit: *Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit*, protinus, vix commate interposito, prosequitur: *Et tanquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat. Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, et petra pro virtute Dominus nuncupatur... Recte consortium meretur nominis, qui consortium meretur et operis* (1). Ideo igitur juxta hunc auctorem Petrus dictus est *petra, eo quod primus in nationibus fundamenta posuerit*, quia jam constitutus erat a Christo primas in Ecclesia sua, et ad instar immobilis saxi universam debebat Ecclesiam ex virtute Christi sustinere (2). Quod si Tertullianus jam montanista iis contradicit, quæ catholicus scripserat, causa est ejus capitalis error, quod scilicet non transierit ad Ecclesiam potestas a Christo Petro et Apostolis collata ligandi et solvendi, seu remittendi peccata. Nimis propterea probaret, quam vellet adversarius (3). Ruit proinde Dupinii conclusio.

480. Inst. Perperam ex Joan XXI inferunt romanenses verbo *pascere* significari potestatem regendi et gubernandi, et vocibus agnorum et ovium universos designari Christianos, pastores ac

(1) Tom. v, pag. 104, 105, opp. S. Ambros. edit. Rom.

(2) Hic observo, interpretationem, quam Palmer asserit esse probabilem, communem apud rationalistas factam esse; etenim Rosenmüller sic explanat hæc Christi verba: *Efficiam te primum constantem religionis meæ professorem, cujus ministerio Ecclesia mea fundabitur... Quum ergo dicit Christus ἀνοδομήσω, tempus illud respicit, quo Petrus primus omnium Judæis (Act. 11, 14 et seqq.), deinde et alienigenis (Act. x, et xv, 7) erat*

annuntiaturus id ipsum, quod hic profitebatur, nempe Jesum esse Christum unigenitum Dei filium. Eandem interpretationem sequitur Kuinoël in hunc loc. et alii passim.

(3) En ejus verba, ex lib. cit. *De pudicit.* cap. 21, edit. Rigalt. p. 574: *Adeo nihil ad delicta fidelium capitalia potestas solvendi et alligandi Petro emancipata... Quid nunc et ad Ecclesiam, et quidem tuam, psychice? Secundum enim Petri personam spiritalibus potestas illa conveniet, aut Apostolo, aut prophetæ.*

populum. Etenim illis verbis non contulit Christus Petro *potestatem*, sed *admonitionem* dedit; perinde ac si dixisset: *Si tu, Simon, diligis me plus his, id ostende diligenter curando gregem meum*. Ita Chrysostomus (1), qui alibi sæpe spectat veluti *officium* seu *jussionem* Petro datam, ostendere dilectionem suam erga Christum zelo pastorali (2). Videtur pariter Augustinus eadem ratione hunc textum intelligere (3). Clerus romanus ætate Cypriani, loquens de cura pastorali, adducit hæc Christi verba, ad indicandum munus Petro a Christo commissum, et extendit ad Apostolos et pastores reliquos (4). 2º Omnium sane Patrum doctrina erat, verba hæc non ad solum Petrum directa fuisse; sed ad omnes ministros Christi Jesu. Tournelyus, Dupinius, Natalis Alex. ac Launojus adducunt auctoritatem Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Basilii, ut evincant non soli Petro, sed Apostolis omnibus eorumque successoribus commissum fuisse gregem pascendum. Barowius illis adjecit Cyprianum, Cyrillum Alex. aliosque. 3º Animadvertit præterea Dupinius, quod si nonnulli Patres, cujusmodi sunt Leo M., Theophylactus et Chrysostomus, totius gregis in universo mundo curam Petro demandatam fuisse docent, et exinde inferunt Petrum ceteris Apostolis fuisse præpositum, in mentem revocandum esse, omnes Apostolos perinde ac Petrum potestate præditos fuisse *docendi omnes gentes*. 4º Quod vero spectat ad interpretationem *ovium* et *agnorum* de *pastoribus* et *populo*, ea incerta est. Theophylactus interpretatur de *perfectis* et *imperfectis* christianis. 5º Quare concludit Dupinius, primatum Pontificis haud posse ex his locis adductis a Bellarmino colligi, saltem ea ratione, qua ipse id contendit; verum censet, quemdam *primatum* inferri posse, quatenus Petrus *repræsentabat* Ecclesiam, et Christus eum præ aliis allocutus fuerit (5). Ergo.

481. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Dist. Admonitionem* dedit

(1) *Hom.* LXXXVIII, n. 8, p. 525.

(2) Apud Launoj. *epist.* VIII, pag. 132, edit. Colon. Allobrog.

(3) *Tract.* XLVII, in *Joan.* tom. III, pag. 607, edit. supra cit.

(4) *Epist.* III, edit. Pamel.

(5) Ita Palmer, op. et loc. cit.

simul et *potestatem*, *conc.*; solam *admonitionem*, *neg.* Supposita siquidem potestate, potuit etiam adjicere admonitionem et exhortationem, qua ad bene fungendum munere suo Petrus magis permoveretur. Ceterum, uti ostendimus; ratio ipsius officii, quod Christus Petro commisit, omnino poscit ac involvit auctoritatem necessariam ad pascendum cum auctoritate gregem; alioquin oves devias neque corrigere, neque revocare posset. Utrumque sane conjunxit S. Joan. Chrysostomus in eo ipso qui nobis objicitur, loco. En ejus verba: *Et cur aliis prætermisissis (Apostolis) de his hunc alloquitur? Eximius erat inter Apostolos, os discipulorum, et cætus illius caput. Ideo Paulus præ aliis hunc visurus venit. Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, fratrum ei præfecturam committit... Dicit autem, si amas me, fratrum præfecturam suscipe* (1). Ac paulo post docet: *Petrum non throni hujus (Hierosolymitani), sed totius orbis doctorem a Christo statutum fuisse* (2). Augustinus autem id unum contendit, quod, cum Christus vellet facere Petrum pastorem bonum, eo quod ei pascendas commiserit oves suas, ipsi prænuntiaverit mortem subeundam pro ovibus, quas ei pascendas tradidit, adeoque universo gregi dominico præpositum supponit (3). Clerus romanus tantum scribit, reliquos Apostolos etiam pavisse gregem Domini, ita tamen ut primatum servet Ecclesiæ romanæ, ideoque et Petro (4). Ex his discimus, quam parum fidendum sit ejusmodi hominum citationibus, qui impugnant Petri primatum.

(1) Καὶ τί δήποτε τοὺς ἄλλους παραδραμῶν, τούτω περὶ τούτων διαλίγεται; Ἐκκριτος ἦν τῶν ἀποστόλων, καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ. διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνέβη τέτε αὐτὸν ἱστορῆσαι παρὰ τοὺς ἄλλους. Ἀμα δὲ καὶ δεικνύς αὐτῷ, ὅτι χρὴ θάρρειν λοιπὸν, ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξέληλαμένης, ἐγγχειρίζεται τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν..... λέγει δὲ, ὅτι εἰ φιλεῖς με, προϊστασο τῶν ἀδελφῶν. Hom. cit. tom. viii,

pag 525, edit. Montfalc.

(2) Ἐκεῖνο ἀν εἶποιμι, ὅτι τοῦτον οὐ τοῦ θρόνου, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδύσκαλον. Ibid. pag. 527.

(3) Cfr. loc. cit. sub finem n. 2.

(4) Reipsa clerus rom. in objecta epistola inter cetera scribit ad clerum Carthaginiensem: *Et cum incumbat nobis, qui videmur præpositi esse, et vice pastoris, custodire gregem*, etc. in quæ verba Pamelius apposite hæc

482. Ad 2^m, *Dist.* Per quamdam extensionem et participationem, salvo Petri primatu, *conc.*; hoc excluso, *neg.* Item: Natalis Alex. et Tournelyus nonnullorum Patrum auctoritatem adducunt, ut ostendant, non soli Petro, sed et reliquis Apostolis eorumque successoribus commissum fuisse gregem pascendum, *Dist.* in sensu exposito, *conc.*; in sensu adversarii, *neg.* Quod vero attinet ad Dupinium, Launojum ac Barowium, quidquid isti sublestæ fidei homines senserint, nihil nostra refert. Igitur, aliud est, Christi verba in quodam sensu ampliativo, ut vocant, atque extensivo applicare etiam Apostolis reliquis, imo generatim omnibus curam animarum gerentibus pro uniuscujusque gradu et ordine, uti fecerunt Patres et nos cum ipsis; aliud vero ita hæc intelligere verba de Apostolis aliisque pastoribus, ut excludatur primatus Petri, quod nunquam Patres præstiterunt, imo contrarium ubique asserunt. Sane Natalis Alex. his Christi verbis utitur cum interpretatione Patrum, ad vindicandum Petro primatum jurisdictionis (1). Hunc eundem primatum colligit etiam Tournelyus ex hoc textu (2). Quod si iidem auctores adducunt etiam auctoritatem Patrum, ut, juxta placita gallicana, quibus ambo adhærent, evincant, Concilium esse supra Pontificem (3),

adnotat: *Videtur alludere ad prærogativam Sedis romanæ, ad quam pertinet Ecclesiarum omnium sollicitudo, de qua latius infra loca Scripturæ hic allegata sunt Ezech. xxxiv, Joan. x et ultim.*

(1) Dissert. iv, in secul. i, prob. 4. Cum ibi retulisset Christi verba: *pasce agnos... pasce oves*, perguit: *Quibus verbis summa rerum in Ecclesia, et sacer, nedum super ceteros fideles, sed etiam super Apostolos ipsos principatus S. Petro a Christo Salvatore collatus est. Ita hunc locum exponunt SS. Patres et veteres auctores ecclesiastici.* Allegat porro auctoritatem Ori-

genis, Ambrosii, Eucherii, Gregorii M. et S. Bernardi.

(2) Etenim Tournely in objecto loco, in primis statuit generalem conclusionem: *Sanctus Petrus primatum accepit a Christo super alios Apostolos.* Hanc vero conclusionem evincit secundo argumento deducto ex Christi verbis apud Joannem: *Quibus verbis, inquit, primatus S. Petri supra ceteros Apostolos merito colligitur... hoc sensu, quod soli Petro tanquam primatum gerenti, et Ecclesiam universam representanti, omnium Ecclesiarum cura et sollicitudo concredita sit.*

(3) Natalis Alex. dissert. iv in se-

hæc privata ipsorum sententia non opponitur primatui jurisdictionis divinitus collato soli Petro; quod nobis in præsentia sufficit. Istorum autem sententiam paulo post expendemus (1).

483. Ad 3^m, *Dist.* Sed immerito hæc Dupinius animadvertit, *conc.*; jure merito, *neg.*: Quomodo enim Apostolorum missio componatur cum Petri primatu, superius diximus.

484. Ad 4^m, *Dist.* Est incerta peculiaris interpretatio, quod nomine *agnorum* significantur fideles, nomine autem *ovium* significantur pastores, *trans.*; incerta est interpretatio, qua complexive agnorum et ovium vocibus significetur universus dominicus grex, *neg.* Duo hæc inter se permisceri nequeunt; nam prior interpretatio nonnullorum est, atque innixa analogiæ agnorum et ovium (2); posterior communis omnium Patrum est, ac priorem includit (3). Includit pariter interpretationem Theophylacti, qui eatenus exponit vocem agnorum de *simplicioribus* fidelibus, ovium vero de *perfectioribus*, quatenus, ut ibid. ipse scribit, Christus *commisit Petro fidelium omnium præfecturam* (4), universi autem fideles distinguuntur in perfectos et imperfectos.

cul. xv et xvi, n. 8; Tournely, loc. cit. ubi contendunt, Petrum vi primatus superiorem quidem esse *super alias Ecclesias particulares*, minime vero superiorem universali Ecclesiæ et Concilio generali, ad mentem concilii Constantiensis, de quo postea.

(1) Ex his colligitur, Palmerum in magna confusione versari, dum permiscet duas quæstiones plane inter se diversas, dogma nempe fidei admissum ab omnibus Catholicis de primatu jurisdictionis Petro a Christo collato, et sententiam gallicanorum, quæ, salva fide, ab ipsis propugnatur circa limites ejusmodi jurisdictionis, utrum nempe auctoritati Conciliorum generalium subijciatur aut e converso.

(2) Hanc distinctionem facile omnium primus dedit S. Eucherus, episc.

Lugdunensis, in sermone de Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli, perperam quondam Eusebio Emisseno adscripto, cujus omnium ore trita verba hæc sunt: *Prius agnos, deinde oves commisit ei; quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos et prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est.* Hunc deinceps alii secuti sunt.

(3) Cfr. Ballerinius, op. cit., cap. 12, § 3, item De Simeonibus, op. cit. cap. 3.

(4) Ἐνεχείρησε μὲν τῷ Πέτρῳ τὴν πάντων τῶν πιστῶν προστασίαν, opp. edit. Venet. 1754, tom. 1, p. 771.

485. Ad 5^m, Resp. Falso ac temere Dupinium ita concludere, ut patet ex discussione, quam fecimus, ejus præmissarum (1). Quod vero attinet ad repræsentationem seu figuram Ecclesiæ, quam Petrus gerebat, cum Christus eum allocutus est, paulo post exponemus, quo sensu intelligi debeat.

486. Obj. tertia et inst. 1^o Si reipsa per adductos textus evangelicos, præsertim vero Matth. XVI, promisisset Christus Petro primatum, haud ortâ subinde esset inter Apostolos contentio, *quis eorum videretur esse major*, ut legitur ibid. XVIII. Christus enim ad compescendam ejusmodi contentionem respondisset,

(1) Quoniam Palmer Dupinii ac Launoji auctoritate utitur, perinde ac si ea quidpiam valeret apud Catholicos, sciat, scriptores hosce ab omnibus sinceris Catholicis respui, atque utpote primatus Rom. Pontificis osores et hostes acerrimos refutari. Et quanquam, ut vidimus, interdum ad fucum faciendum nonnulla intermisceant, quibus videntur adhuc in Petro ac propterea in Rom. Pontifice aliquem primatum et quidem jurisdictionis admittere, re tamen ipsum evertunt. Cfr. quæ de Dupinio habet Charlas, in appendice ad *Tractatum de libertatibus Ecclesiæ gallicanæ*, tom. III, præfat. pag. 5 et seqq. Romæ 1720. Legi præterea merentur, quæ de janseniano, seu potius incredulo homine referuntur in celebri opere ex gallico in linguam italicam converso, *Realtà del progetto di Borgo Fontana*, tom. I, part. III, § 5, pag. 227, Assisi 1787. Clemens XI Brevi dato 10 Apr. 1701 Galliarum regi, gratias ei agens, eo quod Dupinium, quippe qui subscripserat celebri conscientiæ casui, in exilium pepulisset, eum vocat *nequioris doctrinæ homi-*

nem, temerataeque sæpius apostolicæ Sedis reum. Protestans autem Joan. Frickius, in compendio, quod edidit, *Bibliothecæ ecclesiasticæ*, loquens de Dupinio ejusdem *Bibliothecæ* auctore: *Quam probe*, inquit, *semel iterumque vir doctus principiis protestantium, hoc est, veritati accedit!* Et hæc de Dupinio. Quod vero spectat ad Launojum alterum heroem Palmeri, protestans Ant. Reiserus in op. edito Amstelædami anno 1685, cui tit. *Joannes Launojus testis et confessor veritatis evangelico-catholicæ* (id est, *Lutheranæ*) *in potioribus fidei capitibus controversis, adversus Robertum Bellarminum*, etc. in præfat. eum vocat: *Theologum parisiensem et Sorbonistam inter suos jure ac merito celeberrimum, curiæ romanensis, et eorum, quæ ibi adversus Scripturam et antiquitatem orthodoxam publice docentur, et absque ullo rubore aguntur, hostem acerrimum et irreconciliabilem*. Et ejusmodi auctores veluti catholicos nobis opponit Palmer! Cfr. Zaccaria, *Anti-Febbronio, Introduzione*, c. 6, § 10, Cesena 1770.

litem jamdiu esse diremptam ex promissione principatus Petro facta; contra vero Christus respondit: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister* (1). 2° Probe enim noverunt Apostoli, quod Christus, cum omnes interrogasset: *Vos autem quem me esse dicitis?* repondissetque Petrus omnium nomine: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, in persona Petri constituerit omnes eadem ratione fundamentum Ecclesiæ, promiseritque omnibus claves regni cœlorum. 3° Id adhuc apertius liquet ex Matth. XVIII, ubi omnibus ex æquo et in communi confert Christus amplissimam clavium potestatem, ligandi nempe atque solvendi. 4° Quapropter, Act. VII., legitur, Apostolos *misisse* Petrum et Joannem Samariam; quæ agendi ratio ostendit luculentissime Apostolorum omnium omnimodam æqualitatem. 5° Quod si aliquis vindicare sibi posset primatum inter Apostolos, is esset Jacobus potius quam Petrus; Jacobus enim primo loco ante Cepham nominatur a Paulo (Gal. III, 9); ipse constitutus fuit Episcopus Hierosolymitanæ Ecclesiæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum, ac propterea est successor Christi, quia Christus fuit Episcopus Hierosolymæ, non autem Romæ (2); 6° aut saltem Paulus æqualis Petro esset dicendus, cui *creditum est Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis* (3), ac propterea jurisdictio inter ipsos divisa est; 7° Paulus præterea Petro *in faciem restitit, quia reprehensibilis erat* (4). 8° Hoc insuper docent Patres, qui Paulum vel *Apostolorum ducem* vocant, ut Chrysostomus (5), vel *Apostolorum maximum et primum omnium*, ut idem S. Doctor (6), vel *Apostolorum supremum*, ut Hilarius Arelatensis (7), vel *principem* aut *proto-coryphæum*, ut patres Florentini (8). 9° Id ipsum suadent vetera monumenta, imagines

(1) Matth. xx, 26. Ita Magdeburg. centuriatores, cent. II, cap. 7.

(2) Ita Febronius et Tamburinius, quibus jam præverant protestantes.

(3) Galat. II, 7.

(4) Ibid. versa II.

(5) Hom. I, *De precatone*, opp. tom. II, pag. 782, edit. Maur.

(6) Hom. III, in Matth. tom. VII, pag. 42.

(7) Apud Veith S. J. *De primatu et infall. rom. Pont.* August. Vindel. 1781, pag. 42.

(8) Ibid.

scilicet et nummi, in quibus Paulus ad dexteram, Petrus ad lævam visitur; 10^o suadent denique facta ipsa Rom. Pontificum, qui Petri et Pauli auctoritate se suffultos asserunt, dum aliquid magni decernunt. 11^o Sane Papebrochius omni documentorum genere ostendit, Paulum fuisse Episcopum romanum (1). Ergo.

487. Ad 1^m, *Dist.* Si Apostoli, tunc rudes adhuc, promissionem Petro factam sub duplicis metaphoræ velamine probe intellexissent, *trans.* vel *conc.*; si eam, omnimode saltem, assecuti non sint, *neg.* Cum ageretur de promissione in futurum adimplenda et sub figurata locutione facta, nil mirum, si ejus vim rudes admodum Apostoli assecuti non fuerint; cum tamen aliquid de futuro Petri primatu suspicati fuissent, ideo orta est inter illos contentio (2). Christus porro omne volens ex ipsorum corde ambitionis ulcus convellere, eos adhortatus est ad sectandam humilitatem, proposito sui ipsius exemplo. Licet enim ipse foret omnium magister et dominus, attamen ita se gessit, perinde ac si esset omnium administer. Ex quo intelligimus, Christum in data responsione noluisse excludere dignitatem ac principatum, sed solum ambitum et dominationis abusum. Hoc melius apparet ex Luc. XXII, 26, qui sic verba Christi refert: *Qui major est in vobis, fiat sicut minister, et qui præcessor est* (*Ἡγούμενος, Dux*), *fiat sicut ministrator* (3).

488. Ad 2^m, *Neg.* sequelam. Etenim ex eo, quod Christus Apostolos omnes interrogaverit, non sequitur, ad omnes eadem ratione spectare verba, quibus ipse remuneratus est fidem et confessionem Petri. Nam, 1^o ceteris hæsitantibus Apostolis et tacentibus, solus Petrus, cui Pater revelaverat æternam filii sui generationem, respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; cui propterea vicem rependens Christus reposuit: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.* Adeoque illum solum Christus constituit petram Ecclesiæ suæ, quem Pater præelegerat ad manifestandam divinitatem Filii sui; hic autem

(1) *In exhibit. error.* part. 1, art. 7, Hieronymus, in cap. xviii Matth. ad accusat. 5.

(3) Cfr. Card. Du Perron, op. cit.

(2) Ita Origenes, Chrysostomus, cap. 56, pag. 455.

solus fuit Petrus. Quod ostendit series sermonis ipsius Christi, qui propterea adjecit : *Et ego dico tibi*, etc (1). 2^o Quia Christus singulari numero alloquitur solum Petrum. 3^o Quod si ceteris Apostolis facta est communis responsio Petri, id tantum contigit per consensionem et approbationem, non autem alia ratione; ac proinde, quod consequens est ac Patres adnotant, etiam per *participationem et quamdam communicationem* facti et ipsi sunt *petra et fundamentum* Ecclesiæ, per adhæSIONem ad petram principalem, quæ fuit Petrus (2). Ex his etiam patet, quo sensu dixerit Hieronymus : *Super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidatur* (3), quodque nobis objici solet.

489. Ad 3^m, *Dist.* Sed diversa ratione ab ea, qua soli Petro clavium potestatem promisit, *conc.*; eadem ratione, *neg.* Nam reliqui Apostoli, quicquid acceperunt, acceperunt in communi et una cum Petro; Petrus vero, quicquid accepit, accepit seorsum a reliquis ac singulariter. Hinc omne id, quod ceteri Apostoli, etiam

(1) Optime S. Leo M. ita Christum Petram alloquentem inducit : *Ideo beatus es, quia te Pater meus docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cælestis instruxit; et non caro et sanguis, sed ille me tibi, cuius sum unigenitus Filius, indicavit. Et ego, inquit, dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita ego tibi notam facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut, quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Serm. 14, *De natali ipsius* 14, tom. 1, col. 17, edit. Baller.

(2) Cfr. Card. Du Perron, loc. cit.

Atque ita corruunt objectiones Febronii et Eybel aliorumque primatus Petri osorum.

(3) *Cont. Jovinian.* lib. 1, n. 26, ubi præterea e vestigio subdit : *Tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Edit. Vallars. tom. 11, col. 279. Ceterum, cum nonnulli protestantes animadverterint, perperam detorqueri in alium sensum Christi verba, quod nunquam antea pertentatum fuerat, ætate hac nostra saltem in dubium textus hujus *authentiam* revocare sategerunt, prouti fecit Schultessius in op. *Vom Abendmahle*, seu *De Cæna*, etc. pag. 21 et seqq. Verum insulsam prorsus opinionem risit vel ipse Bretschneider. Cfr. Roskovany, *De primatu rom. Pont.* § 2, not. (2), Augustæ Vindel. 1834.

simul sumpti, a Domino sunt consecuti, consecutus etiam est Petrus; sed non e converso id omne, quod habuit Petrus solus, ceteri pariter habuerunt Apostoli. Aliquid propterea Christus contulit speciale Petro, quod non contulit reliquis Apostolis, id est, præminentiam atque primatum. Quo sensu scripsit S. Cyprianus de Petro: *Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas... ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit* (1); et alibi: *Et una Ecclesia, et cathedra una super petram Domini vere fundata* (2). Atque exinde factum est, ut apposite animadvertit Card. Du Perron, ut soli romani Pontifices dicantur in *recto* successores S. Petri et in cathedra Petri, reliqui autem Episcopi in communi dicantur successores Apostolorum, nemo autem singulariter dicatur successor alicujus peculiaris Apostoli, et in ejus cathedra; nec nisi in *obliquo*, quatenus scilicet in communione sunt cum cathedra Petri, aliquo modo dicuntur succedere etiam in cathedra Petri, cum qua sunt conjuncti mediante romano Pontifice pro tempore, Petri successore (3).

(1) *De unit. Eccles.* edit. Maur. pag. 195.

(2) Epist. XL, pag. 53.

(3) Op. cit. *Réplique à la réponse du roi de la Grande-Bretagne*, cap. 56, pag. 454. Etiam Petrus de Marca in opusc. seu dissert. *De discrimine cleric. et laic. ex jure divino*, etc. cap. 3, § 2, hæc in rem nostram scribit: *Christus Dominus noster Apostolis omnibus et singulis in solidum Ecclesiam suam fundandam, docendam et regendam commisit, ea tamen lege adjecta, ut Petrus inter eos primatum gereret et caput esset collegii illius apostolici, eo fine scilicet, ut, præter communem cum aliis curam, unitatis conservandæ in exercendo regimine sollicitudo præcipue et specialiter illi*

competeret. Ideoque, ut consilium illud Apostolis significaret, Petrum Christus veluti petram atque fundamentum ad Ecclesiam ædificandam constituit. Præterea sermone ad illum coram ceteris specialiter directo claves Ecclesiæ postmodum ipsi tradendas spopondit cum potestate ligandi atque solvendi. Quæ pollicitatio Petro facta ad ceteros quoque Apostolos pertinebat, et ad Ecclesiam universam, ejusque pastores in futurum præficiendos scilicet ut scirent omnes pontificii, potestatem semper cum Petri Ecclesiæ capitis communione et unitate retinendam, ad quod ipse præcipue cum potestate ligandi contumaces huic unitati cogere posset.

490. Ad 4^m, *Dist.* Petrus et Joannes missi sunt Samariam ab aliis Apostolis missione consilii, suasionis ac precis, *conc.*; missione auctoritatis, *neg.* Scilicet eadem ratione missi sunt Samariam Petrus et Joannes, qua Phinees et principes tribuum missi sunt ab Israelitis (Jos. XXII, 13, 14), et Antiochiæ fideles miserunt Paulum et Barnabam ad consulendos Apostolos (Act. XV, 2). Ad ea igitur, quæ maximi omnium visa sunt momenti, peragenda, qui inter ceteros primores fuissent legati missi sunt, non quasi a majoribus minores aut ab æqualibus æquales, sed quoniam ad id muneris obeundum postularentur. Porro cum Samaritani in summo versarentur discrimine ob Simonis magi præstigias, idcirco Samariam missi sunt præcipui inter Apostolos, ad detegenda Simonis incantamenta atque ad impediendam Samaritanorum seductionem (1).

491. Ad 5^m, *Neg.* Siquidem hunc primatum Jacobi non evincit in primis ordo exhibitus a Paulo in epist. ad Galatas; ut enim omittam, plures lectiones antiquas græcas et latinas, plures Patres, Hieronymum, Chrysostomum, Theodoretum, Augustinum habere *Cephæ, seu Petrum, Jacobum et Joannem* (2), exploratum est, S. Paulum loc. cit. non tenuisse ordinem dignitatis ac eminentiæ, sed ordinem cognitionis, quatenus scilicet, cum Apostolus Hierosolymam petiit, invenit omnium primum Jacobum, quia Petrus absens erat; adeoque Jacobus prius cognovit gratiam Dei, quæ data erat Paulo (3).

(1) Cfr. Card. Baronius, ad annum Christi 35, n. 10.

(2) Hieronymus, *Comment. in epist. ad Gal.* lib. 1, cap. 2, v. 7, 8. In Bibliotheca autem divina sequitur ordinem vulgatæ; sed cfr. ibi adnotatio Vallarsii; Chrysostomus, *Comment. in eandem epist.* tom. x, pag. 685; Theodoretus, in *Comm. in cap. xv epist. ad Rom.* v. 26, tom. III, pag. 112, nec non in argumento præmisso hujus epistolæ commentario, tom. III,

pag. 263; Augustinus, *Exposit. epist. ad Gal.* tom. III, part. II, pag. 948.

Cfr. etiam Card. Du Perron, op. et loc. cit. pag. 456. Inter ceteras lectiones, in quibus alius ordo habetur diversus a vulgatâ, doctus Cardinalis allegat etiam textum græcum Complutensem; at eum expendi, et omnino illum comperi conformem textui communi.

(3) Estius censet, primo loco Jacobum nominari hic ab Apostolo ob ho-

492. Neque præterea ejusmodi principatum Jacobi evincit ejus episcopatus hierosolymitanus. Nam licet Solymorum Ecclesia prima fuerit *antiquitate*, non tamen prima fuit *dignitate* et magisterio; universa enim Ecclesia præstantiam dignitatis in Ecclesia romana semper agnovit (1). Præclare Joan. Chrysostomus: *Quod si quis dixerit: Cur ergo Jacobus Hierosolymorum thronum accepit? Respondebo: Petrum non throni hujus, sed totius orbis doctorem a Christo statutum fuisse* (2). Et paulo post

norem Domini, cujus erat frater, et et quia Hierosolymorum Episcopus erat, ubi hæc gerebantur, idemque maximi nominis apud Judæos ob sanctitatis opinionem, ut liquet ex Josepho et Hegesippo. Cfr. in *Comm.* in hunc loc. Ceterum vere hæreticis, id est, protestantibus ætatis nostræ aptare possumus, quod de hæreticis ætatis suæ scribebat Anastasius Sinaita, in op. cui tit. *Ὁδηγός*, seu *Dux viæ*, *Adversus acephalos*, cap. 13, edit. Ingolstad. 1606, pag. 240: *Ἄλλ' οἱ αἱρετικῶν παῖδες εἰκόασιν μονοφθάλμοις τισὶν ἀνθρώποις, τὰ μὲν τῶν πατέρων καθαροῦντες, τὰ δὲ παρορῶντες*, nempe: *Et hæretici quidem similes sunt monoculis; quædam enim Patrum (idem dic de Scripturis) dicta intelligunt; alia vero prætereunt.* Etenim, si hunc unicum locum excipias Galat. 11, 9, et quidem probabilibus de causis, ubique, sive in Evangeliiis, sive in aliis Novi Testamenti libris, ubi mentio fit Petri aliorumque Apostolorum, constanter Petrus primo loco recensetur; attamen quia hic primo loco ponitur Jacobus, deinde Cephas nominatur, cetera omnia testimonia prætereuntes, inferunt, Jacobum superiorem fuisse Petro!

(1) Cfr. Emman. Schelstraete: *Antiquitas Ecclesiæ*, Romæ 1697, tom. 11,

dissert. v, cap. 51, ubi ostendit, sedem hierosolymitanam solum honoris privilegium præ cæteris Palæstinæ civitatibus a tempore Ælii Hadriani usque ad quarti seculi finem meruisse, post quod tempus Cyrillus dignitatem metropolitanam, Joannes vero autocephalam prætenderent. Sane Nicænum Concilium, can. vii, hæc habet: *Quia consuetudo obtinuit et antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva metropoli propria dignitate.* Quibus postremis verbis Patres Nicæni salvam volunt metropolis Cæsarensis dignitatem, cujus Hierosolyma tunc erat suffraganea. Primum semper locum habuit Ecclesia Romana in tota antiquitate, Alexandria secundum, tertium vero Antiochena, idque in honorem S. Petri, qui aut in illis Ecclesiis sedit, aut misit discipulum suum speciali missione ad eam instituendam, Marcum nempe Alexandriam.

(2) *Εἰ δὲ λέγοι τις, πῶς οὖν ὁ Ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαβε τῶν Ἱεροσολύμων; ἐκεῖνο ἀν εἶποιμι, ὅτι τοῦτον οὐ τοῦ θρόνου, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον.* Loc. cit. ex *Hom.* lxxxviii, in *Joan.* tom. vii, pag. 527. edit. Montf.

iterum confirmat, Christum Petro *orbem commisisse* (1). Ridiculum porro est, quod adjicitur de successione Jesu Christi, perinde ac si Christus haberet successorem.

493. Ad 6^m, *Neg.* Ad cons. *Dist.* Per specialem electionem Petri ad conversionem Judæorum, et Pauli ad conversionem gentium, neque id quidem exclusive, *conc.*; per divisionem auctoritatis, *neg.* Voluit scilicet Paulus objectis verbis significare, specialem gratiam et vocationem datam a Deo fuisse Petro ad conversionem Judæorum, sibi vero ad conversionem gentium. Id vero in sensu exclusivo Apostolum minime protulisse, patet ex facto, cum et Petrus omnium primus admiserit gentiles in Ecclesiam (2), Paulus autem constanter prius prædicaret Judæis in synagogis antequam se converteret ad gentes (3).

494. Ad 7^m, *Dist.* Restitit correctione fraterna, quoad modum conversandi, quo utebatur Petrus, *trans.*; uti superior inferiori, aut uti æquali, *neg.* Omnes autem norunt, posse subditum, dummodo debita reverentia fiat, superiorem commonefacere, ac teneri superiorem lege naturali atque divina veritati et rationi legitimæ, etiam ab inferiore sibi propositæ, consentire atque acquiescere, prouti reipsa Petrus se gessit (4). Transmisimus porro primum distinctionis membrum, cum nondum inter eruditos conveniat, utrum *Cephæ* nomine hoc in loco veniat Petrus an alius discipulus a Petro diversus (5).

(1) Ibid n. 2. Etiam S. Bernardus; *De consid.* lib. 11, ait: *Jacobus una Hierosolyma contentus, universitatem Petro cedit.* Cfr. Bellarm. *De rom. Pontif.* lib. 1, cap. 26.

(2) Act. x, xv, 7, 17.

(3) Ibid. xiii, xiv, etc.

(4) Cfr. Card. Du Perron, loc. cit. pag. 457, ubi ostendit, ejusmodi reprehensionem non fuisse *auctoritatis*. sed *charitatis*, allegatis testimoniis S. Augustini et S. Joan. Chrysostimi.

(5) Cfr. Harduinus in peculiari dis-

sert. in qua *Cephæ a Paulo reprehensum Petrum non esse ostenditur*, inter opera selecta ejusd. auctoris, Amstelod. 1709, pag. 920 et seqq. Vallarsius quoque in adnotationibus ad *Comment. S. Hieronymi in epist. ad Galat.* lib. 1, cap. 2, in Harduini sententiam propendit., item Zaccaria in collectione, cui tit. fecit: *Raccolta di dissertazioni di storia ecclesiastica*, Roma 1793, tom. III, dissert. x, *Su Cefa ripreso da S. Paulo*, pag. 202 et seqq., aliique non pauci. Antiquis-

495. Ad 8^m, *Dist.* Hisce titulis Paulum cumularunt SS. Patres ob magnos ejus in apostolatu exantlatos labores, *conc.*; ob ejus cum Petro æqualitatem, aut etiam præeminentiam, *neg.* Nam hi ipsi Patres constanter Petrum principem Apostolorum et Ecclesiæ caput agnoverunt et professi sunt, uti ostendimus.

496. Ad 9^m, *Dist.* Ob accidentales causas, quas recensent archæologi (1), *conc.*; ad Pauli prælationem significandam aut æqualitatem cum Petro, *neg.* Atque ut alia præteream, in antiquis nummis Imperatores christiani interdum occurrunt ad dexteram Deiparæ; in nonnullis vitris ac picturis Petrus ad dexteram, Christus vero ad lævam visitur (2).

497. Ad 10^m, *Dist.* Ad implorandum utriusque patrocinium, *conc.*; ad parem utrique auctoritatem tribuendam, *neg.* Merito autem utriusque patrocinium Romani Pontifices implorant ad munus sibi commissum rite obeundum, cum utriusque peculiare sint Ecclesiæ romanæ patroni, quam simul laboribus ac doctrina excoluerunt, imo et sanguine irrigarunt. Quod si interdum Rom. Pontifices commemorant auctoritatem Petri et Pauli, id in sensu, ut aiunt, accommodo ad ipsorum mentem intelligi debet (3).

sima hæc quæstio est, nec pauci neque ignobiles scriptores distinguunt hunc Cephæ a Petro. Hæc indicavi; non quod ipse huic sententiæ adstipulari velim, sed eo tantum animo, ut ostendem, non esse adeo exploratum, quod pro certo adversarii assumunt.

(1) Cfr. Arringhius, *Roma subterranea*, tom. II; Boldetti, *Osservazioni sopra i Cimiterj de' santi Martiri*, cap. 39, pag. 192 et seqq.; Bosio, *Roma sottterranea*, Roma 1754, tom. III, pag. 193; Buonarrotti, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro*, Firenze 1716, pag. 77. Cfr. etiam eruditus Theophilus Raynaudus S. J. tum in *Heteroclitis*, part. I, sect. 3, punct. I, n. 5, opp. edit.

Lugd. 1665, tom. xv, tum in opusc. cui tit. *De bicipiti Ecclesia sub SS. Petro et Paulo*, punct. VII, n. 4, opp. tom. x.

(2) Cfr. Veith, op. cit. pag. 43; necnon Bened. Justinianus S. J. *In omnes B. Pauli epistolas explanationum*, tom. I, Lugd. 1612, *Proleg. de Apostolatu*, disp. I, cap. 9, § 8, 9.

(3) Cfr. Theoph. Raynaudus, op. et loc. cit. n. 2, qui fuse adversus hanc jansenianorum hæresim de Ecclesia bicipiti dimicat. Omnium primi illud paradoxum excogitarunt Martinus de Barcos, in op. edito Paris. 1645, *De la grandeur de l'Eglise rom. établie sur l'autorité de saint Pierre et saint Paul*; et Ant. Arnaldus in op. *De l'au-*

498. Ad 11^m, *Dist.* Id est, Petro adiutorem in subeundis Romæ muneribus episcopalibus, *conc.*; æqualem Petro ac independentem, *neg.* Ita enim mentem suam aperit Papebrochius et mentem SS. Patrum, Rom. Pontificum et catholicorum scriptorum in asserendo romano episcopatu Apostolo Paulo, ad amovendam calumniam in se conflata a P. Sebastiano a S. Paulo (1).

torité de saint Pierre et de saint Paul, résidant dans le Pape leur successeur, Paris. eodem anno.

(1) Cfr. Opusc. cui tit. *Responsio Daniel. Papebrochii ad exhibitionem errorum*, etc. Antwerp. 1696, part. 1, art. 2, § 1, n. 14, art. 5, § 7, n. 12, art. 7, n. 19, etc. ubi thesim de *Ecclesia bicipiti* ab Arnaldo aliisque jansenianis introductam ut hæreticam rejicit, statuitque rationem capitis penes unum S. Petrum constare *Catholicorum omnium consensu*. Dum hic agerem de primatu S. Petro divinitus collato, nullam mentionem injeci nonnullorum recentium ejusdem impugnatorum, Philareti ex. gr. metropolitæ Moscoviensis, qui plura refert ad eum impugnandum, et anonimi cujusdam protestantis genevensis. Ille nimirum in opusc. cui tit. *Dialogus inter dubitantem et persuasum de orthodoxia orientalis græco russæ Ecclesiæ*, Petropoli 1829, pag. 129, et seqq.; alter vero in dissert. *Du pouvoir de saint Pierre dans l'Eglise*, Genève 1833. Nihil porro isti proferunt, quod millies non fuerit contritum, atque etiam difficultatibus hic a nobis prolatis ac dissolutis præoccupatum non sit. Ideo eos negligendos duxi, cum præter impudentiam in

affirmando ac vesanas declamationes nihil habeant de suo. Proferam specimen gratia, quæ scribit furiosus iste protestans, pag. 19. *Eh! la conscience et le sens moral tout seul*, inquit, *ne nous disaient-ils pas d'avance que des hommes couverts d'orgueil, d'avarice, d'adultère, ne peuvent avoir reçu un privilège pareil? ne peuvent délier, étant eux-mêmes encore dans les liens de Satan? ne peuvent pardonner, étant eux-mêmes encore sous la malédiction?* Et ita passim plebeius hic scriptor loquitur in opusculo cit., quod sub oculis habeo. Accepi autem, hoc ipsum opusculum denuo recusum ampliori forma fuisse anno 1840, sub tit. *Appel à la conscience de tous les catholiques romains, particulièrement adressé au Pape, sur le vrai sens du passage Tu es Pierre*. Quæ quidem editio furore ac impudentia priorem longe excedit, atque veri auctoris sui nomen præ se fert, nempe A Bost Evangelici ministri. Lacescit porro hic auctor in limine ipso opusculi Gregorium XVI, Archiep. Tolosanum tauquam Galliarum primatem, viros doctos, ac membra quæcumque romanæ Ecclesiæ. Adeo insane debacchatur stultulus hic protestans!

PROPOSITIO II.

Christum contulisse Petro primatum honoris et jurisdictionis in universam Ecclesiam, cui propterea eum caput præfecit, ex traditione evincitur.

499. Quoniam nonnulli primatus Petri adversarii nos provocare non abnuunt ad traditionem, quam se præterea venerari profitentur, cujusmodi præcipue sunt qui ad novam scholam Oxoniensem pertinent, ideo libenter ad eam discutiendam accedimus, tum ut pateat, arbitrariam haud esse textuum evangelicorum interpretationem, quam catholici sequuntur, tum ut sensus antiquitatis magis elucescat, tum denique ut plenior evadat causæ nostræ triumphus.

500. Ne tamen angustos tractationis fines, intra quos nos continere debemus, prætergrediamur, cumque agatur de testimoniis, quæ omnibus pervia sunt ac vulgatissima; uti alias in pari casu nos gessimus, ea ad quædam generalia principia veluti in tabulam synopticam redigemus, ut unico veluti obtutu Patrum hac in re doctrina conspici atque usurpari possit. In septem propterea classes sic Patrum hæc testimonia distribuimus.

501. Prima complectitur eos Patres, qui verba Christi, Matth. XVI, de Petri persona directe intellexerunt, et ita intellexerunt, ut Petro præeminentiam et auctoritatem supra reliquos Apostolos a Christo collatam agnoscant. Tales porro sunt XVII, ipso Launojo fatente, id est, omnes Patres, qui quatuor prioribus seculis potissimum floruerunt, nempe Tertullianus (1), Origenes (2), Cyprianus (3),

(1) *De præscript.* cap. xxii, nec non in lib. *De monogam.* cap. 8.

(2) *Hom. v. in Exod.*, in cap. 17 Matth. et lib. v *In epist. ad Rom.* sicque apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. vi, cap. 19.

(3) *Epist. lxx, ad Januar.* Quoniam vero Launojus aliam lectionem secutus est, verba Cypriani afferam, prout ea exhibent Pamelius, Rigaltius, Baluzius et cum ipso Maurinus editor. Quando

et baptisma unum sit, et Spiritus Sanctus unus, et una Ecclesia a Christo Domino super Petrum (Launojus habet petram) origine unitatis et ratione fundata. Sic etiam Epist. lxxiiii. ad Jubaj. Nam Petro, inquit, primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit (quæ verba omisit Launojus), potestatem istam dedit, ut id solveretur in cælis, quod ille sol-

Firmilianus (1), Hilarius (2), Basilius (3), Ambrosius (4), Epiphanius (5), Gregorius Nyssenus (6), Hieronymus (7), Augustinus (8), Cyrillus Alex. (9), Leo M. (10), Maximus Taurinensis (11), etc.

502. Secunda classis eos exhibet Patres et scriptores ecclesiasticos, qui necessitatem adstruunt fidei Petri adhærendi, ut quis possit unitatem fidei servare, neque inter hæreticos deputari. Tales autem sunt ii omnes, qui exponunt eadem Christi verba: *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc. de fidei confessione a Petro edita et prædicanda; quatuor nempe supra quadraginta, quos idem Launojus recenset (12). Etenim, ut in præcedenti

visset in terris. Tum paulo post ibid. et in lib. De unit. Eccles. edit. Maur. pag. 194: Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, etc.... super illum unum ædificat Ecclesiam suam. Plura alia occurrunt in eodem libro omissa a Launojo.

(1) In *Epist. ad Cyprian.*

(2) In cap. xvi Matth. atque in Psalm. cxxxii.

(3) In cap. ii Isai.

(4) *Serm. xlvi.*

(5) In *Ancorato.*

(6) *Orat. xxvi.*

(7) In cap. xvi Matth. et in epist. LVII, ad Damas. nec non in epist. ad Marcellam adv. Montan.

(8) *Retractat. lib. i, cap. 21*, ubi sic scribit: *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipso petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio, me postea sæpissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est:*

Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (quæ omnia verba omisit Launojus), *ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens: Tu es Christus filius Dei vivi, ac si Petrus ob hoc petra appellatus, personam Ecclesiæ figurans, quæ super hanc petram ædificatur, et accepit claves regni cælorum. Non enim dictum est illi: Tu es Petra, sed tu es Petrus. Petra enim erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus* (quæ pariter omisit Launojus). *Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector. Cfr. edit. Maur. tom. i, pag. 32.*

(9) *Lib. II, super Joan. cap. i.*

(10) *Epist. lxxv, ad Leonem Augustum.*

(11) *Hom. i, in Natali Petri et Pauli.*

(12) *Epist. vii, ad Voellium, edit. Colon. Allobrog. tom. v, part. II, pag. 106 et seqq.*

prop. ostendimus, dum Patres super fidei confessionem ædificatam a Christo Ecclesiam decent, non confessionem Petri in abstracto significant, sed in concreto, ita ut sensus sit, Christum ædificasse Ecclesiam suam supra Petrum confitentem ac prædicantem veram fidem. Quare, ut scite observat Ballerinius (1), non unicum illum fidei articulum de Christi divinitate complectuntur, sed universam fidem, quam Petrus prædicare debebat, ac Petrus propterea non solum Ecclesiæ *petra* et *fundamentum* a Patribus dicitur, sed *petra fidei* et *fidei fundamentum*. Hinc merito Cassianus sic Petrum loquentem inducit: *Illic habes personam meam, ubi confessionem meam* (2). Porro cum Petrus neminem adigere posset ad unitatem fidei a se professæ et prædicandæ absque suprema auctoritate, qua dissidentes cogere valeret, plane consequitur, ex Patrum mente illis verbis fuisse Petro primatum jurisdictionis a Christo collatum (3).

503. Tertia classis constituitur ex illis Patrum testimoniis, qui rationem tradunt, quare Christus in Petro instituit primatum, ad constituendam videlicet conservandamque utriusque, fidei et communionis, in Ecclesia unitatem. Tales sunt ii omnes, qui hanc tesseram adstruunt ad discernendos a Catholicis hæreticos et schismaticos, qui nempe non tenent fidem et communionem cum cathedra Petri; uti Irenæus (4), Tertullianus (5), Cyprianus (6),

(1) Oper. cit. *De vi ac ratione primatus*, cap: 12, § 2, n. 47.

(2) Lib. III, *De incarn.* cap. 12, edit. Alardi Gazæi Paris. 1642. In Missali gothico legitur: *Per hanc fidei petram basis Ecclesiæ fixus est* (Petrus).

(3) Cfr. Ballerinus, loc. cit.

(4) Lib. III, *Cont. hæres.* cap. 3: *Maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successionem Episcoporum venientem*

usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitate[m] et malam sententiam præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentior[em] principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique, fideles, etc. In quæ verba cfr. quæ egregie scribit D. Massuet, diss. 3, art. 4.

(5) *De præscript.* cap 21. Cfr. Chr. Lupus, *Schol.* in cap. 36, *De præscript.*

(6) *Epist. LV: Petri cathedra atque Ecclesia principalis, unde unitas sa-*

Firmilianus (1), Optatus (2), Pacianus (3), Eusebius Vercellensis (4), Gregorius Nazianzenus (5), Ambrosius (6), Conc. Aquilejense (7), Hieronymus (8), Augustinus (9), etc. Qui quamvis directe non semper loquantur de Petro, sed de sede Petri, cum tamen non aliam ob causam, quam ex eo quod Pontifices romani successores sunt S. Petri, cui personalis ejusmodi prærogativa a Christo tributa fuerit primatus in universam Ecclesiam, talia prædicaverint, liquet, omnimodam vim hujusmodi Patrum testimonia habere, æque ac si directe de Petri primatu loquerentur (10).

504. Quarta classis ex illis exurgit Patribus, qui verba Christi, Joan. XXI, de suprema in universos Apostolos et universam Ecclesiam auctoritate interpretantur. Sane prælationem Petri super Apostolos reliquos exinde colligunt S. Leo M. (11), S. Joan.

cerdotalis exorta est. Et in lib. *De unit. Eccles.* passim, ac præsertim pag. 195, ubi legitur: *Qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Equidem scio, hæc veluti glossema a nonnullis criticis respui; verum et illud novi, hæc ipsa verba ita referri in Pelagii II, *Epist. ad Episcop. Istriæ*, et in antiquis etiam quibusdam codicibus reperi, ac propterea retineri ab editoribus Manutio, Pamelio, Rigaltio, Maurino. Hic autem præterea in præf. § 3, observat, etiamsi verba hæc dispungerentur, nihil hoc doctrinæ officere Cypriani, qui alibi passim, præsertim *epist. xl*, hunc primatum Petri et necessitatem huic adhærendi primatui, ut quis in Ecclesia Christi censeri debeat, inculcat. Sed eum adisis loc. cit.

(1) In *Epist. ad Cyprian.*

(2) Lib. VII, *In Parmenian.* edit. Albaspin. pag. 107, cujus textum inferius dabimus.

(3) *Epist. III, ad Sympron. Ipso referente Matthæo*, inquit... *ad Petrum locutus est Dominus, ut unitatem formaret ex uno.*

(4) In *epist. Liberii ad eundem.*

(5) In *Carmine vitæ suæ.*

(6) In *Psalm. IV*, num. 30, cujus præclara hæc sunt verba: *Ipse est Petrus, cui dixit Christus: Tu es Petrus... Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia.*

(7) Cui præfuit S. Ambrosius, tom. II, opp. S. Ambr. class. 2, *epist. 2.*

(8) *Cont. Jovin.* lib. 1, n. 26, et *Epist. xv, ad Damas.* n. 2, edit. Vallars.

(9) In *epist. XLIII*, n. 7; *In Psalmo cont. part. Donati*, tom. X, pag. 7.

(10) Cfr. *Ballerin. op. cit. cap. 13*, § 1 et seqq. a pag. 99 ad 220, ubi singulorum Patrum testimoniorum vim fuse expendit.

(11) *Serm. III, de Natali ipsius*, cap. 4, edit. Ball. pag. 11, et *Serm. IV*, cap. 2, pag. 16.

Chrysostomus (1), Stephanus Dorensis (2), S. Eucherius (3), quibus omnibus præverat S. Cyprianus (4). Super universam Ecclesiam Petrum illis verbis fuisse constitutum, aperte docent Hilarius Diaconus (5), S. Maximus Taurin. (6), S. Gelasius (7), Ecclesia Orientalis universa in epistola ad Symmachum Papam (8), Arator Subdiaconus (9), S. Joan. Chrysostomus (10), S. Ambrosius (11), S. Leo M. (12), S. Gregorius Magnus (13), S. Bernardus (14), Theophylactus (15), quos omnes antecessit Origenes (16).

(1) Hom. LXXXVIII, n. 1, edit. Maur. tom. VIII, pag. 525, et Hom. III, in Act. Apost. n. 1 et 3; ibid. tom. IX, pag. 22-26.

(2) In libello ad Martinum Papam, apud Hard. Acta Conc. t. III, col. 714.

(3) Homil. in vigil. SS. Petri et Pauli, in Biblioth. Patrum, sub nomine Eusebii Emiseni, tom. V, pag. 712, Colon. Agripp. 1618.

(4) In lib. De unit. Eccles. pag. 195.

(5) In Comm. in epist. ad Gal. cap. 1, v. 18, edit. Maur. in append. ad opera S. Ambros. tom. II, pag. 213, cujus hæc verba sunt: *Dignum fuit, ut cuperet (Paulus) videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum... ut sciret Petrus hanc illi (Paulo) datam licentiam, quam et ipse acceperat.*

(6) Hom. LXX, De natali SS. Apost. Petri et Pauli. Opp. edit. Rom. 1784, pag. 225, ubi: *Quantum igitur, inquit, meriti apud Deum suum Petrus erat, ut post naviculæ parvæ remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur!*

(7) Epist. V, ad Honorium Dalmat. episc. in Act. Concil. Labbei, tom. IV, col. 1172.

(8) Ibid. col. 1305. *Non enim ignoras ejus ingenium, inquiunt orientales, qui quotidie a sacro doctore tuo doceris oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere.*

(9) Hist. Apost. lib. I, in Biblioth. Patrum, Colon. Agripp. tom. VI, part. II, pag. 2, col. 2, F.

(10) Hom. LIV, al. LV. in Matth. edit. Maur. pag. 548, ubi scribit: *Pastorem (Ecclesiæ futuræ) ipsum constituit... sed illum (Jeremiam) uni genti, hunc autem (Petrum) in universo terrarum orbe; ex quo infert, Filium, qui talem contulit Petro potestatem, esse consubstantialem Patri. Et alibi sæpe.*

(11) Enarrat. in Psal. XLIII, n. 40, edit. Maur. tom. I, col. 904.

(12) Serm. IV, edit. Baller. cap. 4, pag. 19; tum Serm. III, assumpt. suæ, cap. 4, ibid. pag. 13, et Serm. IV, assumpt. suæ, cap. 2, ibid. pag. 16.

(13) Lib. V, epist. XX, edit. Maur. tom. II, pag. 748.

(14) De considerat. lib. II, cap. 8, edit. Maur. vol. I, pag. 428.

(15) In cap. XXI Joan. edit. Ven. 1754, tom. I, pag. 769.

(16) In cap. 6, epist. ad Rom. edit.

505. Quinta classis componitur ex iis, qui absolute Petro ea tribuunt epitheta, quæ nonnisi suprema auctoritate prædico competere possunt, uti cum vocant Petrum *Caput, Apostolorum principem, Apostolorum verticem, et os Apostolorum, primum mundi præsidem*; quales inter ceteros sunt Hieronymus (1), Hilarius (2), Chrysostomus (3), Leo M. (4), aliique passim; cum eum dicunt *primatum super discipulos habuisse, atque apostolatus primatum*, ut Augustinus (5); cum eum appellant *petram Ecclesiæ, petram infrangibilem, fundamentum, petram fidei*, ut Origenes, Chrysostomus, etc. (6); cum Petrum nuncupant *clavicularium cælorum, vel clavigerum, cæli janitorem, clavem ad regnum*, etc. (7).

506. Sexta classis conflatur ex illis Patribus, qui Petrum semper in sede sua vivere et omnes veritatem quærentes docere, qui Petrum per Leonem, Agathonem, aliosve Pontifices locutum esse affirmant, ut S. Petrus Chrysologus (8), Patres Concilii Chalcedonensis (9) et Patres Concilii œcumenici VI (10), quæ fusius suo loco expendemus.

507. Septima demum ex iis conficitur, qui extollunt Romanam

Paris. 1572, pag. 354, col. 2, ubi hæc leguntur: *Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum velut super terram (forte petram) fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitas exigitur.*

(1) Tom. II, pag. 279, edit. Vallars.

(2) Edit. Veron. tom. I, col. 749, n. 7.

(3) Edit. Maur. tom. VII, pag. 549.

(4) Locis cit. His adde Cassianum, edit. cit. pag. 936; Theophylactum, loc. cit. et ante hos S. Greg. Nazianz. qui in *Carminibus vitæ suæ* vocat Petrum *Universi præsidem.*

(5) *Enarrat. in Ps. CVIII*, n. 1, et *Tract. CXXIV in Joan.* n. 5, col. 822.

(6) Cfr. Theophilus Raynaudus, in op. cit. *Corbna aurea super caput rom. Pontificis*, opp. tom. X, pag. 90, 91 et seqq. ubi innumera prope Patrum et scriptorum ecclesiastic. testimonia congressit de ejusmodi titulis, quibus S. Petri privilegia ratione ipsius primatus celebrantur, de quibus iterum paulo post.

(7) Ibid. pag. 23. Cfr. etiam Benedict. Justinianus, op. cit. Prolog. *De Apostolatu*, disp. I, cap. 10.

(8) In *Epist. ad Eutychem.*, inter epist. S. Leonis, edit. Ballerin. xxv, cap. 2, col. 779.

(9) *Act. Conc.* Hard. tom. II, col. 306.

(10) Ibid. tom. III, col. 1423.

Sedem veluti omnium maximam, ut Ecclesiam principalem, Ecclesiarum omnium matrem, Ecclesiarum omnium matricem, principium et originem unitatis, etc. quæ pariter paulo post ostendemus. Quas quidem omnes hujus Ecclesiæ prærogativas Patres ex eo colligunt, quod Rom. Pontifex sit S. Petri successor, qui propterea, ut consequens est, debuerunt necessario in Petro super omnes primatum honoris ac jurisdictionis agnoscere (1).

508. Ex his porro pleno alveo fluit totius antiquitatis perpetuus et constans traditionalis sensus circa primatum veræ jurisdictionis Petro super Apostolos universamque Ecclesiam a Christo collatum. Si serio propterea, ut decet in re tanti momenti, profitentur adversarii, quibuscum agimus, se admittere ac venerari traditionem, fateantur necesse est hanc fidei veritatem, quam universa Ecclesia nunquam non tenuit ac docuit (2).

DIFFICULTATES.

509. Obj. 1° Sanctorum Patrum effata, quæ aut *principem*, aut *verticem*, aut *petram et fundamentum Ecclesiæ*, aut *ceteris Apostolis majorem ac potentiores*, aliaque ejusmodi, quibus illi Petrum celebrant, nihil penitus evincunt. 2° Ejusmodi enim textus meram personalem S. Petri præminentiam inter Apostolos asserunt; quo sensu jure vocatur *primus* Apostolorum, aut rhetorica etiam locutione *dux*, *caput*, *summitas*, *princeps*, etc. nuncupari potuit. 3° Cum præterea ex Scriptura ac traditionibus

(1) Cfr. Card. Gerdil. in op. *De Pontificii primatus auctoritate in Petri cathedra, adversus Marsilii Menandrini exitialem errorem*, etc. opp. edit. rom. tom. xv, ubi singulorum rom. Pontificum a Siricio usque ad Leonem x testimonia profert pro S. Petri primatu; in volum. autem xii et xiii legitima monumenta profert a S. Petro usque ad Siricium.

(2) His addere potuissem, de perpetua et constanti Ecclesiæ fide circa hunc

articulum, argumentum deductum ex liturgiis omnibus orientalibus et occidentalibus, quas collegit Joseph. Aloys. Assemanus in *Codice liturgico Ecclesiæ universæ, in xv libros distributo*, volumin. ix, in 4, Romæ 1749. Verum de hoc iterum recurret sermo. Interim cfr. Com. de Maistre in op. *Du Pape*, liv. 1, chap. 9, 10; necnon Mamachias, *Orig. etc.* lib. iv, part. II, cap. 1, § 5, n. 8.

jam ostensum fuerit, constitui *æqualitatem et supremam Apostolorum* omnium potestatem, liquet, omnes objectos textus exponi debere cohærenter ad illum sensum. 4^o Nec refert, quod objicitur ex S. Leone Rom. (*Serm. III, de assumpt. sua*); notum siquidem est, Leonem aliosque rom. Pontifices interdum induci ad S. Petri privilegia plus quam par esset magnificanda, ex desiderio extollendi suæ particularis Ecclesiæ fundatorem. Hæ autem amplificationes spectari merito possunt veluti privatæ illorum Episcoporum opiniones, minime vero uti catholicam traditionem præ se ferentes. 5^o Quæ cum ita se habeant, possumus recte inferre, *officiale* S. Petri primatum nulla posse ratione haberi uti articulum fidei, ac male omnino fundatum esse. 6^o Quod vel ipsa Romanensium responsione conficitur. Tournelyus enim aliique Romani ad textus Cypriani ceterorumque Patrum, quibus æqualitas asseritur reliquorum Apostolorum cum Petro, reponunt, ceteros Apostolos æquales quidem Petro fuisse quoad potestatem seu auctoritatem *intrinsecam et essentialem Apostolatus*, quoad potestatem videlicet docendi ubique, administrandi Sacramenta, pastores inaugurandi, etc.; minime vero fuisse pares quoad auctoritatem *extrinsecam et accidentalem*, et quoad modum ejusmodi potestatem exercendi. Jam vero ex hac responsione directe inferimus, nullum igitur primatum officii Petrum super ceteros Apostolos habuisse; quoniam, si præditus Petrus a Christo fuisset *officiali jurisdictione* super Apostolos sive seorsum sive collective sumptos, dum ipsi nulla potiebantur jurisdictione super illum sive in alterutrum, *de facto* aliqua extitisset *essentialis et intrinseca* differentia inter auctoritatem Petri et auctoritatem Apostolorum. Ast hoc a Romanis negatur. Ergo pares in potestate sive auctoritate Apostoli omnes cum Petro fuerunt (1).

510. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Nam non alia de causa illis titulis Patres certatim Petrum compellant, quam quod re ipsa ceteris fuerit Apostolis a Christo præfectus cum vera auctoritatis præminencia et jurisdictionis, ut constat ex allatis probationibus. Asserunt enim, Christum Petro etiam Apostolos subjecisse illis

(1) Ita rursus Palmer, op. et loc. cit.

verbis : *Pasce agnos, pasce oves meas; totius mundi præfecturam commisisse, totius Ecclesiæ caput* constituisse; aliæque ejusmodi de Petro prædicant præ Apostolis reliquis, quæ in æqualem cadere non possunt. Ex his porro muniis divinitus uni Petro collatis vera ac germana vis illorum titularum deprehenditur, quibus Patres celebrant Petrum uti *Apostolorum principem, caput, coryphæum, verticem, summitatem, primum omnium, reliquis majorem, potentiores, præsidem, pastorem, etc.* (1). Accedit, non ex solis istiusmodi effatis nos collegisse sensum traditionalem circa Petri primatum; hæc enim nonnisi ad unicam classem spectant; nos autem septem enumeravimus, quæ, si simul uniantur, ineluctabile prorsus robur accipiunt, quod nullis machinis concuti potest.

511. Ad 2^m, *Dist.* Ejusmodi textus meram personalem S. Petro præminentiam inter Apostolos asserunt, quatenus præminentia ex primatu proveniens unius Petri est, nec reliquis communis, *conc.*; quatenus præminentia proveniens sit ex solis personalibus Petri dotibus, indole, ingenio, zelo, etc. *neg.* Itaque tota difficultas oritur ex æquivocatione vocis *personalis* seu *individualis*,

(1) Ecquid enim aliud quam super ceteros auctoritatem commendare in Petro voluit S. Joan. Chrysostomus illis verbis, quæ habet in *Hom. III, in Act. Apost. n. 3* : Πρῶτος τοῦ πράγματος αὐθεντεῖ, ἅτε αὐτὸς πάντας ἐγχειρισθεῖς. Πρὸς γὰρ τοῦτον εἶπεν ὁ Χριστός· Καὶ σὺ ποτε ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. *Primus auctoritatem habet in negotio, ut cui omnes commissi fuissent. Hinc enim Christus dixerat : Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* Ex quibus patet, ipsum loqui de Apostolis, qui Petro commissi erant, seu ut majori vi dicitur in gr. textu : Πάντας ἐγχειρισθεῖς, *omnes habens in manu*, seu in sua

potestate. Quid etiam aliud sibi volunt verba Stephani Dorensis Episcopi, dum loc. cit. scribit : *Pascere primus jussus est oves catholicæ Ecclesiæ, quum Dominus dicit : Pètrè, amas me? Pasce oves meas. Et iterum ipse præcipue, et specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum et immutabilem fidem, convertere aliquando, et confirmare exagitatos consortes suos, et spirituales meruit fratres, utpote dispensative super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est, potestatem accipiens et sacerdotalem auctoritatem?* Sic Patres reliqui loquantur in locis cit. quæ per se quisque recolere poterit.

qua vel significari queunt privatæ ac propriæ animi dotes et qualitates alicujus, vel significari potest munus, privilegium, auctoritas, quæ ita alicui tributa sit, ut sit aliis incommunicabilis, atque illius omnino propria. Si hoc posteriori accipiatur sensu *personalis Petri præminentia*, verissimum est, nosque ipsi hac usi voce sumus ad discernendam dignitatem et auctoritatem primatus a Christo uni Petro collatam ab illa ceterorum Apostolorum. Quod si eadem vox in priori significatione usurpetur, assertio est falsa; quia, cum Christus, juxta doctrinam Patrum, instituerit primatum in bonum Ecclesiæ, nempe ad ejus unitatem constituendam et conservandam, evidens est Patres illis titulis, noluisse significare proprias ac individuales Petri personæ dotes, quæ cum ipso perire debebant (1). Quapropter nunquam hoc sensu ipsi

(1) Hæc est potissima ratio, quare Dupinius, qui, ut vidimus, quamvis videatur agnoscere in Petro primatum jurisdictionis, reipsa tamen eum redigit ad primatum meri ordinis seu honoris; hinc ipse subdole ad evincendum primatum Petri respuit probationes, quæ ex Matth. xvi et Joan. xxi eruuntur, et solum illum colligit ex eo, quod Petrus *primus* semper sit habitus, atque a Christo decretus, et quod necesse sit, ut ait, diss. iv, cap. i, § 1, *aliquem primum inter plures esse; primus res est, quæ uni tantum convenit, nec alteri potest communicari*. Eadem ratione se gessit Launojus. Cfr. Gerdilius, in opusc. *Analisi contra Launojo*, opp. edit. Rom. tom. xiii. Idem senserat M. Ant. de Dominis, *De repub.* lib. i, cap. 4. Ceterum auctoritatem veri nominis seu jurisdictionis necessariam esse ad unitatem constituendam et conservandam, vel ipsi Petri primatus adversarii fassi sunt. Sane Maimbourg in op. gallice inscripto:

De l'établissement et des prérogatives de l'Eglise de Rome et des évêques, Paris 1685, chap. 4, pag. 57 et seqq. *Je dirai seulement*, scribit; *ce dont tous les catholiques conviennent, que Jésus-Christ choisit saint Pierre entre tous ses apôtres pour lui donner non-seulement la primauté d'ordre, d'honneur et de rang, en lui donnant le premier lieu, comme à celui qui est le premier entre ses égaux, et en ces dons, ces pouvoirs et ces grâces, qui sont inséparables et de l'apostolat et de l'épiscopat, mais aussi la primauté de jurisdiction, de puissance et d'autorité sur tous les fidèles dans toute l'Eglise, dont il le constitua le chef*. Sic Nicole, *Instruct.* x, sur le symbole, § 10: *La tradition*, inquit, *nous apprend que Dieu, pour conserver son Eglise en unité, a établi une chaire et autorité supérieure pour veiller à la maintenir, qui est celle de l'Eglise de Rome*, etc. Alia inferius subjiciemus testimonia.

potuerunt vocare Petrum *ducem, caput, summitatem*, etc., rhetorica licet locutione, ut adversario etiam hoc detur (1).

512. Ad 3^m, *Dist.* Videlicet, nisus est adversarius ostendere, quod nemo Catholicorum negavit, *æqualitatem* et *supremam Apostolorum omnium* potestatem in munere apostolico, *conc.*; ostendit reipsa, Apostolos omnes æquales fuisse Petro sub omni respectu et absolute, seu per exclusionem primatus uni Petro collati, *neg.* Hoc enim primatu sublato, textus illi nullum amplius sensum haberent, imo essent sibi plane contradictorii (2).

513. Ad 4^m, *Neg.* Duplici enim ratione peccat adversarii assumptio, tum in eo quod autemet Rom. Pontifices cum veritatis dispendio voluisse S. Petri prærogativas, ut se se extollerent, magnificare, quod absque gravi tot Sanctorum Virorum, qui ab ætate apostolica ad nos usque floruerunt, injuria nec suspicari possumus (3); tum in eo quod supponat, a solis Rom. Pontificibus Petro a Christo tributum primatum super ceteros Apostolos affirmari, quod alienum prorsus a veritate est, ut ex allatis probationibus elucescit. Patet proinde, non posse spectari illorum

(1) Quando adversarii luculentissimis Patrum testimoniis a Catholicis premuntur, quæ eludere non possunt, tanquam ad communem locum confugere consueverunt ad *rhetoricas* figuras, amplificationes, locutiones, etc. Ad hoc ipsum effugium Palmer se recepit.

(2) Cfr. Benedict. Justinianus, op. et loc. cit. *De Apostolatu.*

(3) Apposite ad rem nostram scribit Bossuetus, *Defens. cleri gallicani*, lib. x, cap. 6: *Audio, quid dicant: Romanis Pontificibus, sedis suæ dignitatem commendantibus, in propria videlicet causa non esse credendum. Sed absit; pari enim jure dixerint, ne episcopis quidem, aut presbyteris esse adhibendam fidem, cum sacerdotii sui honorem prædicant; quod contra*

est. Nam quibus Deus singularem honoris dignitatisque prærogativam contulit, eisdem inspirat verum de sua potestate sensum. ut ea in Domino, cum res poposcerit, libere et confidenter utantur, fiatque illud, quod ait Paulus: Accepimus Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis. Quod quidem hic semel dicere placuit, ut temerariam ac pessimam responsionem confutarem: profiteorque, me de Sedis Apostolicæ majestate, romanorum pontificum doctrinæ et traditioni crediturum; quam eorum sedem non ipsi magis, quam reliqui, ac tota Ecclesia, atque orientales haud minus quam occidentales prædicant. Id sequentia declarabunt. Edit. Versailles, opp. tom. xxxiii.

summorum Pontificum locutiones ut privatam opinionem præ se ferentes, sed eas vere repræsentare, ut verbis adversarii utamur, traditionem catholicam (1).

514. Ad 5^m, *Dist.* Si Ecclesia Petri primatum non proponeret credendum ut articulum fidei, *trans.* vel *conc.*; si Ecclesia tanquam fidei articulum illum credendum proponit, *neg.* Atque hic obiter animadvertimus adversarium, tum hic tum alibi pro certo assumere, juxta principia protestantismi, privatorum esse colligere ac decernere aliquid credendum ut articulum fidei, quod quispiam in Scriptura et traditione contineri existimet; at talis profecto regula fidei catholicæ, saltem proxima, haudquaquam est. Hæc non est nisi auctoritas Ecclesiæ, quæ quidem in decernendis fidei articulis nititur Scriptura ac traditione, ut regulis inadæquatis, si seorsum spectentur, et remotis, attamen illius tantum est, utpote infallibilis, declarare verum divinæ revelationis sensum, et quemlibet articulum in revelatione contineri. Verum de hoc postea. Ceterum Ecclesiam tenuisse semper ac docuisse veluti articulum fidei Petri primatum, liquet tum ex facto, tum ex solemnī definitione edita in pluribus Conciliis œcumenicis, præsertim Lateranensi IV, Lugdunensi II et Florentino (2).

515. Ad 6^m, *Dist.* Ast perperam et antilogice id infert adversarius ex responsione Catholicorum, *conc.*; jure ac logice, *neg.* En igitur adversarii argumentatio: Catholicis fatentibus, Apostoli omnes pares fuerunt in dignitate aut munere apostolico essen-

(1) Verba S. Leonis M. ex *Serm.* III, de *Assump. sua*, quæ adversarii nostri oculos nimis perstringunt, sunt hæc: *Et tamen de toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur; ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.* In edit.

Baller. *Serm.* IX, cap. 2, col. 16. Certe hæc evertunt totam Palmerii oxoniensiumque ceterorum novum systema.

(2) *Conc. Later.* IV, decr. V, apud Hard. *Acta Concil.* tom. VII, pag. 23-24; *Concil. Lugd.* II, ibid. col. 695 et 702; *Conc. Florent.* in *Decreto Unionis*, ibid. tom. IX, col. 985 et seqq. In his porro Conciliis convenerunt Græci et Latini; illorum verba inferius exhibebimus.

tiali; quod præterea Petro seorsum collatum est, non est nisi superadditum et accidentale. Ergo omnes Apostoli pares in auctoritate fuerunt. Rigidus porro logicus ita concluderet: ergo omnes Apostoli pares quidem fuerunt in *potestate sive auctoritate apostolica intrinseca et essentiali*, minime vero quoad potestatem sive auctoritatem extrinsecam, accidentalem ac superadditam, qua Petrus constituebatur superior reliquis Apostolis, et qua aliquid adjiciebatur super ipsum Apostolatatum seu auctoritatem apostolicam. Quapropter Petrus uti merus Apostolus nullum jus, nullum *officialem* primatum exercere potuisset super ceteros Apostolos, neque Apostoli exercere itidem potuissent super Petrum et alter in alterum; at vere Petrus potuisset super reliquos omnes exercere vi illius potestatis et auctoritatis superadditæ, quam nos primatum vocamus. Falsum porro est, si Petrus vi primatus potuisset potestatem super alios Apostolos exercere, essentialem exinde atque intrinsecam differentiam inter Petrum et Apostolos reliquos consequi; etenim hoc quidem oriretur, si intrinseca hæc fuisset potestas *Apostolatui speciali* Petri, quia reipsa tunc in apostolatu omnes non fuissent pares, sed Petrus vi apostolatus sui cæteris emineret. Cum vero non vi apostolatus, sed vi primatus superadditi apostolatui eidemque extrinseci Petrus ceteris præfectus fuerit, liquet, exinde inferri haud posse intrinsecam et essentialem inter Petrum, prout Apostolus est, et Apostolos reliquos differentiam. Insuper ex dictis colligimus, quo sensu Catholici vocent hanc Petri præminentiam extrinsecam et *accidentalem*, quatenus nempe natura sua ita non inhæret apostolatui, multo vero minus peculiari Apostolo præ alio, ut Christus, si quidem ei placuisset, non potuisset alii præterquam Apostolis primatum conferre, eumque tribuere Joanni, Jacobo, vel Matthæo potius quam Petro. Ceterum, semel a Christo instituto primatu in Ecclesia sua ad ejus unitatem constituendam et conservandam, hic primatus jam essentialis est ipsi Ecclesiæ constitutioni, eoque sublato, unitas ac per consequens Ecclesia, prout a Christo instituta est, plane delaberetur. Adeo sibi illudunt impugnatores catholicæ Ecclesiæ!

PROPOSITIO III.

Petrus jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam immediate a Christo, non autem ab ipsa Ecclesia accepit.

516. Hæc propositio est adversus Richerianos, Febronianos ac Pistorienses. Edmundus enim Richerius doctor sorbonicus et facultatis syndicus, Protestantium vestigiis insistens, omnium primus inter Catholicos docuit, Ecclesiam seu fidelium omnium corpus esse *subjectum* illud, in quo auctoritas et jurisdictio regiminis ecclesiastici ex Christi institutione resideat. Ex hoc porro principio collegit, Pontificem rom., Episcopos aliosque pastores esse totius corporis fidelium ministros, qui de mandato et nomine universitatis fidelium pastoralem auctoritatem exercent, eo pacto, quo in democratica republica magistratus sunt ministri populi, a quo tanquam delegati habent auctoritatem, prout in priori hujus partis sectione exposuimus, cum de ecclesiastica ageremus hierarchia (1). Itaque tota Ecclesia, seu universitas fidelium ea est, quæ juxta hoc systema *principaliter ac radicaliter* obtinuit claves, Petro ac reliquis Apostolis, ac propterea eorundem successoribus tradendas ac communicandas, cum Ecclesia seu fidelium universitas illis uti non possit (2).

(1) Num. 94.

(2) Ita in lib. *De ecclesiastica ac politica potestate*, edito an. 1611, qui statim anno insequenti 1612 a Synodo Senonensi, præside Card. Du Perron, proscriptus est tanquam continens propositiones, expositiones et allegationes falsas, erroneas, scandalosas, et, ut sonant, hæreticas et schismaticas. Richerium porro palinodiam cecinisse, loc. cit. diximus; quæ quidem duplex fuit: altera data est die 7 Decemb. 1629; alteram vero longe pleniorum una cum refutatione suorum errorum, quos in septem propositionibus complexus erat,

moriens reliquit in suo Musæo, futurum etiam posteris sinceræ mentis suæ perpetuum indubium testimonium. Quæ autem ad præsens argumentum pertinent hæc sunt. Prop. 1, pag. 8: *Christus suam fundando Ecclesiam, prius, immediatius et essentialius claves seu jurisdictionem toti dedit Ecclesie, quam Petro et aliis Apostolis.* Prop. 11, pag. 9: *Tota jurisdictio ecclesiastica primo proprie et essentialiter Ecclesie convenit; Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis, instrumentaliter, et quoad executionem tantum, sicut facultas videndi oculo competit.*

517. Perniciosum hoc ac toties proscriptum systema avide ab appellantis arreptum fuit, præcipue vero a Quesnello, cujus propositio XC in dogmatica constit. *Unigenitus* damnata fuit his verbis concepta : *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu, saltem præsumpto, totius corporis* (1). Hanc eandem doctrinam, ut vidimus, adoptavit synodus Pistoriensis (2).

518. Jam vero jure merito ejusmodi doctrinam proscriptam esse ac nota hæreticali inustam, sic breviter ostendimus. Petrus immediate ab Ecclesia, seu mediante Ecclesia, jurisdictionis primatum non accepit, si Christus per se ac immediate eundem illi primatum promisit et contulit; porro Christum immediate ac per se jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam Petro promisisse et contulisse, evidenter constat ex iis, quæ in præcedentibus propositionibus disseruimus. Ostendimus enim, verba Christi : *Tu es petra*, quibus promisit primatum, ac illa quibus eundem contulit, nempe : *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, peculiari Petri personæ dicta fuisse, nec nisi per quamdam extensionem sensu aliquo accommodo ac per participationem Apostolis reliquis, multo vero minus fidelium cœtui convenire posse; quatenus scilicet Apostoli et fideles petræ fundamentali ac primariæ Ecclesiæ visibilis, Petro nempe, inhærent et cum eo in unitatem conveniunt; quod et Patres, ut vidimus, uno animo docent (3).

Prop. III, pag. 10 : *Christus non tam uni Petro, quam unitati infallibilem clavium potestatem detulit.* Prop. IV, pag. 12 : *Status Ecclesiæ ab ejusdem regimine distinguitur. Status enim monarchicus est... Regimen vero aristocraticum... quia omnium optimum et naturæ convenientissimum.* Prop. V, pag. 18 : *Petrus claves jurisdictionis accepit a Christo Domino, non pro se, sed pro Ecclesia, et nomine totius Ecclesiæ, non ut pastor æcumenicus et princeps, sed ut minister*

tantum et executor decretorum Ecclesiæ.

(1) Cfr. in hanc propositionem Fontana in op. cit. *Constitutio UNIGENITUS propugnata*, tom. III, col. 1140 et seqq.

(2) Propp. II et III.

(3) Javerit hic pro opportunitate nonnulla adjicere Patrum testimonia, quæ rem propius attingant, et ex quibus pateat illorum germana doctrina. Tertullianus, *Scorpiace*, cap. 10 : *Memento, inquit, claves ejus hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse.*

Accedit, Petrum non potuisse ab Ecclesia primatum jurisdictionis accipere, cum nondum existeret, sed adhuc esset ædificanda; etenim solum post Christi in cœlos ascensum, uti alias animadvertimus, proprie Ecclesia esse cœpit.

519. Imo et illud observandum est, tantum abesse, ut Christus primatum Petro contulerit mediante Ecclesia, ac propterea Petrus ab Ecclesia immediate jurisdictionem consecutus sit aliamve prærogativam, ut potius e converso Christus statuerit Ecclesiam omnibus suis fulgere dotibus ac prærogativis mediante Petro, seu

Edit. Rigal. pag. 496. S. Cyprianus, epist. LXXIII: *Quo venturus est, scribit, qui sitit... an ad Ecclesiam, quæ una est et super unum, qui et claves ejus accepit, Domini voce fundata est?* Edit. Maur. pag. 132. Firmilianus in epist. ad Cyprian. *Hinc intelligi potest, quod soli Petro Christus dixerit: quæcumque ligaveris, etc.* Ibid. epist. LXXV, pag. 148. Optatus, lib. VII: *B. Petrus... claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit.* Edit. Albaspin. pag. 107. S. Augustinus, *De Bapt. contra Donatist.* lib. III, cap. 1, n. 2, scribit: *Ecce ubi commemorat Cyprianus... Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet.. a posteriore Apostolo Paulo esse correctum.. Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit, illum apostolatus principatum cui libet episcopatum præferendum? Et Contr. duas epist. Gaudentii, lib. 1, cap. 31, n. 39: Numquid, inquit, melior Razias, quam Petrus Apostolus, qui, ubi dixit, tu es Christus Filius Dei vivi, tam beatus a Domino appellatus est, ut claves regni cœlorum*

accipere mereretur? Nec tamen ideo creditur imitandus, ubi mox eodem momento reprehensus audivit: Vade post me, Satana; non enim sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Eadem habent S. Gregorius M. lib. V, epist. XX, col. 748, edit. Maur.; S. Hilarius, in Matth. XVI; S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. 3, n. 10, circa finem; S. Joan. Chrysostomus, in cap. 21 Joan.; S. Epiphanius, in *Ancorato*, n. 9, edit. Petav. tom. II, pag. 15. Veram his aliisque omissis, ne longior sim, lubet rationem afferre, quare Petro claves regni cœlorum potius datæ sint quam alteri Apostolorum, quamque exhibet Eulogius Alex. apud Photium, in *Bibliotheca*, cod. CCLXXX, lib. II, *contra Novatian.* Ideo, inquit, *nec Joanni nec alteri cuiquam discipulo dixit Salvator: Tibi dabo claves regni cœlorum, sed soli Petro, qui eum negaturus erat, et peccatum lacrymis et pœnitentia expiaturus, ut suo ipsius exemplo erga peccatores humanior esset. Alii enim non tentati forsitan severius cum peccatoribus egissent.* Edit. And. Scotti S. J. Colon. 1611, col. 1599.

mediante primatu Petro collato , atque , ut mox ostendemus , suis in hoc primatu successoribus. Per Petrum enim Ecclesia est una ; per Petrum leges suæ sanctione et omnimoda auctoritate muniuntur ; per Petrum infallibilitate pollet , ut partim ex dictis , partim vero ex dicendis manifestum fiet. Tanti propterea est ex Christi dispositione primatus Petri , ut prius ipse designaverit Petrum in futurum Ecclesiæ suæ caput , quam Ecclesiam constituerit , quod liquet tum ex Joan. I, 42, ubi Christus , viso primum Petro , illico dixit ad eum : *Tu vocaberis Cephias*, proludens scilicet ad futuram ejus evectionem ; tum ex Matth. XVI, cum ei dixit : *Tu es Petrus , et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Nempe ut sapiens architectus prius fundamentum statuere voluit quam ædificium erigere. Hinc Petri primatus spectari debet uti radix unitatis , uti radix ac principium auctoritatis , uti principium denique et radix , unde dimanant dotes , quibus Ecclesia emicat , utpote quæ per illam petram , Christo ita volente , firmata sit atque constabilita. Non igitur Petrus ab Ecclesia primatum jurisdictionis accepit , sed Ecclesia potius , saltem quoad usum et modum exercendæ potestatis et jurisdictionis , a Petro dependet (1). Ad fidelium autem cœtum quod attinet , nec potestatem ipse , nec potestatis usum a Christo unquam accepit , adeoque neutrum Petro vel alii cuilibet potuit communicare , cum nemo det quod non habet.

(1) Hæc intelligi debent in sensu thesisi ; nec enim inficiamur , Apostolos extraordinaria quadam ratione claves immediate a Christo accepisse. Verum Apostoli reliqui non eodem modo acceperunt , quo eas accepit Petrus ; siquidem potestas clavium in Apostolis fuit extraordinaria , ad fundandas scilicet Ecclesias , ceteraque præstanda , quæ ad earum institutionem necessaria erant ; adeoque cum ipsorum obitu ces-

sare debebat. Cum vero in Petro ordinaria fuerit , juxta primatus finem ad unitatem Ecclesiæ constituendam atque in perpetuum conservandam , ideo , uti postea ostendemus , in ejus successores erat transmittenda. Quapropter omnes Ecclesiæ præsules a Petro , nec sine mensura , claves istas accipere debuerunt. Cfr. Bellarm. *De Rom. Pontifice* , lib. I , cap. 12.

DIFFICULTATES.

520. Obj. prima. 1^o Christus, Matth. XVIII, *discipulis suis* dixit: *quæcumque alligaveritis, quæcumque solveritis*. At fideles omnes discipuli Christi sunt. 2^o Ibid. præterea v. 15 legitur sic Petrum allocutum Christum esse: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*, et postea adjecisse: *Si te non audierit, dic Ecclesie; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*; ubi manifeste Ecclesiam, omnium videlicet cœtum fidelium, constituit Christus tanquam supremum tribunal. 3^o Exinde factum est, ut semper Episcopi in usu clavium se appellaverint *ministros Ecclesie*, 4^o atque in sacris litteris fideles omnes vocentur *fratres ac sacerdotes*. 5^o Verum, quod omne removet dubium, est ratio, quam Christus tenuit Joan. XXI; nec enim imperavit fidelibus, ut obedirent Petro, sed imperavit Petro, ut aleret fideles; Petrus igitur per verbum *pasce* constituitur istorum minister. 6^o Hinc videmus, fideles exprobasse Petro consuetudinem cum gentilibus, et Petrum, Act. XI, 3, se purgasse, seu eis rationem reddidisse ejus quod gesserat. Ergo.

521. Ad 1^m, *Dist.* Id est, Apostolis, *conc.*; fidelibus tantum, *neg.* Ecquis enim ignorat, integro illo capite discipulorum nomine Apostolos significari? Sane quod hic discipulis promisit Christus, illis contulit Joan. XX, 23. Certum porro est ex v. 24, discipulorum nomine Apostolos significatos fuisse; refert enim Evangelista, Thomam unum *ex duodecim* abfuisse, cum Christus illis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, etc.

522. Ad 2^m, *Dist.* Id est, *Ecclesie praelatis*, uti Patres, atque inter eos S. Joan. Chrysostomus, hunc locum exponunt, *conc.*; fidelium cœtui, *neg.* Hic enim sensus est absurdus; esset nempe congreganda universa fidelium multitudo, quoties peragenda esset fraterna correctio (1). Negamus præterea, Christum allocutum

(1) Cfr. Cornel. a Lapide in hunc loc. qui non minus copiose quam solide textum istum explanat, ostenditque, nulla ratione posse *Ecclesie* nomine hic fidelium cœtum intelligi, præser-

tim ex eo quod ibid. Christus dicat: *Si Ecclesiam non audierit*, id est, si reus Ecclesie non obedierit, etc. Obedire autem nemo tenetur nisi superiori, fideles autem inter se non sunt invi-

hic specialiter fuisse Petrum, cum dixit: *Si peccaverit in te frater tuus*, etc.; sed Christi verba generalia sunt, atque ad eos omnes spectant, qui in ejusmodi casu versantur (1). Ceterum, cum Christus dixerit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, patet, eum his verbis significasse excommunicationem, ac propterea *Ecclesie* nomine eos designasse, qui tali potestate fruuntur, eos scilicet, qui ab eodem Christo claves acceperunt, Petrum nimirum et Apostolos, quibus proinde immediate subdidit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis*, etc.

523. Ad 3^m, *Dist. Episcopi* se vocare consueverunt *mini-*

cem superiores, nulla auctoritate fruuntur in alios sibi æquales. Quod vidit et ipse Calvinus, qui tum in *Harmonia evangel.* in hunc loc. pag. 213 et seqq. edit. Amstelod. 1667, tum in *Institut.* lib. IV, cap. 8, § 15, verba: *Dic Ecclesie*, exponit de Ecclesie pastoribus, qui senioribus synagogæ succedere debebant, quibus jus erat excommunicationis, et ad quos Christus accommodat sermonem suum. Immerito proinde Castalio, Vatablus aliique protestantes exponunt Christi verba: *Dic reipublice, aut cœtui fidelium, communitati, multitudini*, etc. Cfr. *Critici sacri* in hunc loc. Quamvis porro Vatablus protestans non fuerit, attamen ejus commentaria, utpote a Rob. Stephano calvinista collecta et edita, imo respersa sectæ erroribus, tanquam commentaria protestantium spectantur, quamdiu expurgata non sunt.

(1) Mirum est, adversarios affirmare Christi verba: *Si peccaverit in te*, etc. ad Petrum speciali ratione directa esse, cum hoc in loco nulla Petri mentio fiat. Ex quo colligimus, eos voluntatis perversitate potius quam intellectus errore impugnare catholicam veritatem. Sane

ipsi hic vident Petrum, etiamsi nec nominetur Petrus, ut inferant, Ecclesiam seu cœtum fidelium claves immediate habere. Contra vero Matt. XVI Petrum non vident, etiamsi ibi Christus tot modis Petri personam designavit, ut non pluribus circumstantiis, uti apposite observat Cajetanus, describere soleant aliquem certum hominem notarii illi, qui instrumenta publica conficiunt. Etenim in primis substantiam personæ singularis per pronomen *tibi*; deinde addidit nomen inditum in nativitate, cum ait: *Beatus es, Simon*. Adjecit nomen patris, cum ait: *filius Jonæ*; nec omittere voluit nomen a se recens impositum: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus*. Quorsum vero hæc tam accurata descriptio, si nihil ipsi Petro proprie promittitur? Cfr. Bellarm. *De rom. Pontif.* lib. 1, cap. 12. Attamen, si adversarios audias, hic Christus Petri nomine significavit Ecclesiam; qui tamen uno animo de Petro intelligunt, quæ ibid. paulo post legantur: *Vade post me, satanas*. Nonne ejusmodi agendi ratio eos ex malitia peccare apertissime ostendit?

stros Ecclesiæ, in bonum videlicet Ecclesiæ a Christo constitutos, *conc.*; constitutos a fidelibus seu a fidelium cœtu, *neg.* Significant illa loquendi ratione, se pro Christo legatione fungi tanquam Christi ministros, in animarum salutem, seu se ministros esse Ecclesiæ, ut fungantur officio, ob quod præpositi sunt.

524. Ad 4^m, *Dist.* Fideles vocantur *fratres* ratione ejusdem fidei ac mutuæ dilectionis, *conc.*; ratione æqualitatis, *neg.* Sacerdotes autem interdum dicuntur, ut alias ostendimus (1), mystice et improprie ob mysticum laudis ac precum sacrificium, quod Deo offerre debent, aut etiam ob mysticam unctionem, qua Christiani sunt.

525. Ad 5^m, *Neg. suppositum*, nimirum per verbum *pasce* tantum significari *alimenta præbe*, non autem pascere cum imperio, regendo videlicet, prouti paulo ante ostendimus. Quoniam vero præesse et subesse, regere ac regi, pascere ac pasci, relationem inter se habent, ita ut alterum sine altero nec esse nec intelligi queat, patet, cum Petro dictum sit ut præsit, regat et pascat, dictum pariter fuisse fidelibus et injunctum, ut Petro subsint, atque ab ipso se regi sinant ac pasci.

526. Ad 6^m, *Dist.* Quia maluit Petrus rationem reddere quam uti auctoritate sua, *conc.*; quasi non potuerit se aliter gerere, *neg.* Scilicet voluit Petrus Ecclesiæ Præsulibus mansuetudinis ac modestiæ exemplum præbere, potius quam auctoritate, qua præditus divinitus erat, tumultum compescere, uti observarunt S. Joan. Chrysostomus et S. Gregorius M. hoc factum expendentibus (2). Hac sane potestate usus est Petrus tum adversus Simonem magum,

(1) In tract. *De Ordine*, cap. 11, prop. 1.

(2) S. Joan. Chrysost. *Hom.* xxiv, in *Acta*, n. 2; S. Greg. M. lib. xi, epist. xlv, edit. Maur. col. 1130, cujus verba hæc sunt: *Si enim, cum a fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sancta Ecclesia acceperat, attendisset, respondere poterat, ut pastorem suum oves, quæ ei commissæ*

fuerant, reprehendere non auderent. Sed, si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset... Si ergo pastor Ecclesiæ, Apostolorum princeps, signa et miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, etc.

tum adversus Ananiam et Sapphiram; potuisset propterea etiam adversus hos objurgatores, si hoc opportunum ei visum fuisset, eadem uti (1).

527. Obj. secunda. 1^o Patres antiquissimi, Augustinus præsertim, passim docent, Christum Ecclesiæ claves dedisse, ac Petrum ut *figuram* gestantem Ecclesiæ atque Ecclesiæ nomine eas accepisse (2); ergo, si Ecclesia in persona Petri claves regni cælorum accepit, evidens est, Ecclesiæ immediate a Christo claves collatas esse. 2^o Sane Deus et natura *prius et immediatius* ad totum intendunt; cum aliquid moliantur, potius quam ad aliquam suppositi partem, utut nobilissimam; ita Christus in Ecclesia et ecclesiastica potestate constituenda potiore duxit totius corporis curam, id est, Ecclesiæ, quam unius membri licet præstantissimi, cujusmodi est Petrus aut summus Pontifex aut quilibet alius Episcopus. 3^o Verum, dato etiam, quod Christus Petro atque Apostolis, ac proinde, si placet, Rom. Pontifici ac Episcopis claves proprie contulerit, nihil tamen inde conficitur. Nam quamvis facultas visiva in oculo resideat, *homini* tamen data est, ut ab ipso per oculum tanquam per organum et administrum exerceatur, cum oculus *per et propter* hominem existat; hominis siquidem proprium est oculos dirigere, ut hæc potius quam illa objecta intueantur, adhibere manus aut pedes. Itaque totius pariter Ecclesiæ proprium est uti Pontifice aut etiam Episcopo, et hunc potius quam illum exercere ad actum, quem voluerit, eliciendum. Ergo sin minus potestas ipsa clavium, saltem ejus usus et exercitium ab Ecclesia pendet (3).

(1) Cfr. Cornel. a Lap. et Calmet in *Acta Apost.*

(2) Launojus, lib. 11, epist. v *Ad Hadrianum Vallantium*, lxx congestit testimonia ex Patribus, Conciliis et scholasticis, ut evincat adversus Bellarminum, claves collatas esse S. Petro in persona Ecclesiæ, seu gestanti Ecclesiæ personam. Edit. Colon. Allobrog. tom. v, part. 1, pag. 213 et seqq. In hoc

porro censu complexus est auctores illos, qui contendebant Concilium esse supra Pontificem. Plura item attulit testimonia, quæ ad rem non faciunt; nonnulla, quæ plane evertunt ejus sententiam; nonnulla item more suo fæde corrupta. Ex Augustino autem *xxvi* testimonia collegit.

(3) Cfr. etiam apud Petavium, *De ecclesiast. hierarchia*, lib. 11, capp.

528. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Patres docent, Christum claves Ecclesiae dedisse, id est, in ejus commodum et utilitatem, seu, ut schola loquitur, *finaliter, conc.*; proprie et *formaliter, neg.* Ut autem Patrum veterum mens innotescat, dnm illam loquendi rationem usurparunt, animadvertendus est scopus, quem sibi proposuerunt. Porro Patres, qui nobis objiciuntur, in eo toti erant, ut Montanistarum et Novatianorum errorem convellerent; cum enim isti hæretici negarent, Ecclesiam habere potestatem dimittendi graviora crimina, contendebant, potestatem clavium datam Petro et Apostolis fuisse *personaliter*, ut loquitur Tertullianus, ac propterea cum ipsorum obitu cessasse. En Tertulliani verba: *Si quia dixit Petro Dominus super hanc petram... qualis es, evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem* (1)? Ut igitur se illis opponerent, docuerunt, potestatem clavium fuisse collatam Ecclesiae in persona Apostolorum, et Apostolis in persona Petri; docuerunt, Petrum repræsentasse collegium apostolicum, et figuram gessisse Ecclesiae, cum accepit claves regni cœlorum. Quæ quidem effata eo tendunt, ut indicent, potestatem istam ad Petri atque Apostolorum successores transiisse, seu Petro claves esse collatas cum *jure traducis*, ut contendebant Catholici adversus Tertullianum, postquam in Montanistarum hæresim dilapsus esset (2), cum ad Ecclesiae bonum has claves Christus Petro et Apostolis contulerit. Ex eorum proinde mente, non unus Petrus et Apostoli acceperunt hasce claves, verum etiam Ecclesia, id est, corpus Episcoporum, ut per eas filiorum suorum crimina, quæ-

14 et 15, quibus totum Richerianum systema ipse evolvit.

(1) *De pudicit.* cap. 21, edit. Rigal. p. 574.

(2). Cfr. Christ. Lupus, in can. xix. *Dictati sancti Gregorii VII*, art. 4, ubi patefacit malam Launoji fidem in referendis Tertulliani testimoniis, ostenditque, nunquam Tertullianum retra-

ctasse priorem sententiam, de collatione clavium facta Petro immediate a Christo Domino, sed solum, postquam Montanista effectus est, retractasse, quod antea adstruxerat, collatas esse Petro claves cum jure traducis, ita ut moriente Petro transierint claves ad ejus successores. Opp. edit. Venet. tom. v, pag. 289 et seqq.

cumque demum essent, solverentur. Hoc tamen interponitur discrimen inter Petrum et Apostolos atque Ecclesiam, prout hoc nomine designatur cœtus fidelium, quod illi claves acceperint, ut ita dicam, *active*, ad eas scilicet adhibendas, Ecclesia autem seu communitas fidelium acceperit *passive*, quandoquidem in ejus commodum essent a Petro et ab Apostolis adhibendæ. Cum autem Ecclesia semper duratura esset, Petrus vero et Apostoli ad tempus tantum victuri, concludebant Patres, semper has claves esse mansuras, nempe in Petri et Apostolorum successoribus, quia collatio ista non fuit *personalis*, sed perpetua (1).

529. Ejusmodi esse germanam Patrum mentem, evincunt ipsorum testimonia. S. Ambrosius scribit: *Tibi, inquit (Christus), dabo claves regni cœlorum, ut et solvas et liges. Hoc Novatianus non audivit, sed Ecclesia Dei audivit; ideo ille in lapsu, nos in remissione; ille in impœnitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, Apostolis dicitur. Non potestatem usurpamus, sed servimus imperio* (2). Eadem habet S. Pacianus in tribus ad Sympronianum epistolis (3); sed præcipue S. Augustinus, qui, *Petro, inquit, in multis locis Scripturarum apparet, quod personam gestet Ecclesiæ, maxime illo in loco, ubi dictum est: Tibi dabo claves regni cœlorum... Numquid istas claves Petrus accepit, et Paulus non accepit? Petrus accepit, et Joannes et Jacobus non accepit, et cæteri Apostoli? Aut non sunt istæ in*

(1) Seu, ut modo animadvertimus, Patres eo sensu docuerunt, claves non uni Petro datas esse, sed in ipso universæ Ecclesiæ, quatenus earum potestas, moriente Petro, non fuerit in Ecclesia aut sublata aut suspensa, sed jugiter in ea perseveraverit; quia in ejusdem bonum atque emolumentum clavium potestatem Petro ejus primati Christus contulit. Petrus propterea in clavibus accipiendis repræsentabat Ecclesiam quomodo pater posteros, fons

rivos, radix ramos.

(2) *Enarrat. in Ps. xxviii, n. 37.*

(3) Argumentum trium harum epistolarum est ostendere, potestatem dimittendi peccata datam fuisse Petro et cæteris Apostolis, ut transiret ad ipsorum successores, ad ea Ecclesiæ membra vivificanda, quæ per peccatum post Baptisma patratum demortua fuissent, secus ac contendebant Novatiani, de quorum grege erat Sympronianus.

Ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat Ecclesiae, quod illi uni datum est, Ecclesiae datum est (1). Porro aperte liquet

(1) Serm. cxlix, al. xxiv, *De diversis*, n. 7. Nec minus clare loquitur S. Doctor, *Tract. ult. in Joan.* n. 7, dicens: *Omnibus sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus, propter hujus vitæ procellosissimæ gubernaculum, ad liganda et solvenda peccata claves regni cælorum primus Apostolorum Petrus accepit.* Ubi notandum illud, *omnibus sanctis*, seu datus, qui a grammaticis *commodi* dicitur, ad significandum in utilitatem omnium sanctorum, scilicet fidelium, datas Petro Apostolorum primo claves, adeoque in successores eas transire debuisse. Quod ibidem declarat Augustinus, subdens: *Quoniam nec iste solus (Petrus), sed universa Ecclesia ligat solvitque peccata.* Accedit, passim ipsum inculcare, eatenus Petrum gestasse figuram Ecclesiae in accipiendis clavibus, quatenus habebat primatum: *Propter apostolatus sui primatum*, ut scribit, *Tract. ult. cit. in Joan. Propter primatum, quem in discipulis habuit*, ut ait in *Enarr. in Ps. cviii; Petrus a petra cognominatus beatus, Ecclesiae figuram portans, apostolatus principatum tenens*, ut scribit *Serm. lxxvi, De verbis Domini.* Si igitur ratione primatus sui juxta S. Augustinum Petrus personam aut figuram gestabat Ecclesiae, evidens est, ex ejus mente Petrum non accepisse claves ut Ecclesiae legatum, qui ejus nomine ageret, et quemadmodum legatus nomine Principis accipit claves civitatis; sed

accepisse ut ejusdem Ecclesiae principem ac supremum moderatorem. Eodem nempe pacto, ut loquitur Bellarminus, loc. cit. quo dicimus, regno dari, quod Regi ipsi datur, præsertim si id in publicam utilitatem cedat. Nec abs re erit, cum eodem eminentissimo Bellarmino præterea animadvertere, quum S. Augustinus docet, Petrum accepisse claves prout gerebat figuram Ecclesiae, eum non exclusisse narrationem historicam, sed, illa supposita, sensum parabolicum attexuisse, uti cum scribit, Judam fuisse figuram Judæorum ingratorum, cum Christum prodidit; S. Joannem figuram Ecclesiae triumphantis et vitæ contemplativæ, cum de eo dixit Christus: *Sic cum volo manere*; et Petrum gessisse figuram Ecclesiae militantis et vitæ activæ, cum ei dixit Salvator: *Sequere me*; Christum ipsum figuram gessisse Ecclesiae, quando baptizatus est; quin tamen quisquam negare voluerit, reipsa historice Judam prodidisse in propria persona Christum; Joanni historice dictum esse in propria persona, *Sic eum volo manere*, etc. et Christum vere in propria persona fuisse baptizatum. Quo sensu etiam S. Paulus, Galat. iv, docet, duos Abrahæ filios significasse duo testamenta; attamen hoc non impedit, quominus Abraham vere duos filios genuerit. Itaque quamvis S. Petrus gesserit figuram Ecclesiae, cum claves accepit, negari nequit, historice reipsa in persona propria claves ipsum accepisse. Hæc sedulo notanda erant,

ex verbis illis : *Aut non sunt istæ in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur*, scopum revera ipsius esse tueri existentiam clavium adversus Novatianos; ex aliis autem : *Quod illi uni dictum est*, propugnare S. Doctorem, uni reipsa Petro seu Petri individuo datas claves fuisse; alioquin in sensu adversariorum dicere debuisset : *Quod Ecclesiæ datum est, illi datum est.*

530. Ad 2^m, *Dist.* In ordine intentionis et finis, *conc.*; in ordine ad media, *neg.* Cum Deus, ac proinde Christus aliquid ad bonum ac emolumentum alicujus dirigit et ordinat, profecto rationem prius habet *totius* quam partis cujuscumque etsi nobilissimæ. Cum vero de electione agitur mediorum, quæ aptiora ac magis idonea ad præstitutum finem obtinendum sunt, tunc prius rationem habet partis quam totius, cum et pars dirigatur

cum agatur de re magni momenti, ob abusum quem post Lutherum, in lib. *De potestate papæ*; Calvinum, *Institut.* lib. iv, cap. 6; Magdeburgenses, *Centuria* 1, lib. 1 et 11, librum Smalchaldicum, *De primatu papæ*, M. Ant, de Dominis, Launojum, Richerium, etc. Quesnelliani, Pistorienses ac demum Palmer faciunt auctoritatis S. Augustini, ut inferant nihil peculiare Petro Christum contulisse. Præclare ad rem nostram scripsit S. Franciscus Salesius, in sermone xxxiii *De Ecclesia*, qui ineditus asservatur in bibliotheca Chigiana, cujus apographum Schelstrate in *Antiquit, eccl.* tom. 11, diss. 2, cap. 6, art. 2, testatur in manibus habuisse, præclare inquam hæc habet adversus illos Novatores, quæ pariter omnibus recentioribus eorum discipulis aptari debent : *Les ministres tâchent tant qu'ils peuvent de troubler si finement la claire fontaine de l'Évangile, que S. Pierre n'y puisse plus trouver ses clefs, et*

font leur possible pour nous dégoûter d'y boire l'eau de la sainte obéissance qu'on doit au Vicaire de Notre-Seigneur; mais qu'ont-ils fait? Ils se sont avisés de dire, que S. Pierre avait reçu cette promesse de Notre-Seigneur au nom de toute l'Eglise, sans qu'il eût reçu pour cela aucun privilège particulier en sa personne. Or, si ceci n'est pas violer l'Écriture, jamais homme ne la violera; car n'est-ce pas à S. Pierre, à qui il parlait? Et comment pouvait-il mieux exprimer son intention, qu'en disant : Et ego dico tibi... dabo tibi; car, puisqu'immédiatement il venait de parler de l'Eglise, ayant dit : Portæ inferi non prævalent adversus eam, qui l'eût empêché d'ajouter : Et dabo illi claves regni, s'il eût voulu donner à toute l'Eglise immédiatement? Il ne dit pas : illi, mais : dabo tibi. Que s'il est permis d'aller ainsi devinant sur des paroles claires, il n'y aura plus rien en l'Écriture qui ne se puisse plier à tout sens.

et aptetur ad bonum totius. Quapropter Christus omnia, quæ in Ecclesiæ commodum et ornamenta contulit, gratias, Sacramenta, potestatem, jurisdictionem, regimen, prærogativas seu dotes omnes, omnia, inquam, ad totius corporis utilitatem, emolumentum et fructum retulit tanquam ad primarium atque ultimum finem, quem sibi proposuit; quod et declarat Apostolus, scribens: *Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura; omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei* (1). Id ipsum in reliquis hominum cœtibus accidit, qui communis boni cujusdam gratia congregantur, ut in navigatione, in exercitu, etc. Verum quod spectat ad media singillatim sumpta, ac prout in se spectantur, res aliter se habet; nam architectus prius cogitat fundamentum quam fastigium; uti reipsa vidimus se gessisse Christum, qui prius caput determinavit, quam Ecclesiam constituerit; prius designavit petram seu fundamentum, quam ædificium erexerit; prius pastorem constituit, quam agnos et oves contulerit; ac proinde huic capiti, fundamento ac pastori firmitatem ac plenitudinem potestatis præbuit, quibus opus erat ad Ecclesiam regendam et gubernandam. Imo nihil prorsus contulit sive potestatis, sive jurisdictionis, saltem quoad exercitium, et prærogativarum Ecclesiæ suæ nisi per Petrum, seu mediante capite, quod propterea constituit in Ecclesia esse perpetuum, cum eadem semper plenitudine potestatis, prout paulo post ostendemus. Ergo falso Richerius cum suis asseclis affirmat, jurisdictionem *primario, essentialiter* atque *formaliter* residere in Ecclesiæ corpore, ex quo perveniat ad caput, cum e contra ea *primario, essentialiter* atque *formaliter* ex Christi institutione resideat in capite, ex quo pervenit in Ecclesiæ corpus.

531. Ad 3^m, *Neg.* Ad prob. autem: *Quamvis facultas visiva, etc. Dist.* Si auctoritas primatus resideret in Petro ut facultas videndi, quæ est in oculo, residet in homine, *conc.*; si diversa prorsus ratione juxta Christi voluntatem, *neg.* Jam vero diverso omnino modo disserere debemus de corpore physico in exercitio

(1) I ad Cor. iii, 22.

suarum facultatum, quam de corpore morali in ordine ad facultates suas. Utique totius individui est imperare oculis, manibus ac pedibus, et sensibus utut nobilissimis; non ita vero se res habet, cum de societate agitur aut communitate. De hac enim judicandum est juxta voluntatem ejus fundatoris et institutoris. Cum autem constet, Christum plenitudinem potestatis una cum pleno ac libero ejusdem exercitio Petro promisisse et contulisse illis verbis: *Et tibi dabo claves, ... quodcumque solveris, quodcumque ligaveris... pasce agnos meos, pasce oves meas*, evidens est, ipsi haud opus alia fuisse delegatione, seu applicatione potentiae ad actum, aut similibus, ut iis uti posset. Hæc magis confirmantur ex similitudinibus pastoris et ovilis, fundamenti et ædificii, aliisque ejusmodi, quibus usus est Christus ad designandam Ecclesiam suam. Restat igitur ut dicamus Ecclesiæ constitutionem et regimen pure monarchicum esse, minime vero aut democraticum, aut aristocraticum, uti cum Protestantibus Riche-rius, Launojus, Eybel, Jansenistæ ac Pistorienses contendunt(1).

CAPUT II.

DE PETRI PRIMATUS IN CHRISTI ECCLESIA PERPETUITATE.

532. Tria sunt quæ hoc in capite conficienda suscepimus: primo primatum, a Christo in Ecclesia institutum ac Petro collatum, debere post Petri obitum ad ejus successores transire,

(1) Si quis uberiorem velit sibi compare hujus argumenti cognitionem, poterit, præter auctores citt. in locis, quos indicavimus, Bellarminum, Petavium, Schelstrate, Cfr. Lupus, Fontana, consulere Zaccaria in *Antifebronio vindicato*, Cesena 1771, part. 1, dissert. 2, *De forma regiminis ecclesiastici a Christo Domino constituta*; Gerdil, in op. *Confutazione di due libelli diretti contro il breve SUPER SO-*

LIDITATE, Opp. edit. tom. XII; Duvalium, *De suprema Rom. Pontificis in Eccles. potestate*, part. 1, quæst. 3, prostat in *Bibliotheca maxima pontificia* Thomæ de Rocaberti, tom. III, pag. 408 et seqq.; Charles, in opusc. *Primatus jurisdictionis Rom. Pontifici assertus*, seu responsio ad dissert. Ludovici Ellies Dupinii, etc. Opp. edit. Rom. 1720, tom III, pag. 51 et seqq.

et usque in seculi finem in ipsis perseverare; secundo hos successores in Petri primatu alios non esse nisi Rom. Pontifices, qui post illius mortem ejus cathedram seu romanum pontificatum obtinuerunt, atque id quidem jure divino. Quum vero ejusmodi successio ex Petri in urbem adventu ejusque in ea episcopatu, quem gesserit usque ad mortem, tota pendeat, ideo ab hoc facto veluti basi ac fundamento constabiliendo auspicandum nobis est, ut illam successionem adstruamus. Sit interim

PROPOSITIO I.

Primatus, Petro collatus, ex Christi institutione debuit in Ecclesia post illius obitum in perpetuum perdurare.

533. Primatus a Christo institutus est ad Ecclesiæ suæ unitatem constituendam et conservandam; adeoque partem essentialem ejusdem Ecclesiæ ex Christi institutione constituit. Tamdiu ergo primatus perdurare debet, quamdiu perdurat Ecclesia ipsa, ad cujus essentiam spectat, nempe usque ad consummationem seculi.

534. Si qua est difficultas in proposito argumento, circa veritatem antecedentis versatur. Jam vero talem fuisse Christi mentem in institutione primatus in Ecclesia sua, ex dictis in capite superiore facile colligitur. Etenim Christus instituit Ecclesiam suam adinstar ovilis, cui præfecit unum pastorem, ut ita exurgeret unum ovile et unus pastor; instituit adinstar regni, et ei unum præfecit principem, cui claves seu insigne supremæ potestatis contulit, ne regnum esset divisum ac desolaretur; instituit adinstar ædificii, cui unum primarium fundamentum seu petram fundamentalem supposuit ad illud regendum, ne collaberetur (1);

(1) Hic ad cavillationes omnes præcavendas protestantium, qui scandalizantur, cum audiunt Catholicos docere, Petrum esse *fundamentum* Ecclesiæ, ex quo firmitas soliditasque ejusdem pendeat, cum tale fundamentum ex

Apostolo, 1 ad Cor. III, 11, sit solus Christus Jesus, revocare in mentem debemus doctrinam Patrum, qua hæc apprimè inter se conciliantur. Ex doctrina siquidem SS. Patrum; eatenus Petrus petra seu fundamentum est,

instituit ad instar individui jugiter viventis, cui propterea caput dedit, a quo membra singula dirigerentur ac motum quodammodo acciperent, et cum quo unum corpus efficerent.

535. Universa traditio unanimis est in hac reddenda ratione institutionis primatus, ut patet ex allatis Patrum testimoniis. Ita enim docuere SS. Irenæus, Cyprianus, Hieronymus, Optatus, Augustinus, Leo M. ceterique omnes, nemine excepto; ex quibus alii adstruunt necessitatem conveniendi in fide et communione cum Petri sede ob ejus primatum, ut Irenæus (1); alii Christum contulisse primatum Petro, *ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio*, uti Hieronymus (2); alii ut *unitatis*

quod regit universum ædificium, quatenus a Christo fundamento et petra angulari essentiali firmitatem soliditatemque accepit, ita ut, quod Christus est *natura*, sit Petrus *per participationem*. Hinc illud Augustini: *A petra petrus*, aliaque huc Patrum ejusmodi effata referuntur ad idem significandam, quidquid Petrus est, Christi virtute est. In quo profecto nihil est, quo adversarii offendi possint, siquidem id efficit Deus, cui omnia possible sunt. Talis porro est doctrina Catholicorum. Quo igitur abeunt furiosæ declamationes stolidi illius disputatoris genevensis, cujus paulo ante mentionem injecimus, dum cit. diss. pag. 6, 7, scribit: *Sur quelle pierre est donc bâtie l'Eglise, hommes irréfléchis ou coupables qui, pour une misérable dispute de préséance et d'ambition, venez nous parler de substituer, pour l'appui et le gouvernement de l'Eglise, un frère roseau au Rocher des siècles?* En autem responsionem, quam nos ei præbemus, iisdem plane verbis, quæ ipse immediate subjicit: *N'est-il pas évident, que si Pierre, que si apô-*

tres, que si les prophètes, peuvent être considérés (en un sens infiniment subordonné) comme portant l'édifice de l'Eglise, à leur tour ils sont portés par celui seul, qui en forme la véritable base? Et hoc omnino est, quod nos præcise dicimus ac tuemur.

(1) Talem vim esse vocis *principalitatem*, qua utitur S. Irenæus, ostendit Ducangius in suo *Glossario*; ea enim passim ab antiquis adhibetur pro *principatu* vel *primatu*, ut liquet ex Tertulliano, *De anima*, cap. XIII: *Ad hoc dispicere superest principalitas ubi est, id est, qui cui præest*. Sic etiam Remigius Antissiodorensis in cantica: *Caput ergo*, inquit, *Ecclesiæ, principalitas mentis fidelium intelligitur*. In libello precum Marcellini et Faustini legitur: *Sed ne aliorum impietatibus et crudelitibus sanguis vestræ principalitatis gravet imperium*. Cfr. alia exempla apud eundem auct. edit. Venet. 1739, tom. v, ad hanc vocem.

(2) *Advers. Jovinian.* lib. 1, n. 26.

originem institueret et unam Ecclesiam, uti Cyprianus (1); alii *bono unitatis B. Petrum Apostolis omnibus præferri meruisse*, uti Optatus (2); alii *ut unitatem fundaret ex uno*, ut S. Pacianus (3); alii ut inferrent, ibi esse *Ecclesiam, ubi est Petrus*, uti S. Ambrosius (4); alii ut in *uno Petro formaret Ecclesiam*, quemadmodum S. Augustinus (5); atque uti unitatem significaret

(1) Epist. LI et epist. LXX; item in lib. *De unitate Eccles.* edit. cit. pag. 195, et alibi passim.

(2) *Adv. Parmen.* edit. Albaspin. lib. VII, pag. 107, qui præterea jam præmiserat, lib. II, pag. 48: *Negare non potes, scire in te urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse colatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, unde et Cephas appellatus est; in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra una est, quæ est prima de dotibus*, etc. Haud ignoro, nonnullos protestantes, quos inter præcipue Chillingworth, ac ætate hac nostra ejusdem vestigia premens minister anglicanus D. Poole, ad elidendam hujus testimonii vim, contendere, quidquid eo in loco de romana *Petri cathedra* atque *unitate* scripserit Optatus, non Ecclesiam universam spectare, sed illud dumtaxat peculiare schisma Romæ a Donatistis excitatum, dum alium ibidem factionis suæ episcopum, Macrobius, collocarant. Sed nimis id a veritate abhorret. Etenim Optatus 1º loquitur adversus Donatistas de notis, quibus catholica ac vera Christi Ecclesia discerni posset, ac primo inter illas *cathedram*

recenset. De ea igitur cathedra sermo erat, quæ totam spectaret Ecclesiam. 2º Loquitur de Sede romana tanquam *unica* et *singulari* relate ad *cæteras sedes*, ab aliis Apostolis erectas, nullamque, licet *apostolicam*, adversus illam sine schismatis nota exurgere posse affirmat. De eo igitur unitatis disserit centro, in quod cæteræ simul convenire deberent Ecclesiæ. 3º Loquitur de cathedra illa Petri, *per quam unam cæteræ Ecclesiæ notæ simul probarentur*. Subdit enim: *Et per cathedram Petri, quæ nostra est, per ipsam et cæteras dotes apud nos esse*, cap. 9, p. 38, edit. Dupin. Optati mentem solide vindicavit, adversus Poole, egregius F. C. Husenbeth, catholicus sacerdos anglus in opere *St. Cyprian vindicated*, etc. seu *S. Cyprianus vindicatus adversus quasdam doctrinæ ejus perversiones factas in libro rev. G. A. Poole*, Norwich 1839, p. 64 et seqq. Cfr. etiam *Dublin' Review*, August. 1839, in præclaro articulo adversus Oxonienses inserto, cujus auctor est Nicolaus Wiseman, R. Episcopus Mellipot., strenuus rei catholicæ propugnator.

(3) *Epist. III, ad Synpron.* in *Biblioth. Patrum.* Colon, Agripp. 1618, tom. IV, pag. 241, col. 1.

(4) *In Psalm. XL*, n. 30, col. 879.

(5) *Serm. CXXXVII, De verbis evang. Joan.* n. 3, tom. V, col. 664.

Ecclesiæ, universum mundum Petrum accepisse, ut idem S. Doctor affirmat (1); alii ut ex Petro *ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emergeret*, uti S. Innocentius (2). Et ita porro per Patres singulos discurrentes, hanc constanter rationem invenimus ab ipsis assignatam, quare Christus primatum instituerit, quem Petro contulit super omnes Apostolos, super omnes fideles, super Ecclesiam universam. Cujus quidem primatus virtus est efficiendi, ut omnes Christi fideles conveniant sive in *una eademque fide* profitenda, sive in *una eademque charitatis seu communionis compage* constituenda, ut iidem Patres docent (3).

536. Nec abnuunt adversarii ipsi non pauci, qui præterea id concludunt ex analogia, quæ intercedit inter Episcopos seu pastores singulis Ecclesiis præpositos ad earum constituendam tuendamque unitatem, ut docet Apostolus (4); et pastorem seu primatem universalem, quo totius Ecclesiæ unitati prospiceretur. Horum testimonia partim exhibuimus, partim vero commodiori loco afferemus. Hic satis sit unum adducere protestantem Henke, qui adeo hoc perspectum habuit, ut, quamvis *unitatem* Ecclesiæ uti commentum rejiciat, ultro tamen fassus est, *ceteras causas ad primatus confirmationem haud suffecturas fuisse, nisi commentum illud unitatis assumptum extitisset, cujus constituendæ causa Petrus ab ipso Domino curam Ecclesiæ cum auctoritate consecutus fuerit* (5).

537. Cum igitur, tum ex Scripturis, tum ex constanti sensu traditionali totius antiquitatis, tum denique ex ipsa rei natura et adversariorum confessione pateat, primatum ad unitatem Ecclesiæ suæ constituendam et conservandam a Christo fuisse institutum ac Petro collatum, pronum est inferre, ipsum cum Petri obitu minime cessare debuisse, sed tamdiu esse in Ecclesia per-

(1) *Tract. cxviii in Joan.* n. 4, tom.

III, part. II, col. 800-801.

(2) Inter epistol. S. Augustini, epist.

CLXXXI, n. 1, tom. II, col. 635.

(3) Cfr. apud Ballerin. *De vi ac*

ratione primatus, toto cap. 13.

(4) Epist. ad Ephes. cap. 4, 11 et seqq.

(5) *Opusc. academ.* Lips. 1802.

duraturum quamdiu Ecclesiæ unitas perdurare debet ex Christi institutione, nempe usque ad mundi exitum, prout nobis ostendendum proposuimus.

DIFFICULTATES.

538. Obj. Perperam romanenses adnituntur ostendere, primum Petri institutum fuisse ob aliquod *objectum permanens*, ac proinde ad alios debuisse transmitti. Si quod enim fuisset ejusmodi objectum, certe fuisset *conservatio unitatis*; jam vero 1^o nulla unquam ex Scripturis adducta fuit probatio hujus *rationis theoreticæ* de institutione Petri primatus, nullumque prorsus occurrit in Scripturis hac de re testimonium; 2^o quod cum ita se habeat, jure infertur ex principiis Veronii, Bossueti, ceterorumque præstantiorum theologorum Ecclesiæ romanæ, motivum institutionis primatus non posse fidei materiam esse, neque fundare articulum fidei. Nunquam hoc motivum revelatum est, ac soli proinde conjecturæ innititur. 3^o Quod si S. Hieronymus, et forsitan unus alterve præterea Pater romanensium ideæ faveat, id nequit istorum ideam objectum certitudinis efficere. 4^o Nec obest, Ecclesiam in Scripturis appellari *ovile*, *regnum*, *corpus*, quod exigere videtur pastorem, principem et caput, et quidem *visibile*, prout visibilis ipsa Ecclesia est; siquidem Ecclesia non est proprie seu *litteraliter ovile*, sed solum figurate et improprie. Idem dicatur de *regno et corpore*. Ejusmodi proinde locutiones tantum significant, Ecclesiam esse societatem ordinatam, 5^o Porro essentielle societati haud esse *caput* visibile, patet ex eo, quod plures status existant absque monarchia. Quamvis autem institutio capitis ac pastoris plurimum conferat ad Ecclesiæ unitatem et ordinem, prout vel ipsi Protestantes confessi sunt, inferri exinde nequit, Christum id perfecisse. Etenim, uti animadvertit Bossuetus, nos minime insistere debemus meris ratiocinationibus aut desideriiis, sed *promissionibus certis et certæ traditioni*. Si semel desideriiis aut somniis indulgere nos delectaret, possemus quidem optare Rom. Pontificem non modo immunem ab errore esse, sed insuper a peccato, ignorantia aut cupiditate. Possemus quærere, quare, si Christus dixit Apo-

stolis : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, non deberent Episcopi eadem promissione frui fidei indeficientis, ut Apostoli? Concludamus igitur, haud posse ejusmodi primatum demonstrari ut objectum permanens a Christo institutum esse; imo, quamvis id probari posset, nondum *jus divinum* primatus romani constitutum foret, quoniam primatus Petri potuit a Christo institui non ob Ecclesiæ unitatem, vel aliud objectum permanens, sed veluti præmium ejus fidei, zeli et amoris erga Christum Dominum (1).

539. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m, prob. *Dist.* Id est, conceptis verbis nusquam Scriptura affirmat, *conservationem unitatis* motivum seu causam fuisse, quare Christus instituerit primatum, *conc.*; æquivalentibus, *neg.* Si semel hæc regula admitteretur in dignoscendo quid Scriptura contineat aut non contineat, actum plane esset de innumeris prope veritatibus fidei, quas nobiscum adversarii profitentur adversus Socinianos et rationalistas. Ubi enim, quæso, scriptum est conceptis verbis, Filium esse *consubstantialem* Patri, *tres* in Deo esse divinas *personas* æquales, *coæternas* in unitate naturæ, ut de aliis sileamus (2)? Satis proinde est ut aliquid in Scripturis contineri dicatur, si expressa habeatur veritas, quæ illud involvat ac supponat. Cum igitur ex dictis Christus Ecclesiam veluti *ædificium, domum, ovile,*

(1) Ita Palmer, op. cit. part. vii, cap. 2, vol. 11, pag. 493 et seqq. cuius nonnulla argumenta prætermisimus, utpote quæ vel nos minime feriant, vel quorum vis pendeat ex iis, quæ antea dissolvimus.

(2) Multiplicari ejusmodi exempla facile possent tum ex Baptismo infantium, tum ex Baptismo collato ab hæreticis, ex suffectione diei dominicæ sabbato ad Deo cultum exhibendum, etc. Verum hisce opus non habemus, cum omnibus obvia sint. Dum cerno Palmerium in dubium revocare, utrum

Christus instituerit primatum ad unitatem Ecclesiæ conservandam, mihi videre videor incredulos illos philosophos, qui non ita pridem ad impugnandas causas finales negarunt, aut saltem in dubium revocarunt, utrum oculi, nobis a natura, ut ipsi loquuntur, dati fuerint ad videndum, aures ad audiendum, pedes ad ambulandum. Qui merito insanie insimulati in hoc sunt, cum hic finis ex ipso horum sensuum aut membrorum officio patefiat, ipsique intrinsecus quodammodo atque essentialis sit.

regnum, corpus instituerit, atque illi assignaverit *fundamentum, patremfamilias, pastorem, principem, caput* ad eam sustentandam et gubernandam, seu primatum Petro contulerit ad hæc præstanda, fundamentum vero suapte natura ad illud unum ædificium, quod ei superstructum est, sustentandum, pater familias ad unitatem domus, pastor ad unitatem ovilis, princeps ad unitatem regni, caput ad unitatem corporis constituendam et conservandam ordinata sint, pronum est inferri hac de causa, ob finem scilicet ipsi primatui insitum, primatum esse a Christo institutum; præsertim cum, si quod adhuc dubium superesset, ex sensu traditionali perpetuo et constanti sublatum fuerit.

540. Ad 2^m, *Neg.* Siquidem nunquam aut Veronius aut Bossuetus aut quisquam alius catholicus theologus talia posuerunt principia, ex quibus inferri jure queat, motivum instituendi primatus non posse fidei materiam esse, neque fundare articulum fidei, uti autumat adversarius. Ut enim insistamus *Regulæ fidei Veronii*, his verbis ab eo proponitur: *Illud omne et solum est de fide, quod est revelatum in verbo Dei, et propositum omnibus ad Ecclesia catholica fide divina credendum* (1). Animadvertit autem, aliquid posse esse revelatum a Deo *etiam in verbo suo obscure*, ac Ecclesia interprete egere, a qua proponatur credendum uti revelatum, cum Ecclesiæ sit sensum *verbi Dei* seu *scripti* seu *traditi* aperire (2). Ex hac regula infert ipse Vero-

(1) *Regula fidei catholicæ*, cap. 1, § 1.

(2) *Ibid.* § 2. Hic vero animadvertendum est, quo melius intelligatur adversarii mens, dum urget auctoritatem Veronii, ipsum alibi citare Veronium, qui affirmat, duo requiri ad constituendum *articulum fidei*, ac 1^o quod revelatum a Deo sit per Prophetas, Apostolos seu *authores canonicos* (aludens evidenter ad *Scripturas*); 2^o quod propositum sit ab Ecclesia. Jam vero Veronius, in reg. cit. scribit:

quod revelatum sit in verbo Dei, quod potest esse sive *scriptum* sive *traditum*; ast hoc Palmerio non arridet. Quod si in declaratione regulæ suæ Veronius meminit Prophetarum, Apostolorum seu *authorum canonicorum*, non eo fine hæc scribit, ut excludat veritates, quæ per solam traditionem ad nos perverunt, sed ut opponat revelationibus, quæ post tempora Apostolorum quibusdam Sanctis factæ perhibentur, Ambrosio ex. gr. Cypriano seu aliis antiquis illis aut recentioribus, uti *ibid.*

nium, de fide esse romanum Pontificem esse *successorem* B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, atque omnium Christianorum patrem ac doctorem, ipsique in B. Petro *pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam* a Christo plenam potestatem traditam esse. Si itaque ex regula Veronii de fide est, rom. Pontificem esse Petri successorem, et plenam in Petro potestatem a Christo accepisse pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, nonne includitur in *verbo Dei* motivum institutionis primatus, ad constituendam scilicet et conservandam in perpetuum Ecclesiæ unitatem? Cum vero regula a Veronio tradita admissa sit ab omnibus catholicis theologis, non est cur in singulorum sententias ulterius inquiramus (1).

541. Ad 3^m, *Neg. suppositum*, videlicet solum Hieronymum,

exponit § 3, in corollariis, quæ deducit ex suæ regulæ declaratione. Cum igitur ex traditione aperte constet finis, ob quem Christus instituit primatum, liquet, hunc articulum fidei in verbo Dei fundari.

(1) Quoniam vero adversarius nobis opposuit auctoritatem Bossueti ex ejus *Defensione declarat. cleri gallicani*, non abs re erit Meldensis Episcopi verba in medium adducere, quibus thesim nostram adstruit. Hæc autem habentur in illo ipso loco, ex quo Palmer protulit, quæ nobis objicit. Sic igitur scribit Bossuetus, lib. x, cap. 1: *Ne quid necessariæ disputationi desit, placet exponere luculentius illud immotum, quod in fide Petri omnes ab origine agnovit antiquitas. Id duplici modo a Patribus intellectum: primum, ut Ecclesia catholica in Petri fide immota consistat, tum ut immotum aliquid et invictum in Ecclesiam quoque peculiarem romanam ac sedem*

apostolicam, Petri fide, prædicatione, sanguine, auctoritate ac successione translatum fuerit. Deinde, recitatis Christi verbis: *Tu es Petrus*, etc. prosequitur: *Quibus verbis Christus, qui suam maxime unam volebat Ecclesiam, creavit magistratum amplissima præ cæteris potestate ac majestate præditum, qui omnes moveret ad unitatem, maxime in fide. Atque his duo quidem confirmavit: alterum, haud immerito Petrum omnium nomine respondisse, qui omnium princeps ab ipso magistro Christo constitutus esset; alterum, quoties successores Petri communem Ecclesiarum fidem, ex communi traditione, pro officio promerent, eorum decretum, prædicationem, fidem, fore Ecclesiæ fundamentum.* Nescio, utrum hæc ardeant Anglicanis. Cfr. opp. edit. Versailles 1818, tom. xxxiii, pag. 148 et seqq.

aut *forsan* unum alterumve Patrem præterea docuisse, Christum instituisse primatum, ut consuleret Ecclesiæ unitati. Hoc aperte veritati adversatur; testimonia, quæ hactenus ex universa anti-quitate retulimus, contrarium evidenter evincunt.

542. Ad 4^m, *Neg.* Ex eo enim, quod Ecclesia non sit *littera-liter ovile*, etc., sed solum *figurate*, id est, ordinata societas, minime sequitur, illi præsidem haud esse constitutum a Christo Domino; sed potius ex indole ac natura figuræ ovilis, corporis, regni, contrarium omnino consequitur. Quorsum enim similitudo ovilis, et pastoris illud pascentis ac regentis, similitudo corporis, similitudo regni, nisi ut significetur, ad eum modum societati christianæ seu Ecclesiæ præesse Petrum, quo gregi pastor, corpori caput, regno princeps præpositi sunt (1)?

543. Ad 5^m, Fatemur, essenziale societati haud esse regimen monarchicum, ac propterea, si aliter Christo placuisset, aliam ipsum potuisse Ecclesiæ regiminis formam præstituire. Cum tamen voluerit, ut constat ex facto, ei regimen monarchicum et monarchicam constitutionem dare, unique illam principi, capiti, pastori subijcere, non est quod ulterius quæramus.

544. Exinde liquet, ruere quod adversarius superstruxit, nempe minime nos posse ex convenientia *factum* institutionis inferre, perinde ac si nos Catholici ita argumentaremur. Ast hoc

(1) Profecto non lubet in re tam gravi ludere; ast si hæc voluntas nos incesset, optimam ad id occasionem nobis præberet Palmer, dum nos serio admonet, Ecclesiam non esse *littera-liter ovile*, id est, neque Ecclesiam esse proprie ovium caulam, nec nos totidem plane pecudes et bruta animantia. Præstiterit potius ad nos recreandos Dantis Alighierii versus afferre, qui ad argumentum nostrum maxime spectant.

Avete 'l vecchio e' l nuovo Testamento.

E 'l pastor della Chiesa, che vi guida

Questo vi basti a vostro salvamento.

Se mala cupidigia altro vi grida.

*Uomini siate, e non pecore matte,
Si che 'l Giudeo, tra voi, di voi non rida.*

Non fate, come agnel, che lascia il latte

Della sua madre, e semplice e lascivo

Seco medesimo, a suo piacer, combatte.

Paradiso, Canto v, §§ 76-85. (Ad calcem voluminis habes horum versuum versionem.)

falsum est; nec enim Catholici ex convenientia, commodo aut utilitate, quæ ex primatu ad unitatem Ecclesiæ firmandam proveniunt, unquam intulere primatus ipsius existentiam atque institutionem; sed e contra certissimis biblicis ac traditionalibus documentis ostendunt primatum a Christo in Ecclesia statutum ac Petro collatum, et ex iisdem documentis probant, hunc primatum perpetuum institutum esse ad Ecclesiæ bonum, ac unitatem fidei et communionis servandam, nec propterea cum Petri obitu terminare debuisset. Nullus igitur hic datur conjecturæ locus, aut arbitrariæ seu gratuitæ illationi, ut perperam adversarius nobis affingit.

545. Cum vero ex falso supposito applicet casui nostro principium Bossueti, quod ad rem præsentem non facit, cumque ex falsis præmissis concludat adversarius, non posse a nobis demonstrari, collatum esse Petro a Christo Domino primatum ut *objectum permanens*, ne cum temporis dispendio his refellendis singillatim immoremur, satis erit hæc omnia veluti *alogica* contemnere. Ista vero adversarii agendi ratio luculentius adhuc apparet in eo, quod postremo subjicit loco, ex primatu Petri non posse nos deducere *jus divinum* primatus romani, quia potuit Christus illum conferre Petro in præmium fidei, zeli ac dilectionis suæ, in quo manifeste adversarius, ut paulo ante animadvertimus, permiscet causam institutionis primatus cum motivo, quo Christus illum Petro potius quam alteri Apostolo contulerit.

PROPOSITIO II.

*Petrus Romam venit, atque hujus urbis episcopatum instituit
rexitque usque ad obitum suum.*

546. Fere sopita erat sub finem seculi elapsi controversia hæc critica, quæ de adventu Petri in Urbem ejusque romano episcopatu ac in eadem urbe martyrio agitata diu fuit inter protestantes et catholicos ingenti animi contentione. Perciti siquidem protestantes plerique totius antiquitatis pondere, suorumque do-

ctiorum criticorum ingenua confessione, spartam hanc deseruerant. Ast nunc denuo recrudit quæstio hæc ex occasione novæ biblicæ exegeseos et critices, qua factum est ut *Babylonis* urbs, ex qua priorem epistolam suam dedit Petrus, in propria significatione de Chaldææ metropoli jam passim ab ipsis protestantibus accipiatur, atque exinde concludant, nunquam Petrum in occidentales partes venisse, multo vero minus sive Romæ episcopatum gessisse sive ibidem pertulisse martyrium. Cogimur propterea contra novos hos adversarios dimicare, ac tria statuere: primo scilicet Petrum reipsa Romam venisse; episcopatum præterea sive Ecclesiam romanam fundasse; atque in hac alma urbe sanguinem suum pro Christi fide profudisse. Quoniam vero eadem documenta militant pro triplici hoc capite, ne ea sine causa repetere debeamus, tria, quæ proposuimus, una simul conficiemus sequenti argumento.

547. In adstruendo Petri in Urbem adventu, ejusque romano episcopatu, ac demum obito in eadem urbe martyrio, conspirat universa prorsus antiquitas; ergo aut omnis historiæ fides deneganda est, aut tria illa, quæ enunciavimus, sunt admittenda.

548. Sane in factis illis asserendis conspirant 1^o auctores omnes coævi, aut ætati illi suppare, qui de Petro scripserunt: Tales sunt Clemens Romanus (1), Ignatius (2), Papias (3), item Dionysius Corinthiorum Episcopus (4), Irenæus (5), Cajus (6), Clemens Alex. (7), Origenes (8), Cyprianus (9), Eusebius, Lactantius, Athanasius, Epiphanius, Julianus Apostata, Augustinus, Palladius (10), quibus non pauci alii addi

(1) *Epist. 1 ad Corinth.* cap. 5 et 6. Apud Cotelierium, *Patrum Apostolic.*, tom. 1, edit. cit. cum adnot. 39 Junii.

(2) In *Epist. ad Rom.* Ibid. tom. 11, cap. 4.

(3) Apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. 11, cap. 15.

(4) Ibid. cap. 25, in quem locum cfr. adnotat. Wilhelmi Lowth, in edit.

cit. Cantabrigiensi.

(5) *Cont. hæres.* lib. 11, cap. 1.

(6) Apud Euseb. lib. 11, cap. 25.

(7) Ibid. cap. 15.

(8) Ibid. lib. 11, cap. 1.

(9) *Epist. 11, ad Antonian.* edit. Maur. pag. 68; tum. *epist. 1v, ad Cornel.* pag. 86, et alibi passim.

(10) Horum singillatim testimonia collegit ac protulit ipse vir protestans,

possent (1), qui omnes diserte Petrum Romam venisse, ejus episcopatum gessisse, atque ibidem obiisse testantur.

549. 2^o Conspirant ii omnes, qui catalogum exhibent romanorum Pontificum, quique pari prorsus ratione eum exordiuntur a Petro; cujusmodi sunt Irenæus (2), Tertullianus (3), Eusebius (4), Optatus (5), aliique posteriores, quotquot nempe hunc catalogum confecerunt (6).

550. 3^o Conspirant ad unum veteres omnes, qui tradiderunt, Marcum fuisse interpretem Petri, ac Romæ, juxta quod Petrum referentem audierat, Evangelium conscripsisse. Tales porro sunt Papias (7), Clemens Alexandrin. (8), Irenæus (9), Hieronymus (10), Tertullianus (11), Origenes (12), Epiphanius (13), Augustinus (14), quibus consonat syriaca versio sacræ Scripturæ (15).

Pearsenius, *Tract. de successione primorum Romæ Episcoporum*, cap. 7, pag. 32. Hæc ipsa magno numero cfr. apud Natalem Alex. diss. XIII, in sec. 1, cum notis Mansi adversus Bagnagium. Cfr. item Caveus, *Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria*, Genev. 1694, tom. 1, pag. 4; Baronius ad an. XLIV, n. 27, cum critica Pagi; Mamachius, *Origin. et antiquit. Christian.* tom. 1, lib. 11, cap. 6, § 2, pag. 317, not. (4). Verum præ ceteris legi meretur eruditissimum opus Petri Francisci Fogginii: *De romano divi Petri itinere et episcopatu*, vol. un. in 4^o, Florentiæ 1741, in quo viginti exercitationibus quæ ad hoc argumentum spectant, ita complexus est, ut illud veluti exhausisse videatur. Cfr. præsertim exercit. III.

(1) Apud citt. auctores.

(2) *Cont. hæres.* lib. III, cap. 3.

(3) *De Præscript.* cap. 32.

(4) *Hist. eccl.* lib. II, cap. 13, 14, 15; item lib. III, cap. 2, lib. IV, cap. 1.

(5) Lib. II, *Cont. Parmenian.* edit. cit. pag. 48.

(6) De quibus agit Schelstrate, *Antiquitas Ecclesiæ*, Romæ 1692, tom. 1, diss. tertia: *De antiquis rom. Pontificum catalogis*; necnon Franc. Blanchinius, in erudita præfat. ad *Vitas Pontificum romanorum Anastasio Bibliothecario attributas*, Romæ 1718.

(7) Apud Euseb. lib. III, cap. 39.

(8) In deperdito Hypotyposeon opere, apud Euseb. lib. II, cap. 15, et lib. VI, cap. 14.

(9) Op. cit. lib. III, cap. 1.

(10) *De Scriptoribus ecclesiast. in Marcum.*

(11) *Contr. Marcionem*, lib. IV, cap. 5.

(12) Apud Euseb. lib. VI, cap. 25.

(13) *Hæres.* LI, cap. VI, edit. Petav. pag. 428.

(14) *De consensu Evangelistarum*, lib. I, cap. 1.

(15) Hæc enim in epigraphe ad cal-

551. 4^o Conspirant innumera antiquissima documenta, quæ Romæ potissime invisuntur in picturis, nummis, parietibus, ac sepulcro, quo jam a seculo III Cajus sub Zephyrino hæreticorum cataphrygarum frangebatur audaciam, eos provocando ad invisenda *trophæa*, ut ipse loquitur, Apostolorum, videlicet Petri et Pauli sepulcra (1).

552. 5^o Conspirat universus christi nus orbis, apud quem celeberrima fuit vel a remotissima antiquitate peregrinatio ad sepulcra sanctorum Apostolorum (2); nec minus celebris est Ecclesiarum tum orientalium tum occidentalium traditio de Petri morte et cathedra ejusdem romana, cujus dies festus anniversarius ab immemorabili tempore solemniter celebratur (3); universalis demum veneratio ac subjectio erga romanam Sedem, ob romanum nempe Petri episcopatum.

553. Quæ cum ita se habeant, cum nullum factum historicum tanta scriptorum monumentorumque conspiratione universali, constanti, perenni firmatum ac constitutum sit, cujusmodi est istud de Petri in Urbem adventu, episcopatu atque martyrio, jure merito concludimus, aut omnem historiæ fidem esse denegandam, aut certe factum istud necessario admittendum. Hæc omnia confirmantur ex eo, quod nemo vel infensissimus Ecclesiæ

cem habet: *Finitum est Evangelium prædicationis Marci, quod locutus est et prædicavit* (quod hic tantumdem valet ac *scripsit*, cum talis etiam vis sit et potestas vocabuli *Sabar*, juxta usum ejusdem interpretis quoad alia evangelia) *latine Romæ*. Alii antiquissimi testes cfr. apud Fogginium, op. cit. exercit. 11.

(1) Cfr. Euseb. lib. II, cap. 25, qui præterea ibid. commemorat inscriptiones, seu ut vertit Valesius: *Petri Paulique nomine insignita monumenta, quæ in urbis Romæ cæmeteriis etiamnum visuntur*, ad confirmationem passionis SS. Apostolorum in

urbe Romæ. De antiquissimis pariter Apostolorum Petri et Pauli imaginibus loquitur idem Eusebius, lib. VII, c. 18.

(2) De antiquissimis hisce peregrinationibus ad limina Apostolorum, ex universo orbe christiano susceptis, cfr. Gretzerus, *De sacris peregrinationibus*. lib. II, cap. 1, et cap. 9, 10, 11, 12, 13, 14, op. edit. Ratisb. tom. IV.

(3) Cfr. de hoc festo Baronius in adnotat. ad Martyrologium Rom. die 18 Jan. et Bollandus in *Actis Sancti*. tom. II, mens. Janaur. ad hunc ipsum diem.

romanæ hostis, ex tot hæreticis qui ab apostolica Sede damnati sunt (1), nemo ex tot schismaticis, græcis præsertim, quibus id commodum omnino accidisset sibi que atque causæ suæ perutile, nemo unquam ex tot ambitiosis præsulibus atque Ecclesiæ romanæ æmulis, id vel in dubium revocare in tota antiquitate pertentaverit. Sane nonnisi seculo XIV cœpit omnium primus Marsilius Patavinus, levissimis conjecturis ductus, ad fovendum Ludovici Bavarici schisma, rem absque ullo successu inficiari (2). Ipsi posthac hæreticorum seculi XVI parentes nonnisi cunctanter de facto hoc scripserunt (3). Tantum vero abest, ut

(1) Cfr. Fogginus, op. cit. exercit. 1.

(2) En, quod iudicium tulerit de hoc Marsilio Menandrino scriptor cœvus Joannes Villani; scribens enim lib. *Histor.* ix, cap. 264, de damnatione Ludovici Bavari, refert, eum a Joanne xiii ideo anathemate fuisse percussum, quod fautor esset hæreticorum, qui Mediolani degebant, necnon, ut ipse prosequitur: *Di Mastro Gian di Giandone, e di Mastro Marsilio di Padova, grandi maestri in natura et astrologia ma heretici in più casi.* Loquens deinde lib. x, cap. 102, de ejus morte, quæ contigit apud Montem Altum an. 1328, hæc habet: *Che a di dieci di settembre si partirono da Corneto, e vengendo moriva a Monte Alto il perfido heretico, e maestro, e condutore del Bavero, Maestro Marsilio da Padova; et giunse il Bavero, et l'hoste sua a Grossedo a di 15 di settembre.* (Horum locorum versionem latinam reperies ad calcem voluminis). Apud Muratori, *Rerum Italicar. Script.* tom. xiii; cfr. etiam Raynaldi ad annos 1327, 1328 et 1331. Talis porro est, qui nobis a protestantibus veluti *catholicus* objicitur.

(3) Sane Lutherus, si fides habenda

Fœuardentio, in notis ad cap. 2 libri iii S. Irenæi; fassus est: *Omnes historias affirmare Petrum fuisse primum Papam Romæ.* Theoph. Raynaudus tamen in cit. *Disputat. de bicipiti Ecclesia*, tom. x, pag. 262, scribit, Lutherum bene potum asseruisse, incertum fore, utrum Romæ Petrus fuerit. Sic etiam Calvinus, *Instit.* lib. iv, cap. 6, § 15, cum conguessisset omnia, quotquot potuit, argumenta ad negandum Petri in urbem adventum, illa scilicet eadem quæ deinde sec. xix audacter urget ministellus ille genevensis, de quo scripsimus, concludit: *Et tamen propter hunc scriptorum consensum, non pugno, quin illic mortuus (Petrus); sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore, persuaderi equo.* In *Commentario in nepist. Petri*, ad cap. 1, v. 14, audacius scribit: *Quomodo autem, si Babylone (ut ipse gratis supponit) oraculum accepit de propinqua morte, Romæ crucifixus est? Certe nisi maria et terras momento transvolaverit, procul ab Italia mortuum esse constat.* Opp. edit. Amstelod. tom. vii, pag. 36. Ita semper sibi cohærent hæretici.

protestantes hac in re convenerint, ut non pauci ex ipsis, iique magni apud suos nominis, illud data opera propugnauerint (1). Adeo nempe exploratum est factum, quod vindicamus, ut luce sua adversarios ipsos acerrimos percellat.

DIFFICULTATES

554. Obj. prima. 1^o Nullis argumentis biblicis ostendi potest, Petrum Romam se contulisse aut ibi mortuum esse; 2^o imo argumenta biblica utrumque evertunt, ut patet ex silentio Pauli, dum ex Urbe scribit, aut scribit ad Romanos; quibus præterea suum patefacit consilium ac vehemens desiderium eos invi- sendi, ut aliquid ipsis gratiæ spiritualis impertiret, nempe gratias gratis datas, cum nondum Apostolorum aliquis illuc appulisset, sed solum ab advenis romanis (quorum fit mentio Act. II, 10) de fide christiana aliquid accepissent. Quod clarius adhuc fit ex

(1) Tales sunt Caveus, Hammondus, Pearsonius, Grotius, Usserius, Chamier, Blondellus, Junius, Jos. Scalligerus, Joan. Pappius, Kipping, Bebelius, Ittigius, Joan. Clericus, Sam. Basnagius, Isaac Newtonus, alique quorum singillatim loca recenset Fogginius, op. cit. exercit. I. His vero alii adjiciendi sunt ex recentioribus, adversus fanaticum ac furiosum provocatorem genevensis, qui opusc. cit. pag. 26, scribit: *Il n'est point si surprenant, qu'il ait fallu aux protestans plus d'un siècle pour sortir entièrement du borbier où ils se trouvaient enfoncés*, nempe Schröck, *Christl. Kircheng.* seu *Historia Ecclesiæ christianæ*, part. II, pag. 155, ubi scribit: *Nullum fortasse eventum esse in veteri historia, ita extra quæestionem positum subsidio testimoniorum adeo consentientium antiquorum doctorum christianorum, uti istud* (de Petri in urbem

adventa); Bertholdt, *Historisch-kritische Einleit.*, etc., seu *Introductio Historico-critica in V. et N. T.* part. 5, pag. 2690: *Ejus (Petri) Romæ præsentia*, scribit, *et martyrium ibi ab eo passum, plenum est historica certitudine*. Idem scribant Neander, in *Allgem. Gesch. der christ. Relig.* seu *Historia univers. religion. et ecclesiæ*, tom. I, sect. 1; Colln, *Allgem. Encycl.* etc., seu *Encyclopedia univers. scientiarum et artium*, part. 18, pag. 42. Gieseler, *Lehrbuch der Kirchengesch.*, seu *Manuale Hist. ecclesiasticæ*, tom. I, edit. 2, Bonn, 1827, pag. 89, not. (e), hæc habet: *Fuit polemica factionis, si nonnulli protestantes, speciatim Spanhemius, ad exemplum quorundam adversariorum Pontificum mediæ ævi, inficiari voluerunt Petrum unquam Romæ fuisse*. Cfr. apud Roskovany, op. cit. p. 17, not. 45.

proposito Pauli, in iis tantum locis prædicandi Evangelium, in quibus alii Apostoli nondum prædicassent, ne, ut ipse loquitur, *super alienum fundamentum ædificaret* (1). 3^o Exploratum denique est apud eruditos, Petrum Babylone, Assyriorum quondam metropoli, priorem suam scripsisse epistolam, ut constat ex I Petr. V, 13, ac propterea etiam posteriorem ad easdem provincias datam, prout ex cap. III, 1, abunde liquet. Porro cum hanc epistolam proxime ante mortem Petrus conscripserit, uti ejus verba ostendunt cap. I, 14, aperte exinde colligitur, argumentis biblicis evinci, neque Petrum Romam venisse, neque in ea urbe esse martyrio sublato (2). 4^o Id ipsum patet ex chronologia, quam exhibent Acta apostolica ac Pauli epistolæ, ex quibus certissime constat, anno æræ christianæ 66, in quo Petrus martyrio functus perhibetur, Romæ ipsum minime degere potuisse. 5^o Hæc autem argumenta infirmari nullatenus possunt ex antiquitatis traditione; ceteris enim omissis, quæ peti possent

(1) Rom. xv, 20. Ita Rosenmüller senior, in *Schol. in epist. ad Rom.* edit. v, pag. 3.

(2) Ita Michaëlis, *Introduction au Nouveau Testament*, Genève 1823, tom. iv, part. II, ch. 27, p. 328 et seqq. cui præiverant præter Calvinum loc. cit. Erasmus, Drusius, Capellus, Lyghtfootus, Bengelius, Wetstenius, Basnagius, Beausobrius aliique apud Pott, in op. *Novum Testament græce perpetua adnotatione illustratum*, edit. Kopianæ, vol. ix, fasc. II, Gottingæ 1810, proleg. pag. 15 et seqq. ubi hic auctor Michaëlis aliorumque sententiam maxime statuere confirmareque nititur. His addendus ex recentioribus exegetis biblicis Eichhorn, *Introduct. in Novum Test.* edit. 2. Lips. 1820, cujus verba inferius dabo. Ex Catholicis vero his assentiantur, saltem quoad interpretationem vocis *Babylonis* in sensu

proprio et non figurato, Hug, apud Cellerier, *Introduction*, etc. pag. 467, et Scholz, qui suo *Novo Testamento græce*, Lips. 1830, proleg. pag. 158, scribere non dubitavit: *Epistolæ Petri in Mesopotamia inde ab an. 53 ad an. 70 (transcribebantur)*. Ex quibus patet, hunc auctorem non solum affirmare, Petrum Babylone Mesopotamiæ priorem scripsisse epistolam, verum etiam posteriorem, et quidem ab an. 53 ad an. 70. Cum vero Petrus martyrio sublatus fuerit juxta communem veterum sententiam an. circiter 66, consequens est, ex mente hujus scriptoris, Petrum nec Romæ fuisse, neque ibi mortem obiisse juxta argumentum Calvinii. Omitto, ut patet, anachronismum, quod nempe dari potuerint a Petro an. 70 epistolæ, quum ipse fuerit martyrio functus an. 66.

ex defectu critices, ex documentorum falsificatione aliisque ejusmodi, si rem ad suam originem revocemus, deprehendemus non alios testes hujus traditionis existere præter Ignatium et Papiam; ceteri enim nimis distant a facto, ut eorum testimonium admittere possimus, iique jam a Papia decepti fuerant. 6° Jam vero testimonium Ignatii dubium est, nondum enim est exploratum, epistolas, quæ sub ejus nomine circumferuntur, genuinas esse, aut saltem non fuisse interpolatas; Papias autem, utpote mediocris ingenii vir et in pluribus aliis deceptus, idoneus non est ad testandum; Irenæus porro ac reliqui posteriores a Papia fuerunt in errorem inducti. 7° Neque res melius conficitur ex monumentis, de quibus haud constat, an fuerint coæva; nec tantæ esse poterant molis, ut publicum testimonium exhibere valeant. 8° Omni propterea traditione destitutum est factum istud Petri, sive quoad ejus in Urbem adventum, sive quoad ejus in eadem urbe martyrium, quod præterea Scriptura impossibile ostendit (1). Ergo.

555. Resp. Ad 1^m, *Trans. ant. neg. cons.* Inesset quidem huic argumento vis, si Scripturarum silentio documentis historicis locupletissimis abunde non suppleretur; cum vero ex dictis constet, universam antiquitatem eamque remotissimam nos certiores facere de Petri in Urbem adventu, deque ejus inibi episcopatu et martyrio, perperam obtruditur defectus documentorum biblicorum. Ridiculum sane prorsus esset, aut negare, aut in dubium saltem revocare existentiam ac gesta sive Neronis sive Domitiani, aut Nervæ, eo quod argumentis biblicis de illis haudquaquam constet. Talis porro est adversariorum agendi ratio. Transmisimus porro propositi argumenti antecedens, cum adversarii assumant uti certum, quod vel falsum, aut dubium saltem est, quemadmodum ex iis patebit, quæ de urbe Babylonis dicemus.

556. Ad 2^m, *Neg.* Ad probationem autem, quæ desumitur ex

(1) Ita cit. provocator genevensis, *Pierre a été à Rome*, Genève 1833, detractis ejus furiosis declamationibus, pag. 22 et seqq. in *Dissertation sur la question, si*

Pauli silentio, quod tantopere urgent adversarii, dicimus, eam nullius plane roboris esse, cum exinde non exurgat nisi argumentum *negativum*, non autem *contrarium*; eo magis quod valde probabiles reddi possint ejusmodi silentii rationes (1).

557. Desiderium vero, quod patefacit Paulus, invisendi Romanos, non habet pro objecto, uti adversarii putant, collationem gratiarum, quas vocant gratis datas, sed, ut ipsemet declarat, mutuum dare et accipere consolationem. En, quomodo ipse rem explanet: *Id est, simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestram atque meam* (2).

558. Mirum porro est, quod subdunt de propagatione Evangelii, imo de fundatione Ecclesiæ omnium nobilissimæ, per *advenas romanos*, de quibus ignoratur etiam conversio. Quod si ab illis advenis fundata est Ecclesia romana, quare pariter aliæ Ecclesiæ fundatæ non sunt a Parthis, Medis, Ælamitis, Mesopotamiis, etc, qui omnes pariter interfuerunt miraculo, quod contigit Hierosolymis die Pentecostes? Quorsum Apostoli univsum peragrati sunt orbem tanto labore ac vitæ discrimine, si facili adeo ratione fundari poterant Ecclesiæ? Tales sunt nugæ criticorum nostrorum biblicorum (3)!

(1) Cum hoc argumentum, ex silentio peti solitum, desumatur sive ex Actis Apostolicis sive ex Pauli epistolis, diversa ratione eidem occurritur. Quod spectat ad silentium Act. Apostolicorum, animadvertunt Catholici, propositum S. Lucæ non fuisse Petri gesta referre et persequi, sed acta potissimum S. Pauli, cujus discipulus et peregrinationum comes fuit; quanquam nec omnia Pauli gesta narraverit, ut constat ex epist. ad Galatas, cap. 1, 17, 18. Quod vero attinet ad epistolas Pauli, iidem observant, Petrum potuisse esse absentem ab Urbe, sive cum Apostolus scripsit epistolam ad Romanos, sive cum urbe Roma nonnullas scripsit epistolas. Notant præ-

terea, quod, si ex eo quod Paulus nullam salutem dixerit Petro, concludi posset Petrum Romam non venisse, concludi pariter posset, non fuisse Jacobum Episcopum Solymorum, eo quod Paulus scribens ad Hebræos Jacobum non salutaverit. Idem dic de episcopis Galatarum, Ephesiorum, Thessalonicensium aliorumque populorum, quos in epistolis ad eos datis expresse non memorat Paulus. Attamen hoc silentium est totus Achilles Calvinii, Illyrici, Spanhemii, ac demum nostri provocatoris Genevensis. Cfr. Fogginius, op. cit. exercit. 4, ubi istorum nugæ plane dissolvuntur.

(2) Rom. 1, 12.

(3) Cfr. Fogginius, op. cit. exercit. v,

559. Nec magis soliditatis habet, quod adjiciunt de Pauli proposito prædicandi Evangelium iis in locis, quæ alii Apostoli minime perlustrassent; tum quia objecta verba ejus tantum curam significant et studium, quod habuit, dum antea perfungeretur apostolico ministerio in regionibus, quas ibidem memorat; tum quia hæc respiciunt præsertim Hispanias, ad quas se conferre meditabatur, ita ut vix esset Romam petransiturus (1); tum denique quia, ipso Apostolo teste, non constituerat sibi Romæ fundare Ecclesiam, quæ nempe, dum hæc idem scriberet, adeo jam florebat, ut ejus fides annunciaretur in universo mundo (2); sed hoc sibi unum proposuerat, *confirmare* Romanos ea ratione, quam modo exposuimus (3).

560. Ad 3^m, *Dist.* Exploratum est, Petrum Babylone, Assyriorum metropoli, priorem suam scripsisse epistolam, apud eruditos audaciores contra sensum totius antiquitatis, *conc.*; apud saniores criticos, *neg.* Nam 1^o, fatente ipso Michaëlis, præcipuo obsoletæ jamdiu sententiæ instauratore, veteres omnes Patres de

in qua Basnagii ceterorumque protestantium vagas conjecturas, adductis gravissimis veterum testimoniis, depellit. Hæc autem ipsa denuo refricantur. Nam *nil sub sole novum.*

(1) Rom. 1, 8; xvi, 19.

(2) Cfr. Estius in *Comment.* ad hunc locum, ubi observat, juxta gr. textum legi v. 12: *Id autem est ad simul consolandum, Τοῦτο δ' ἐστὶν, συμπαρακληθῆναι,* ita ut sensus sit: id volo, ut communem atque una vobiscum consolationem seu recreationem capiam ex mutua communicatione fidei vestræ et meæ. Sic quidem ipsa confirmatio fidei Romanorum futura erat Paulo simul et illis materia consolationis et gaudii. Adnotat præterea vocem *χάρισμα* v. 11, quæ de iis donis accipi solet, quæ dantur ad aliorum utilitatem, posse etiam ad alia

extendi, perinde ac si dixerit: Causa tanti mei desiderii non alia est, quam ut supra ea, quæ jam accepistis, aliquid adhuc donorum seu gratiarum spiritualium vobis per meum ministerium impertiar. Sed eum vide.

(3) Apposite Theodoretus in *Comment. in epist. ad Rom.* ex ipsa voce *conformandi*, qua utitur Paulus, colligit, a Petro Romanos in fide institutos esse. En ejus verba: *Et quia primus eis magnus Petrus doctrinam evangelicam præbuit, necessario intulit (ad confirmandos vos, εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς). Non enim aliam, inquit, doctrinam vobis afferre, sed eam, quæ jam oblata est, confirmare, et arbores jamplantatas, irrigare volo.* Opp. edit. Paris. 1643, tom. III, pag. 14.

romana urbe intellexerunt Babylonem, de qua Petrus loquitur (1); imo et rationes attulerunt, quare Petrus Romam Babylonis nomine designaverit (2). 2^o Idem præstitere historici antiquissimi, Papias (3), Clemens Alex. (4), Eusebius (5), aliique fere omnes, qui hoc de argumento scripserunt (6). 3^o Idipsum adstruitur ex argumentis ipsi epistolæ intrinsecis, ex qua nimirum constat, Petrum commonefacere christianos asiaticos de imminente persecutione ex parte Imperatoris (7); quod quidem Romæ commoranti ex indiciis facile erat cognoscere, minime vero Babylone dissita adeo urbe a centro Imperii et Parthis subjecta (8); constat

(1) *Introd. au Nouveau Test.* tom. 14, part. 11, ch. 27, sect. 5, pag. 340. Mirum porro est, sagacem hunc scriptorem communi scriptorum græcorum et latinorum consensui, circa interpretationem vocis *Babylonis* de urbe Roma, opponere auctoritatem unius aut alterius obscuri scriptoris mediæ ævi, et provocare ad Joseph. Sim. Assemanum, tom. 111, *Bibl. orientalis*. Jam vero Assemanus, tom. 111, part. 1. non refert nisi Amrum Matthæi, qui in vita Maris et in lib. *Magdal.* part. 11, cap. 8, affirmat, Petrum prædicasse in Oriente, hoc est, in Mesopotamia et Chaldæa, et Babylonem in altera Petri epistola memoratam nil aliud esse quam celeberrimam illam Assyriæ urbem. Cui addendus Jesu-jabus Nisibenus, in lib. adversus sectas, part. 11, cap. 8, qui tamen scribit, Petrum Babylone, ubi epistolam priorem scripserat, una cum Marco comite Romam se contulisse, apud eundem Assemanum, tom. 111, part. 11, pag. 6. Porro hi soli sunt ex scriptoribus syris, quos affert Assemanus, asserentibus Babylonis nomine Petrum Metropolitim Chaldææ designasse, quos quidem ipse confutat.

(2) Cfr. Baron. ad an. 45, num. 18.

(3) Apud Euseb. lib. 11, cap. 15.

(4) Ibid. et in *Chronico*.

(5) Loc. cit.

(6) Cfr. Valesius in adnot. ad loc. cit. necnon Fogginius, op. cit. exercit. 10. Dixi fere omnes, quia Cosmas Indicopleusta, sexti sec. scriptor, in *Topographia Christiana*, apud Montfaucon, *Nova collect. Patrum*. Paris. 1706, tom. 11, pag. 147-148, Babylonem de urbe Assyriæ intellexit, scribens: *At enim in romana primum ditione Apostolorum tempore christiana prædicatio diffusa est; statim vero postea in Perside per Taddæum Apostolum. Et sane in catholicis epistolis scriptum est: Salutatur vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta.* De hoc scriptore Ægyptio cfr. Montfaucon in erudita præfat. ad ejus opera.

(7) Cfr. de his ipsum Michaëlis, op. et loc. cit. sect. 1 et seqq.

(8) Quod quidem argumentum urget Lardner, in *Supplem.* tom. 111, pag. 246 et seqq. apud Pott, prolog. loc. cit. pag. 19. Licet ipse Babylonis nomine Hierosolymam mystice significatam esse contendat.

præterea, Petrum obedientiam et subjectionem Imperatori ejusque ducibus ad exemplum Pauli (1) commendasse, quod iterum de Imperii subdito pronum est intelligere; in ea præterea fit mentio de Silvano seu Sila, prius Pauli deinde Petri comite (2), notissimo in illis regionibus, ad quas per Silanum Petrus epistolam suam mittit (3), nec non de Marco, quem, ut vidimus, veteres ad unum omnes referunt Romæ scripsisse Evangelium, probante Petro, quemque hujus ipsius epistolæ, dictante Petro, sententias exarasse plures affirmant (4). Cum his porro omnibus argumentis extrinsecis et intrinsecis si leves conjecturas conferas, quibus recentiores, cuncta innovandi lubidine ducti, eo devenerunt, ut vel Chaldææ metropolim, vel Aegypti hujus nominis urbem, aut ipsam Hierosolymam significatam esse contenderent, comperies, eas plane evanescere (5); præsertim cum non

(1) Cfr. Michaël. sect. II.

(2) Ex urbe Corinthi, ubi teste Dionysio Corinthiorum Episc. Petrus prædicavit, comitem sibi adscivit Silam sive Silvanum, de quo fit sermo Act. xv, 27, 32, 40. Cfr. Calmet et Cornelius a Lapide, in 1 Petr. v, 12.

(3) 1 Petr. v, 12.

(4) Cfr. auctores, quos paulo ante allegavimus, qui uno animo testantur, Marcum comitem et interpretem fuisse S. Petri, qui propterea existimant, S. Marcum fuisse amanuensem Petri, quatenus ei calamum ac stylum accommodaverit in scribendo. Sane stylus prioris epistolæ a stylo posterioris nonnihil discrepat, utpote ab alio exarata.

(5) Horum omnium discrepantium sententiarum auctores et argumenta, quibus suam unusquisque adstruere nititur, refert Pott, op. et loc. cit. prol. pag. 12 et seqq. qui præterea et aliam adjecit in adnotationibus ad cap. 5, 3, 14. Ex eo nempe quod in vulgato

textu desit vox Ἐκκλησία, collegerunt, Wolfius et Millius vocem Συνεκλειτῆν esse nomen sæminæ cujusdam, et speciatim uxoris Petri, quam ipse secum Babylonem duxerat. Hanc sententiam amplexus est Pott, qui proinde adjecit, Marcum fuisse filium naturalem Petri; eumque pœnituit, quod hæcomiserit in prolegomenis, quæ tum prælo excusa erant, quando hæc observavit. Ita strenue nugantur, qui non antiquitatis documenta, sed proprias sectantur conjecturas in Scripturarum intelligentia. Sed cfr. Fogginius, loc. cit. qui hæc in antecessum docte eruditeque refellerat. Quoniam vero de opinionibus singularibus protestantium agimus, non abs re erit adjicere eventum memorabile, quod ephemeride litterariæ Lipsienses (*Leipziger Literatur-Zeitung*, 1831, pag. 195 et seqq.) referunt, scilicet a centurione quodam, occasione expeditionis Napoleonice in Ægyptum susceptæ, prope Joppen Syriæ hanc lapidis sepulcralis

desint ex antiquitate documenta , e quibus novimus , Romam quandoque Babylonis nomine fuisse significatam (1). Negamus propterea , nulla nobis argumenta biblica suppetere ad evincendum Petri in Urbem adventum (2).

(cujus delineationem memoratæ ephemerides exhibent) inscriptionem detectam fuisse : SIMON PETRUS DISCIPULUS JESU HIC JACET. Scriptor porro articali observat , ejusmodi inscriptionem , quæ ponit sepulcrum Petri in diverso omnino loco ab eo , quem ei assignat narratiuncula (*legenda*) Ecclesiæ catholicæ , re ipsa probatione destitui ; attamen nihil esse quod eam incredibilem efficiat ; tanti proinde faciendam esse quanti narratiuncula altera , quod Petri ossa Romæ consistent. Ex historia Apostolorum novimus , Petrum multo tempore Joppe conversatum esse ; quid ni igitur ibidem potuit mori ac sepeliri ? Hactenus hic auctor , cujus patet admirabilis logica : Inscriptio Joppensis omni probatione destituta est , tanti propterea est facienda quanti historia de Petri in urbe romana martyrio et sepulcro , quæ totius antiquitatis testimonio et documentis omnigenis fulcitur ! Verum redactor protestans ephemeridum Darmstadiensium , qui an. 1828 e relatione Augusti comitis Melin ejusmodi facti adjuncta pagellis suis inseri curaverat , addidit , fragmentum illius inscriptionis sine ulla hæsitatione in numero *apocryphorum* habendum esse (*Allgem. Kirchen-Zeitung* , 1828 , n. 134). Cfr. Roskovany , op. cit. pag. 15 et seqq. not. 41.

(1) Etenim in Fragmentis agrariis , quæ Fausto et Valerio *VV. PP.* in-

T. VIII.

scribuntur , pag. 307 , edit. Wil. Goëssii , sic loquitur : *Circa urbem Babylonis Romæ maritimum fiet et Gallicum ;* et pag. 266 , ib. *Contra (urbis Babylonis) Romam maritimi limites fient et Gallicus impinget.* Ex quibus patet , antiquitas *Babylonem Romam* Urbem interdum vocatam fuisse. Cfr. *Rei agrariæ auctores legesque variæ* , cura Wilhelmi Goëssii , una cum notis Nicol. Regaltii. Amst. 1674. Cl. Mazochius in *Spicilegio biblico* , Neop. 1778 , tom. III , p. 370 , suspicatur , nonnullos veteres *Babylonem Romam* dixisse , ut hanc a *nova Roma* , quæ fuit Constantinopolis , discernerent.

(2) Huc referri pariter debet , quod legitur Joan. XXI , 18 , 19 , dictum Petro a Domino : *Amen , amen , dico tibi : cum esses junior , cingebas te , et ambulabas , ubi volebas ; cum autem senueris , extends manus tuas , et alius te cinget , et ducet , quo tu non vis.* Hoc autem dixit (subdit Evangelista) , *significans , qua morte esset clarificaturus Deum.* Cum vero hæc scripserit Joannes post Petri mortem seu crucifixionem , quæ juxta omnia historica documenta Romæ contigit , patet , exinde novam argumentum biblicum haberi de Petri in Urbem adventu et martyrio. Cfr. Maldon. in hunc loc. nec non Mazochius , op. et loc. cit. pag. 213 , et in *Comm. ad Kalend. marm. Neapol.* ad 29 Jun.

561. Ad 4^m, *Dist.* Prout gratis confingitur, *conc.*; re ipsa, *neg.* Plura enim adversarii ea in re ex mera conjectura et ex arbitrio juxta præconceptum systema supponunt, quæ si negentur, eorum machina dissolvitur (1). Docti et eruditi tum catholici tum protestantes chronologi optime cum Petri Romam adventu ejusque obitu illa omnia componunt (2). Si quæ differentiæ apud eos reperiuntur, accidentales sunt, et plures paucioresque annos afficiunt, qui ab hoc adventu ad Petri in Urbe obitum effluerunt, in quo nihil est certi (3).

562. Ad 5^m, *Neg.* Hæc enim animadversio ex solo mentis tumore provenit, quo sibi adversarii persuadent, antiquos omnes fuisse totidem bardos ac stupidos, ac se solos tandem aliquando oculos aperuisse, quod intolerabilis arrogantia est. Licet enim demus, in nonnullis veteres aliquot deceptos esse, prout et recentiores labuntur, num exinde inferri potest, respuendum esse illorum testimonium in re facti cunctisque obvia? Falsum præterea est, solos Ignatium et Papiam primos testes esse facti, quod abstruimus; recensuimus enim præterea Clementem romanum, utroque antiquiorem. Papias præterea, Irenæus et Origenes Romam se contulerunt; potuerunt proinde rei veritatis certiores fieri ab iis, qui vixerunt cum illis, qui eo tempore, quo Petrus

(1) Sane fanaticus hic scriptor in sua tabula Chronolog. hiatum relinquit ab an. 52 ad an. 70, quo temporis intervallo quare Petrus Romam venire non potuit?

(2) Satis hic mihi sit quatuor ex posterioribus chronologis appellare, duos ex catholicis, duos vero ex protestantibus, qui optime componunt chronologiam, quæ in Actis Apost. habetur, cum historia testatissima de Petri in Urbem adventu ejusque in eadem Urbe martyrio. Ex catholicis cfr. Petavius, *Doctrina temp.* lib. xi, cap. 13 et 14, ubi disjicit eadem ferme argumenta nunc denuo a Genevensi prolata; item

Ricciolius, *Chronologia reformata*, tom. 1, lib. ix, cap. 2, n. 5-8. Ex protestantibus cfr. Joseph. Scaligerus, in *Thesaurio temporum*, Amstelod. 1657, ib. *Animadv. ad Euseb. Chronic.* pag. 189 et 197, et Jac. Usserius, in *Annalibus V. et N. Testam.* Genevæ 1722, p. 646, 647, ubi et Petro cruci affixo applicat illud Joan. xxi: *Quum senueris*, etc. Quibus summis chronologis si provocator noster comparetur, quantillus demum erit?

(3) Cfr. Ricciolius, loc. cit. et Scaligerus, loc. cit. necnon Cotelerius, in not. 36 et 39 ad 1 epist. S. Clementis ad Corinth.

est cruci affixus, floruerunt. In his quippe celeberrimis factis traditio viva conservatur. Nunc addo, eadem plane ratione, qua adversarii utuntur ad factum istud evertendum, posse *authenticam* sacrarum Novi. Test. Scripturarum everti; nec enim, ut postea videbimus, potioribus illæ argumentis innituntur. En quo se conjiçant imprudentes ejusmodi impugnatores?

563. Ad 6^m, *Neg.* Ignatius enim scribens ad Romanos profitetur, se iis non imperare ut Petrus et Paulus (1); ecquis porro non videat apertam allusionem ad hos Apostolos, qui romanos instituebant, imo eum loqui de re notissima? Mirum porro est, adhuc suspicionem ab adversariis ingeri de *genuinitate* epistolarum Ignatii in tanta critices luce, quum vel ipsi Protestantes illarum vindicias susceperint (2). Idem dic de interpolatione, postquam epistolæ genuinæ ab interpolatis apprime distinctæ sunt, et exquisita est inter utrasque collatio usque ad apices instituta (3). Verum quo non impellit hæreticus furor?

564. Licet vero Papias fuerit angustæ mentis, ac facile propterea decipi potuerit, sive in nonnullis speculativis opinionibus, sive in facilitate quasdam admittendi traditiones, non inde sequitur, ipsum haud potuisse testem esse facti celebratissimi ac vulgatissimi; alioquin rudes omnes inepti plane essent ad fidem faciendam in tribunalibus. Quod vero Irenæus deceptus fuerit a Papia, gratuita assertio est, quæ eadem facilitate contemnitur, qua profertur. Non satis est asserere, sed præterea necesse est probare, quod nunquam adversarii efficient.

565. Ad 7^m, *Neg.* Etenim nisi fuissent coæva, nulla ratione ad illa monumenta potuisset Cajus initio seculi III, scilicet

(1) En verba S. Ignatii n. 4: Οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος διατάσσομαι ὑμῖν. ἐκεῖνοι ἀπόστολοι, κ. τ. λ. Non ut Petrus et Paulus præcipio vobis. Illi Apostoli, etc.

(2) S. Ignatii epistolarum vindicias ex protestantibus inter ceteros egerunt Joan. Pearsonius, in proluxa disputatione adversus Dallæum, quæ prostat

ad calcem vol. II, *Patrum Apostol.* Cotelarii, et Isaac. Vossius in epist. ad Andr. Rivetum, datis adversus Blondellum, ibid. p. 439 et seqq.

(3) Cfr. Præf. Usseii, Vossii et Cotelarii in Ignatium, apud Cot. loc. cit. pag. 5 et seqq. necnon ibid. erudita prolegomena Jac. Usseii in Ignatium, tom. II, part. II, pag. 187 et seqq.

an. 210, provocare hæreticos, a quibus facile falsitatis argui potuisset; nec enim minus audaces erant hæretici seculi III, quam sint hæretici seculi XIX. Siluerunt tamen illi; argumento itaque ineluctabili est, quod nihil haberent reponendum. Ridiculum autem est, quod opponitur de exiguitate illius monumenti, perinde ac si ad fidem faciendam opus esset erigere templum S. Petri. Certe si hæc ratio valeret, frustra Jacob lapidem erexisset in titulum, aut veteres patriarchæ acervum lapidum pro monumento posuissent.

566. Ad 8^m, *Neg. conseq.* ex falsis præmissis deductam; uti ex datis responsionibus aperte liquet; prout falsum est, Scripturas impossibile utrumque factum ostendere, quæ quidem demonstratio unice innititur silentio Pauli in II ad Timoth. scripta paulo ante ejus mortem (1); cujus autem ponderis sit argumentum, quod ex ejusmodi silentio eruitur, paulo ante vidimus.

567. Obj. secunda. Saltem ostendi nequit, Petrum fuisse ro-

(1) Ridiculum plane est, quod a nonnullis urgetur, argumentum ex verbis Pauli, II ad Tim. IV, 16: *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt*, quæ sine injuria S. Petri scribere non potuisset Apostolus, perinde ac si Petrus, qui et ipse in vinculis detinebatur, potuisset Paulo suppetias ferre. Ceterum apud protestantes nondum exploratum est, quo tempore hæc epistola exarata sit, ut ab ipsis urgere possit adversus nos. Cfr. Michaëlis, op. cit. tom. IV, ch. 22, sect. 2. Hic demum observo, quam feliciter protestantes inter se pugnent, dum aggrediuntur catholicos, qui Romam Petrum venisse ibique mortuum esse tuentur. Etenim juxta Calvinum, *Comment. cit. in 1 Petr. epist.* Pontificii in illam venere sententiam, quod Petrus Babylonis nomine Romam significaverit, ex præconcepta falsa sen-

tentia quod Petrus Romam venerit; at vero juxta Eichhornium, op. cit. ideo Catholici autumant, Petrum venisse Romam, quod Babylonis nomine mystice Romam interpretati fuerint. Sic enim scribit: *Habitatio Petri Romæ, juxta majorem omnem probabilitatem, fabula est. Innititur compilationi prioris epistolæ suæ Babylone, 1 Petr. v, 13, quod nomen primitiva Ecclesia exponebat figurate de urbe Roma; et super hoc id omne ædificatum est, quod mundus christianus antiquus et novus fabulatus est, de illius meritis cum Ecclesia rom., de ejus illic primatu, ac de suo martyrio. Ego fidenter quæro: ubi aliunde haberetur hujus rei probatio? Et historia critica deberet ne pati probationem adeo inopportunam?* Ita quidem isti novi gigantes.

manæ urbis Episcopum. Etenim 1^o id non conficitur ex eo, quod Sedes romana passim *Cathedræ Petri* nomine insignita fuerit; cum exploratum eruditis sit, de aliarum etiam Ecclesiarum Episcopis dici eos Cathedram Petri obtinuisse, imo et *Petri successores* fuisse vocatos. 2^o Certe nemo Apostolorum peculiarem gessit Episcopatum. 3^o Secum enim invicem pugnant Apostoli et Episcopi munera; Apostoli siquidem munus exigit nulli peculiari loco addictum esse, Episcopi autem certam sedem et peculiarem gregem exposcit (1). Ergo.

568. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Dist.* Legitur de aliarum Ecclesiarum Episcopis eos obtinuisse Petri Cathedram, et vocatos Petri successores abusive et improprie, *conc.*; proprie, *neg.* Nempe quandoque etiam aliæ sedes præter romanam dicuntur *Cathedra Petri*, earumque præsules Petri successores plures ob causas: 1^o quia ex Petri Cathedra suo veluti ex fonte episcopalis jurisdictio promanat; 2^o quia unitatem ipsius constituunt cum Petri cathedra, quæ totius Ecclesiæ centrum est; 3^o quia peculiare illæ Ecclesiæ vel a Petro vel ab aliquo ejus successore institutæ fuerunt. His propterea aliisque ejusmodi de causis factum est, ut *interdum* lata quadam significatione iis nominibus sedes illæ fuerint insignitæ, et earum Episcopi *Petri successores* nuncupati. Ceterum nunquam in istorum Episcoporum catalogis primo loco ponitur Petrus, uti constanter fit in catalogis Ecclesiæ romanæ; nunquam dicitur, Petrum in illa Ecclesia sedisse, eamque ad mortem usque rexisse, uti semper de romana occurrit Ecclesia.

569. Ad 2^m, *Neg.* Universa siquidem antiquitas docet, S. Jacobum fuisse Episcopum Ecclesiæ hierosolymitanæ (2). Quod

(1) Ita Sam. Basnagius, *Annal. politico-eccles.* ad annum 51, § 31; ad an. 40, § 20; ad an. 42, § 8.

(2) Uti Hegesippus, apud Euseb. lib. II, cap. 23; Clem. Alex. *ibid.* cap. I; Eusebius ipse, *ib.* cap. 14; item lib. III, cap. 5, et cap. 7; item lib. VII, cap. 19; Epiphan. *Hæres.* LXXVIII, edit. Petav. n. 7; Chrysost.

Hom. XXXVIII, in I ad Cor. n. 4; Cyrillus Hierosol. *Catech.* XIV, n. 21, et alibi passim, Hieronym. *De viris illustr.* cap. 2, edit. Vallars. et in *Comment. in ep. ad Gal.* lib. I, edit. cit. tom. VII, pag. 396; Augustinus, *Cont. Crescon.* lib. II, cap. 37, et *Cont. liter. Petil.* lib. II, cap. 51.

si reliqui Apostoli certam sibi sedem non elegerunt, uti sibi Petrus romanam delegit, ideo est quia in illis non extabat peculiaris ea ratio, qua Petrus ad suam eligendam debuit permoveri. Petrus enim, præter apostolatam omnibus collegis suis communem, habuit primatum in universam Ecclesiam, quem cum alii, dum ipse in vivis ageret, tradere non posset, debuit necessario certam eligere Sedem, in qua primatus hic sibi divinitus collati relinqueret hæredem, cum ex Christi institutione deberet juxta dicta esse perpetuus.

570. Ad 3^m, *Neg.* Uti constat ex episcopatu Jacobi. Accedit, optime potuisse Petrum utrumque munus conjungere, Apostoli nempe atque Episcopi. Constituta enim semel Ecclesia romana, potuit episcopatum per vicarium administrare, ac varias interea excursiones ipse facere, prout reipsa Petrum se gessisse certissima historica documenta testantur (1).

PROPOSITIO III.

Romani Pontifices, Petri in episcopatu romano succesores, illius primatum jure divino obtinuerunt, non autem humana sive ecclesiastica sive politica dispositione.

571. Uti ex ipsa propositionis enunciatione liquet, apprime scerni debet in Rom. Pontificibus eorum successio in romanum Petri episcopatum, seu romanam Petri sedem et cathedram, a successione in ejus primatum. Successio enim in Petri episcopatum juris ecclesiastici est, successio vero in illius primatum est juris plane divini. Successio in Petri sedem uti conditio solum

(1) Cfr. Papebrochius, in op. cit. *Responsio ad exhibit. errorum*, part. 1, art. 7, § 4, ubi luculenter ostendit, a B. Petro adscitos fuisse ad Ecclesiæ rom. administrationem adjutores Linum et Clementem, quos ordinaverat Episcopos, ut se absente Romæ

episcopalia munera obirent. Idem ostendit Isaacus Vossius, in *Respons. ad Blondellum*, ad calc. tom. II, *Patr. Apost.* Cotelerii, pag. 443; nec non Godofredus Vendelinus in diss. *De Clementis et ejus epistolar. tempore divinat.* Ibid. tom. 1, pag. 138.

se tenet ad successionem in ejus primatum, qui cum ex Christi institutione, quod ostendimus, perpetuus in Ecclesia sit et alligatus personæ Petri, hinc fit, ut qui Petro in episcopatu succedit, hoc ipso in ejus primatum ex Christi dispositione succedat (1). Hanc porro diversam rationem, qua Rom. Pontifices succedunt in Petri episcopatum atque in ejus primatum permiscendo, nonnulli in fere inextricabiles difficultates se conjecerunt.

572. Thesis hæc adstruitur adversus acatholicos omnes, qui quamvis in ceteris inter se mire dissentiant, in oppugnando tamen Rom. Pontificis primatu, qui sit juris divini, unanimes sunt, et furore quodam aguntur. Græci, protestantes, Russi, Anglicani nervos omnes in id contenderunt atque contendunt. Ejusmodi enim primatū semel constituto, actum plane de sectis omnibus et conclamatum est. Æquum proinde, ut et nos vires nostras ad eum propugnandum omni, quo par est, studio conferamus. Sic igitur, quod proposuimus, evincendum aggredimur.

573. Ex hactenus constitutis, Christus contulit Petro primatum jurisdictionis super universam Ecclesiam; contulit hunc primatum Petro ad constabiliendam Ecclesiæ suæ unitatem, eamque in perpetuum conservandam, seu in utilitatem et emolumentum Ecclesiæ suæ; ac propterea, quod consequens est, voluit eundem primatum in societate a se in unitate constituta esse perpetuum; debuit igitur hic primatus ex Christi dispositione in Petri successores promanare. Atqui nullus alius Petri successor præter Rom. Pontificem, qui illius nempe sedem seu episcopatum romanum, quem ipse prius instituit et ad obitum usque

(1) Romani scilicet Pontifices, mediante episcopatu romano, potiuntur Petri primatu, qui nunc ab illo inseparabilis est, postquam nempe Petrus utramque in propria persona conjunxit; et ideo peculiarem sedem fixam seu episcopatum elegit, ut per ipsum transmitteret ad successores suos in episcopatu primatum perpetuo in Ecclesia duraturum, id quod ex dicendis cla-

rius fiet. Diximus autem, Rom. Pontifices esse Petri in sede seu episcopatu romano successores *jure ecclesiastico*, quia reipsa individuorum electio in Episcopos romanos a sola Ecclesia pendet; quod vero electi in romanos Præsules potiuntur primatu, hoc juris divini est; quod ex propositionis, quam adstruimus, evolutione patebit.

rexit, occupaverit, est vel esse potest; ergo solus Rom. Pontifex Petri primatus jure divino hæres est, seu gaudet primatu jure divino.

574. Sane Petrus, qui ratione apostolatus sui potuisset nullam sibi *certam* sedem eligere, ne *incerta* permaneret post obitum suum primatus sui successio, postquam Antiochenam per aliquot annos rexisset Ecclesiam, uti fert antiqua traditio (1), Romam venit, episcopatum instituit, illumque ad mortem suam usque occupavit ac tenuit. Dum vero Petrus romanum gessit episcopatum, etiam primatum sibi divinitus collatum in universam gessit Ecclesiam, atque uti Episcopus romanus unitatem Ecclesiæ in se, ut ita loquar, *personificabat*, adeo ut unus idemque esset Episcopus romanus et Ecclesiæ universæ primas, ac unitatis Ecclesiæ centrum. Qui propterea Petri episcopatum adepti sunt, jure naturali successionis utrumque sunt munus adepti, episcopatus scilicet et primatus, quibus Petri persona potiebatur; atque essentialem Ecclesiæ unitatem per primatum romano episcopatu, ut ita dicam, a Petro inoculatum et insertum continuarunt. A Petri obitu in episcopatu romano utraque dignitas inseparabilis evasit, sic ut altera ab altera jam dispesci haud amplius potuerit. Alioquin quælibet peculiaris sedes primatum sibi vindicare potuisset aut independentiam; actumque propterea fuisset de Ecclesiæ unitate, per primatus institutionem a Christo intenta. Merito proinde Bossuetus: *Petri*, inquit, *successores*,

(1) Hujus traditionis testes sunt Origenes, *Hom.* vi, in Luc.; Eusebius, in *Chronico*; Hieronym. in *Comment. in epist. ad Galat.* cap. 2, et in *Catalogo*; Joan. Chrysost. tom. 1, *Hom.* xlii, et tom. v, pag. 180, et alibi; Innocentius I, *Epist.* xiv, ad *Bonifac.* et *Epist.* xviii, ad *Alexand. Antiochenum Episc.*; Leo M. *Serm.* 1, in *Natali SS. Apostol. Petri et Pauli*, et *Ep.* lxii, ad *Maximum Antioch. Episc.*; Theodoretus, *Ep.* lxxxvi, ad *Flavian.* Basilii Seleuciensis, in *Vita*

S. Theclæ, lib. 1, pag. 276. edit. Paris. 1622; Fulgentius, lib. *De Trinit.* cap. 1; Gregorius M. *Epist. ad Eulogium Episc. Alex.* Auctor libri Pontificalis; Maximus Antioch. Episc. in Concilio Chalced. Act. vii, alique apud Fogginium, op. cit. exercit. 9. Adeo ut mirum sit, Basnagium, ad anno. 40, n. 20, potuisse Antiochenum S. Petri episcopatum veluti commentum traducere ab *Recognitionum* Clementis laicis exortum.

cum ordinandi fuerint, e cœlo lapsuri non sunt; neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Ecclesiam citari, commoverique oportebat. Necesse ergo est, ut sit aliqua Ecclesiæ catholicæ pars, ex qua existant, aliique aliis subrogentur (1).

575. Atque inde dimanavit *realis illa præsentia*, ut eam vocat Comes De Maistre, quæ ab ipsis rei christianæ incunabulis ubique se prodit, hujus primatus a Rom. Pontificibus administrati et exerciti. Hanc enim deprehendimus in Rom. Pontificum gestis, sive cum errores hæresesque damnarunt (2), sive cum sanxerunt disciplinam in Ecclesia universa (3), sive cum exortas controversias ubique gentium diremerunt, sive cum Episcopos longe dissitos tum in Oriente tum in Occidente obedire detrectantes minis perterruerunt aut etiam deposuerunt, sive dum alios id genus auctoritatis actus exercuerunt, quibus referta est ecclesiastica trium priorum seculorum historia (4).

576. Eamdem præterea deprehendimus in scriptis atque in agendi ratione Ecclesiæ Patrum totius christiani orbis. Vix enim per id temporis hæresis aliqua aut schisma exoriebatur, cum omnes illico oculos suos convertebant ad Rom. Pontificem, remque totam ad eum deferebant (5); opponebant hæreticis et schis-

(1) *Defens. Cleri gallic.* lib. x, cap. 5, cit. edit. tom. xxxiii.

(2) Cfr. gesta rom. Pontificum Zephyrini, Dionysii, Victoris, Stephani, apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. v, c. 23 et seqq., lib. vi, cap. 43, lib. vii, cap. 3 et seqq. etc.

(3) *Ibid.* lib. v, cap. 24, 25.

(4) Cfr. Bolgeni, in op. cui tit. *L'episcopato*, edit. Orvieto 1837, tom. iii, *Appendice H*, n. 630 et seqq. pag. 61 et seqq. qui ad id ostendendum percurrit et excutit ejusmodi facta incipiando a seculo i ad sec. v inclusive, quibus quod asseruimus luculentissime evincitur.

(5) Ita factum est in schismate Donatistarum, in schismate Alexandrino et Antiocheno; ita in hæresibus, quæ exortæ sunt vel a primis Ecclesiæ seculis, Gnosticorum, Pauli Samosatani, Theodoti coriarii, etc. Dionysius Alex. cum in suspicionem hæresis venisset, apud Dionysium rom. accusatus est. Id ipsum contigit, cum enatæ sunt hæreses ariana, macedoniana, nestoriana, eutyhiana, etc. Nullum unquam alicujus momenti negotium agitatum est, quod illico delatum non fuerit ad rom. Pontificem, uti testis locupletissima est universa historia ecclesiastica. S. Basilii, *Epistola lxxix, ad Athanasium* :

maticis auctoritatem Ecclesiæ romanæ, quacum si quis haud communicaret, frustra speraret sese ad Ecclesiam pertinere (1). Eam propterea certatim vocabant *petram Ecclesiæ principalem* (2); *Ecclesiarum omnium matricem* (3), *et ex qua unitas sacerdotalis exorta est* (4); *Ecclesiam potentiolem, cum qua necesse est convenire omnes, qui sunt undique fideles* (5); *Petri cathedram, contra quam nunquam prævalituræ sint superbæ inferorum portæ* (6); *ex qua profluxit quidquid in Episcopis auctoritatis est* (7); *ex cujus firmitate firmitas pendet Episcoporum et episcopatus* (8). Quæ quidem aliaque sexcenta ejusmodi Patrum effata, quibus rom. sedem seu roman. Pontificem *unitatis centrum, unitatis originem, Sedem Apostolicam* per antonomasiam appellant, *firmamentum a Deo fixum et immobile, Episcopum Episcoporum, Patrem Patrum*, etc. apertissime evincunt, agnitum semper constanterque fuisse primatum

Ἐφανη δὲ ἡμῖν ἀκόλουθον ἐπιτεῖλαι τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ἐπισκέψασθαι τὰ ἑνταῦτα, καὶ δοῦναι γνώμην,..... ἰν'..... αὐτον ἀνθεντῆσαι περὶ τὸ πρῶγμα. Id est, *Nobis autem, inquit, operæ pretium esse visum est, ad Episcopum Romæ scribere, ut res nostras invisat, et consilium daret... Ipsohoc negotium suo Marte aggrediatur.* Edit. Maur. tom. II, p. 162. Sane epist. LXX, scribit ad Damasum, opem ejus implorans in difficillimis illis rerum adjunctis, eundemque excitat ad exemplum prædecessorum suorum.

(1) Cfr. Præfat. editoris Maurini opp. S. Cypriani, § 3, nec non Ballerinius, *De vi et ratione primatus*, cap. 11, § 2, pag. 59 et seq.

(2) S. Cyprianus, *Ep. LV, ad Cornel.*

(3) Idem, ep. XLV, ad eundem.

(4) Idem, ep. cit. LV, ed. cit. pag. 86, et S. Ambrosius, qui in *Epist. ad Gratianum Imp.* loquens de rom. Ecclesia,

scribit: *Inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant.* Apud Labbeum, tom. II, col. 999.

(5) S. Iren. loc. cit. Ubi notandum illud *necesse est*, quo significatur absoluta necessitas non solum eandem fidem profitendi cum apostolica Sede, verum etiam servandi unitatem communionis cum ea. Technas adversariorum circa hunc textum paulo post expendemus.

(6) S. Augustin. in *Psalmò contra partem Donati.*

(7) S. Innoc. I, *Epist. ad Victric. Rothom.* cap. 2. Item in *Epist. ad Conc. Milevitan.* cap. 2; S. Greg. Nazianzen. in orat. *Adversus eos, qui reprehensiones ægre ferunt*, aliique passim apud Bolgeni, op. cit. *Append. B.*

(8) S. Leo M. *Serm. IV, De Natali ipsius annivers. die assumpt. suæ.* Edit. Ballerin.

Petri in Rom. Pontificibus, ejus successoribus, perseverantem, adeo ut monumentorum omnigenorum copia veluti obruamur (1).

577. Huc pariter referuntur appellationes, accusationes, purgationes, quas ad Rom. Pontificem Episcopi, etiam primarii, undique habuerunt, cum opprimerentur, aut in discrimen aliquod vocarentur (2); quæ procul dubio patefaciunt, ipsos veram auctoritatem superioris ordinis, sive jurisdictionis in Rom. Pontificibus, Petri successoribus, professos esse.

578. Eamdem *realem* summi Pontificatus *præsentiam* in Rom. Præsulibus deprehendimus in ipsa agendi ratione hæreticorum et schismaticorum, qui, ut proprios cohonestarent errores ac perduellionem, minime dubitarunt Romam confugere (3), Romam

(1) Cfr. Theoph. Raynaudus, in op. *Corona aurea super mithram rom. Pontificis*, opp. edit. Lugd. tom. x. Ubi hic auctor incredibili patientia et labore ex Patrum græcorum et latinorum aliorumque scriptorum ecclesiasticorum scriptis collegit titulos, quibus B. Petrus et rom. Pontifex donati sunt, ac enumerat *quadringentos nonaginta quinque*. Equidem fateor, pro ætatis illius critica nonnullos ex his titulis hunc auctorem hausisse ab operibus, quæ nunc uti spuria habentur. Attamen plerique ex genuinis fontibus collecti sunt. Ex his porro facile deprehenditur, quinam fuerit totius antiquitatis sensus circa divinam originem, prærogativas ac supremam dignitatem primatus illius, quo rom. Pontifex, utpote S. Petri successor, potitur, quique illis titulis ac onomastico significatur. Cfr. etiam Mamachus, *Orig. et antiquit. christ.* tom. v, p. 1, libri iv, p. 2, cap. 3. His addendi sunt Card. Orsius, in op. *De irreformabili rom. Pontificis judicio*, trib. volum. in 4°, Romæ 1739;

Card. Gerdilius, *Analisi contro Lauennojo*, opp. ed. cit. tom. xiii; Muzza-ralli, *Del buon uso della logica*, opusc. iii, edit. Flor. 1831, tom. 1; Bolgeni, op. cit.; Zaecaria, in *Antifebronio*, et in *Antifebronio vindicato*, qui uber-rima exhibent in hanc rem Patrum tes-timonia. Ex recentioribus idem præ-stiterunt Franc. Patricius Kenrick, coad. Episcopi Philadelph. in provinciis fæderatis Americæ, in op. *The Primacy of the apostolic see and the authority of general councils vindicated*, Philadelphiæ 1838; præsertim vero Dr. Rothensee, in op. *Der primat des Papstes in altenchristlichen Jahrhunderten, etc.* seu *Primatus Papæ in antiquis seculis christianis*, Mogunt. 1836. Quamvis hoc opus, auctore morte prævento, ab-solutam non fuerit.

(2) Cfr. Ballerini, *Observationes in dissert. v Quesnelli*, tom. 11, opp. S. Leonis, pag. 902 et seqq.

(3) Cujus agendi rationis exempla notissima sunt Nestorii, Eutyichis, Pelagii, etc.

se conferre (1), sanctæ Sedis auctoritatem extollere, donec scilicet spes ipsis aliqua affulsit vitandi promeritam damnationem (2).

579. Eam deprehendimus in actis omnibus Conciliorum œcumenicorum, atque, ut verbo dicam, in fastis omnibus, annalibus et historiis Ecclesiæ, ita ut nullum aliud factum perspectum adeo sit atque exploratum quovis rei christianæ seculo.

580. Possemus denique hanc eandem veritatem firmare aperta confessione ipsorum protestantium Lutheri, Calvini, Melanchthonis, Casauboni aliorumque plurium (3), nec non Græcorum schismaticorum, Anglicanorum, Russorum (4). Verum ne ulterius rem protrahamus, quam institutionum brevitatis ferat, his finis sit.

581. Interim evidenter conficitur, non ex ecclesiastica, multoque minus ex politica dispositione factum esse, ut Rom. Pontifices Petri primatus in universam Ecclesiam hæredes existant. Nam cum primatus iste ita Petro collatus fuerit, ut semper in Ecclesiæ bonum perdurare deberet, adeoque ad ejus successores transire, cumque Rom. Pontifices ideo primatum obtineant, quia

(1) Sane Cerdo, Valentinus, Marcion, Cælestius aliique Romam se contulerunt ad reddendam rationem doctrinæ suæ. Alias dedimus testimonium Wetstenii id aperte fatentis. Cfr. Com. de Maistre, *Du Pape*, liv. 1, ch. 5, edit. Lyon 1817, tom. 1, pag. 60 et seqq.

(2) Plura hujus rei exempla suppeditat Com. de Maistre, op. et loc. cit. ch. 10, præsertim ex Photio et Michaele Cerulario.

(3) Hæc exhibet laudatus auctor, ibid. ch. 9, *Témoignages protestans*; nec non de Starck, quamvis protestans et ipse, in suo *Convivio Theoduli*. Plura item conguessit Barruel, in op. *Del Papa. trad. dal franc.* Genova 1803,

tom. 1, p. 11, cap. 5, *Testimonianze de' protestanti intorno al Papa e alla chiesa romana*. Novissime vero magno etiam numero ex recentioribus protestantibus profert testimonia Eslinger, in sua *Apologie de la religion catholique par des auteurs protestans*, art. *Pape*.

(4) Et hæc pariter adducit Com. de Maistre, op. et loc. cit. ch. 10, *Témoignages de l'Eglise russe, et par elle témoignage de l'Eglise grecque dissidente*. Quoad auctores armenos eosque antiquissimos, cfr. Clem. Galanus, in *Conciliatione Ecclesiæ armenæ cum romana*, Romæ 1661 tom. 11, tract. 111, *De militantis Ecclesiæ capite*, pag. 225, et, seqq.

succedunt in cathedra Petro, patet, non alio ipsos jure primatum hunc tenere, quam eo quo Petrus illum accepit ac tenuit. Ergo ex vi institutionis Christi, et ex Petri in urbe romana episcopatu, romanorum Pontificum in Petri primatum successio unice est repetenda. Hoc præterea omnia, quæ vix attingimus, sive Patrum testimonia, sive ecclesiasticæ historiæ gesta demonstrant; quorum plura eam anteverunt ætatem, qua pax Ecclesiæ a Constantino reddita est. Quo quidem solo satis ii refutantur, qui primatum hunc romanorum Pontificum ab humana origine repetere præsumunt. Quapropter non minus vere quam eleganter scripsit S. Leo M. : *Sicuti permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit... Manet ergo dispositio veritatis, et B. Petrus, in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit* (1). Perseverat videlicet Petrus et vivit in successoribus suis, in quibus et per quos gregem universum pascit ac regit (2). Quapropter Florentini Patres, *Definimus*, inquit, *sanctam apostolicam Sedem, et rom. Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur* (3).

582. Patet igitur, quod initio proposuimus, Rom. Pontifices, Petri in episcopatu romano successores, illius primatum divino jure obtinuisse, minime vero ex humana sive ecclesiastica sive politica dispositione.

(1) *Serm. III, de Natali ipsius, etc.* Edit. Baller, cap. 2, et 3.

(2) Merito proinde De Marca, in diss. cit. *De discrimine cleric. et laic.* cap. 3, n. 2, affirmat ea verba : *Tibi dabo claves, etc.* ad unum Petrum directa esse, *ut scirent omnes, Pontificis*

potestatem semper cum Petri Ecclesiæ capitis communiione et unitate retinendam; ad quod ipse præcipue cum potestate ligandi contumaces huic unitati cogere posset.

(3) In *Decreto seu definitione.* Apud Hard. *Acta Concil. t. IX, col. 986.*

DIFFICULTATES

583. Obj. prima. 1^o Ecclesiæ romanæ præ eminentia tota accepta referenda est adjunctis externis, quæ in eam unice concurrerant, quibus suapte natura auctoritas, qua vel ab initio Ecclesia ista potita est, intelligitur. Hæc autem sunt *a*) numerus ejus cleri et populi (1); *b*) ejus divitiæ et charitas (2); *c*) ejus origo apostolica, utpote a Petro et Paulo fundata (3), quo factum est ut a Patribus *Sedes Petri* nuncuparetur; *d*) puritas ejus fidei, in qua, ut loquitur Irenæus, *semper conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio* (4); *e*) dignitas temporalis romanæ urbis, prout 2^o declarat Conc. Chalcedonense, can. XXVIII, his

(1) De quo Cornelius in *Epist. ad Fabium Antiochenum*, apud Euseb. in *Hist. eccles.* vigente Decii persecutione. Sic Cyprianus scribens ad Cornelium Episc. rom. loquitur de *florantissimo illic clero* secum præsertente, et de *sanctissima et amplissima plebe* (epist. lv). Irenæus disserit de Ecclesia romana, tanquam de Ecclesia *maxima*.

(2) Opulentia romanæ Sedis talis erat, ut fuerit speciali ratione sugillata ab Ammiano Marcellino veluti causa violenti schismatis, quum Damasus et Ursinus contenderent pro illa Sede (lib. xxvii, sub finem cap. 3). Verumtamen divitiæ istæ profundebantur in opera charitatis. Diouysius Corinth. Epis copusser ibens ad Ecclesiam rom. tempore Soteri, circa medium seculi II: *Hæc, inquit, vobis consuetudo est jam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes universò beneficiorum genere afficiatis*, etc. (apud Euseb. lib. iv, c. 23). Ejusdem charitatis meminit Dionysius Alex. seculo insequente, in epist. ad Stepha-

num; ubi refert, universæ Syriæ et Arabiæ necessaria a rom. Ecclesia suppeditata fuisse (ibid. lib. vii, cap. 5). Nil porro mirum esse debet, si divitiæ bene adeo expensæ conciliaverint Sedi rom. universalem venerationem.

(3) Ita Irenæus, qui loquitur de eadem Ecclesia veluti de ecclesia *maxima, et antiquissima et omnibus cognita, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundata et constituta* (lib. iii, cap. 3). Synodus antiochena agnovit, quod in scriptis omnes libenter honorarent Ecclesiam rom. utpote quæ vel ab initio schola fuerit Apostolorum, ac religionis metropolis. Peculiari vero modo honorata est, eo quod ei præsederet Petrus primus Apostolorum, ac propterea a pluribus Patribus *Petri sedes* nuncupata est.

(4) Loc. cit. Sane rom. Ecclesia sollicita semper fuit de conservanda vera fide ab remotissimis usque temporibus, damnans et pellens Gnosticos, Artemonistas, etc.; et furente Arianorum insaniam, ipsa fuit fidei catholicæ propugnaculum.

verbis concepto : *Etenim antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt, et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi sanctissimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt;* et Cyprianus : *Quoniam, inquit, pro magnitudine sua debet Carthaginem Roma præcedere* (1). Episcopus romanus seculo III fruebatur jurisdictione super magna Italiæ parte ; eam ipsi confirmavit Synodus Nicæna, can. VI, qui ita se habet : *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libiam et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam ceterasque provincias suis privilegia servantur Ecclesiis* (2), seu ut legitur in versione Rufini, *et ut apud Alexandriam, et in urbe Roma, vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat* (3). 3^o Concilium Sardicense ei contulit peculiaria privilegia sec. IV (4). 4^o Imperatores vero Gratianus, Valentinianus et Justinianus aliique agnoverunt. Rom Pontificis primatum, ac varias ei contulerunt prærogativas et privilegia. A vero porro abluderet, qui præeminentiam Ecclesiæ romanæ a solis Imperatorum decretis aut Conciliorum canonibus inferret, quamvis valde aucta ex ejusmodi causis fuerit. Fundabatur illa siquidem in possessione attributorum, quæ collective ad nullam aliam Ecclesiam spectabant. Exinde pronum est agnoscere, quare Episcopi romani vocarentur a Patribus *successores S. Petri*; ipsi enim erant Episcopi particularis Ecclesiæ, cui S. Petrus fundandæ adlaboraverat, cuique præsederat, erantque adeo veluti Episcopi Ecclesiæ principalis, *eminentiores* inter successores Apostolorum, ad eum præcise modum quo Petrus præeminentiam habuerat inter Apostolos ipsos (5). Ergo.

(1) Epist. XLIX. Theodoretus, *Epist. ad Leonem*, loquitur de urbe Roma tanquam *de omnium maxima et clarissima, quæ et orbi terrarum præsidet, et incolarum numero redundat* (apud Baller. opp. S. Leon. tom. 1, ep. 111).

(2) Apud Hard. tom. 1, col. 326.

(3) Ibid. col. 333.

(4) Canon. III, IV, VIII. Ibid. col. 639-642.

(5) Hactenus fere Palmer, op. cit. part. VII, cap. 3, vol. II, pag. 497 et

584. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Hæc enim adjuncta non sunt nisi aut causa aut effectus. Causa sunt, quatenus determinaverunt Apostolorum principem, ut Romæ potius figeret sedem suam quam in alia civitate. Divinæ enim Providentiæ consilio factum est, ut urbs illa, quæ centrum erat gentium omnium et paganicæ superstitionis, centrum fieret veræ religionis; et judaicæ gentis, a Deo rejectæ in pœnam patrati deicidii, metropoli, Hierosolymæ, subrogaretur metropolis gentium, Roma, in novæ religionis, seu potius novi foederis, ad quod gentes divina gratia vocatæ sunt, principium et caput (1). Semel vero religionis christianæ metropoli constituta in romana urbe, consequens plane

seqq., qui, ut patet. communem impugnandi primatum rom. Pontificis viam deseruit, videns, parum profecisse eos, qui vel ex decretis Conciliorum, vel ex Imperatorum legibus, vel qualibet alia peculiari causa seorsum sumpta illum impugnabant. Nova proinde arte usus est, ut eriperet catholicis arma, quibus causam rom. Ecclesiæ defendebant. Cumulat in eam Ecclesiam prærogativas, amplificat Patrum sententias, ut sic meliori successu finem sibi propositum obtineat. At, uti patebit, frustra hanc ipse artem in sui præsidium adscivit.

(1) Joverit, quæ hic asseruimus, confirmare auctoritate scriptoris adversariis nostris haud suspecti, toties nempe citati judæo-increduli Salvador, qui in opere, *Jésus-Christ, et sa doctrine*, lib. III, ch. 2, tom. II, pag. 311 et seq. in rem nostram hæc habet: *Cette qualification très-exacte de christianisme de la gentilité, imposait dès l'origine une tendance invincible à ses propagateurs. Elle leur inspirait d'obtenir un jour pour leur établissement central et sacré, et d'appeler du nom*

de vraie Jérusalem la ville même, où la puissance des gentils avait le plus brillé, la capitale du monde païen, du monde étendu que le Dieu des Juifs, si l'on veut accomplir l'image commencée précédemment, devait livrer à l'une des deux grandes divisions de son peuple choisi, afin de rendre mieux sensible à tous les yeux que la force de la parole ou de l'intelligence dont il était roi, ne la cédait en rien au fil le plus acéré de l'épée. Dans cet état de choses, ce n'est donc ni au concours fortuit des circonstances (ut contendit Palmer), ni à une usurpation, ainsi qu'une foule de sectes chrétiennes dissidentes et presque tous les écrivains philosophes l'ont pensé, qu'il faut attribuer la suprématie acquise par Rome et par son Pontife dans le monde chrétien. Cette suprématie découlait des principes communs aux fondateurs d'Israël, ou du peuple nouveau; elle était une des nécessités les plus manifestes de leur mission, et elle devait servir à la fois de couronne et de fin à leur conquête.

erat, ut vitam ibi suam religio peculiari ratione exerceret, suamque vim ac energiam. Inde enim profluxerunt tum cleri tum populi christiani numerus, divitiæ et charitas, sedis apostolicæ origo, Petri sedis nuncupatio, fidei puritas, et si quæ alia sunt, quæ sedis romanæ præminentiam commendant.

585. His præterea adjiciendum est, ex præmissis, in eo totius quæstionis cardinem versari, utrum primatus in perpetuum a Christo institutus, ad constabiliendam servandamque Ecclesiæ unitatem in fide et communione, ac Petro collatus, in romana Ecclesia, an vero in alia firmatus sit et constitutus, ut ad seculorum finem una cum Ecclesia ipsa perseveraret. Porro et Petri sedes romana, et totius christiani orbis consensus qualibet ætate evidenter solum Rom. Pontificem uti episcopatus ita et primatus Petri successorem evincunt. Nam sola romana Sedes jus istud et dictis et factis semper sibi vindicavit; nulla alia Ecclesia jus istud sibi competere unquam contendit; immo Ecclesiæ omnes orientales et occidentales, Patresque omnes unanimi consensu et proclamaverunt et vindicarunt prærogativam hanc uni Ecclesiæ romanæ; restat igitur, ut eam et nos in hac romana sede agnoscamus. Ab hoc quæstionis statu manifeste divertunt adversarii, et elabi adnituntur.

586. Ad 2^m, Transmissa utriusque canonis, Nicæni scilicet et Chalcedonensis auctoritate, *neg. conseq.* Ac primo quidem transmisimus utriusque objecti canonis auctoritatem; notum quippe eruditis est, controversiam agitari circa germanam canonis Nicæni lectionem (ut ab antiquiori hoc incipiamus), utrum scilicet cum Paschasino, S. Sedis legato apud Concilium Chalcedonense, legi debeat, prout ipse eum recitavit Act. XVI ejusdem synodi, nempe: QUOD ECCLESIA ROMANA SEMPER HABUIT PRIMATUM. *Teneat autem et Ægyptus, ut Episcopus Alexandria omnium habeat potestatem, quoniam et romano Episcopo hæc est consuetudo*, etc. (1), an vero, prout habet versio Dionysiana (2). Itidem notum est, quæstionem agitari, utrum priora verba a Paschasino recita ex titulo irreperint in textum, an

(1) Apud Harduin. tom. II, col. 638.

(2) Quæ est superius recitata.

secus, ut plures contendunt (1). Exploratum æque est, divisos esse inter se eruditos circa intelligentiam *Ecclesiarum suburbicariarum*, de quibus in compendiaria Ruffini paraphrasi adducti canonis fit mentio (2); num scilicet veniant Ecclesiæ omnes patriarchatus romani, an provinciæ tantum *præfecto Urbi subjectæ*, uti cum Jac. Gothofredo propugnavit Salmasius, quos tamen acriter confutavit Sirmondus (3). Compertum præterea est, can. XXVIII. Synodi Chalcedonensis, legatis romanis absentibus exaratum, rejectum fuisse a S. Leone M. atque ab insequentibus rom. Pontificibus, adeo ut non solum vim ullam nunquam habuerit, sed insuper Græci ipsi in suis canonum col-

(1) Certum est, in nonnullis Mss. canonem hunc fuisse inscriptum: *De primatu Ecclesiæ romanæ*, uti apud Dionysium, in Mss. bibliothecæ Colbertinianæ, in cod. Claudii Hardy senatoris parisiensis, et in cod. Fossatensi, in cod. collegii Jesuitarum Paris., in cod. Pithœano aliisque. Exinde factum esse nonnulli rentur, ut Paschasinus canonem una cum titulo recitaverit illis verbis: *Ecclesia romana semper habuit primatum*. Cabassutius in *Notitia Concil.* pluribus persuadere nititur, initium hoc de primatu Ecclesiæ romanæ splendendum esse. Quesnellus, auctoritate fretus cod. Oxoniensis, contendit legendum esse: *Ecclesia romana semper habeat primatum*. At Ballerini, tom. III, opp. S. Leonis, in *Cod. canon ecclesiasticorum*, tit. x, pag. 52, not. (32), ejusmodi lectionem criticam hand esse invicte ostendunt.

(2) De qua Rufinii paraphrasi cfr. Baron. ad anno. 325, n. 135; Valesius. dissert. *De sexto canone. Conc. Nicæni*, cap. 7; Bianchi, *Della potestà e della polizia della Chiesa*, tom. IV, ib. II, cap. I, § 16, n. 9; nec non

Nat. Alex. diss. XX, in sec. IV, cum adnotat. Mansi adversus Basnagium.

(3) Tanto eruditionis apparatu tam Gothofredus quam Salmasius causam suam propugnabant, ut res confecta videretur, et Card. du Perron ipse non crederet, quempiam reperiri posse, qui tantæ argumentorum machinæ impetum retunderet. Ast surrexit doctus Sirmondus, qui pro Sedis apostolicæ prærogativa feliciter adeo dimicavit, ut tribus libellis, quos inscripsit *Propempticum cl. Salmasio de regionibus suburbicariis*, adversarios suos penitus profligaverit. Dupinio teste, eruditi pene omnes, inter quos vel ipse Blondellus, Sirmondo victoriæ palmam tribuerunt. Demonstravit igitur Sirmondus vicarium urbis esse distinguendum a præfecto urbis; suburbicarias regiones eas dici, quæ vicario parebant; ecclesiasticas dignitates non ad civilium normam dumtaxat institutas fuisse, nec propterea rom. Pontificis potestatem ad suburbicarias Ecclesias coarctandam esse. Cfr. Roskovány, op. cit. § 36, not. (113). Prostant porro tres libri Sirmondi, tom. IV, opp. edit. Paris. 1696.

lectionibus illum penitus prætermittant (1). Notum denique est, in dubium revocari canonis III Concilii Constantinopolitani, adducti a Patribus chalcedonensibus, authentiam (2). Quæ cum ita se habeant, jam patet infirmitas fundamenti, cui Palmer ceterique romani primatus osores innituntur.

587. Negavimus quoque consequentiam, quam ex illis canonibus deducere vellent adversarii; ambo enim illi canones de solo agunt jure patriarchali, quod canon Nicænus adstruxit Episcopo Alexandrino adversus molimina schismatici Meletii, qui illud invaserat (3); et quoad ejus exercitium, illud exegit ad exemplum patriarchatus romani, qui subditas sibi Ecclesias mira prorsus ratione moderabatur, nullo modo in privilegia alterius Ecclesiæ cujusque invadens (4). De jure pariter patriarchatus sermo est tum in canone III Constantinopolitano, tum in can. XXVIII Chalcedonensi, quod Patres illi volebant cum detrimento Ecclesiarum Alexandrinæ et Antiochenæ extendere ad Episcopum Constantinopolitanum (5). Cum igitur de Ecclesiæ romanæ pri-

(1) Cfr. Nat. Alex. diss. iv, in sec. 1, prop. ii, in responsis ad object. 7.

(2) Cfr. quæ de hoc can. fuse ac erudite scribit Christ. Lupus, in scholio, quod ipsi apposuit opp. cit. tom. ii, pag. 109 et seqq.; cfr. etiam Katerkamp, in op. *Kirchengeschichte*, etc. seu *Hist. ecclesiastica*, tom. iii, pag. 256 et seqq. Munster 1826. Canon III Concil. Constantinopolitani, quem laudant Patres Chalcedonenses, his verbis conceptus est: *Constantinopolitanæ civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post rom. Episcopum, propterea quod sit nova Roma*. Lucentius, legatus rom. Sedis apud Concilium Chalcedouense, protestatus est, quod canon ille *in synodicis non habetur*. Atque hinc factum est, ut Baronius suppositam eum traduxerit; Natalis vero Alexand. diss. xxxviii in sec.

iv, art. 2, ejus authentiam tuetur. Illud certum est, nunquam eum sive a Damaso, sive a subsequentibus rom. Pontificibus fuisse probatum. Innocentius iii, Conc. Lateran. iv, eum demum admisit, postquam scilicet a Latinis Constantinopolis occupata fuit, et in Concilio Florentino ab Eugenio iv fuit confirmatus. Cfr. Lupus, in schol. ad hunc can. tom. 1, pag. 333 et seqq.

(3) Ita Lupus, op. cit. in can. vi Nicæn.; Nat. Alex. diss. cit. xx, in sec. iv, prop. 1; Petrus de Marca, *De concordia*, lib. iii, cap. 7; Katerkamp, *Kirchengeschichte* seu *Hist. eccl.* loc. cit.

(4) Cfr. Sirmondus, op. cit. lib. ii, cap. 1, et Lupus, loc. cit.

(5) Cfr. idem Sirmondus, in *Censura dissert. ii, de Ecclesiis suburbicariis*, cap. 1; Nat. Alexand. diss. iv

matu nullo modo agatur in allatis canonibus, de quo nulla mota est controversia, et in confesso apud omnes erat illum esse divini juris (1), perperam sive Græci et novatores, sive Janse-nistæ ac Febroniani, ab œcumenicis Synodis illum repetunt; ac perperam post ipsos Palmer saltem inde amplificatam aut confirmatam pontificiam auctoritatem deducit, cum ne specie quidem tenus istam attingant.

588. Ad 3^m, *Dist.* Id est, Conc. Sardicense asseruit ac vindicavit rom. Pontifici privilegia, quæ ipsi divinitus competebant vi primatus sui, quæque ei denegabantur ab ariana seu eusebiana factione, *conc.*; vere contulit peculiaria privilegia, quæ ipsi jure divino non competere, *neg.* Nempe cum Ariani seu Eusebiani non modo Nicænam fidem, sed ecclesiasticam disciplinam modis omnibus evertere conarentur, jus recipiendarum appellationum ex universo christiano orbe, quo antea potiebantur romani Pontifices, iis denegare ausi sunt, eo quod Julius in suam recepisset communionem, suisque sedibus restituisset Athanasium, Marcellum, Asclepam, Paulum, Lucium, aliosque plures antistites, qui in odium catholicæ fidei suis in synodis, Thyria præsertim et Antiochena, depositi fuerant suisque sedibus pulsi. Patres proinde Sardicenses, ut his conatibus occurrerent, plures condidit canones, quibus integram Ecclesiæ disciplinam aut confirmarent aut restituerent. Atque in his ad rem, de qua agimus, spectant can. III, IV et VII, quibus non solum jus appellationum ad apostolicam Sedem confirmarunt, verum etiam de modo, ut vocant, procedendi nonnulla statuerunt, quæ magis conferrent ad honorem Sedis apostolicæ evehendum, cum eam deprimere Ariani satagerent. Jus porro ipsum recipiendi appellationes, quod ex primatu dimanat, quodque longe ante Concilium Sardicense Pontifices exercuerant, Patres illi conferre profecto non potuerunt, quin imo ubique supponunt (2).

in sec. 1, prop. 11; Gerdil, *Confutazione di due libelli contro il breve Super soliditate*, p. III, edit. cit. tom. XII, pag. 333 et seqq.

(1) Cfr. cirt. auctores, præsertim

vero Christ. Lupus, in can. VI Conc. Nicæni, loc. cit.; Nat. Alex. diss. XX, in sec. IV, prop. II; Gerdil, loc. cit.

(2) Cfr. docta ac erudita dissertat. P. Stefanucci Soc. Jesu, *De appella-*

589. Ad 4^m, *Dist.* Laudati Imperatores agnoverunt in rom. pontifice primatum jure divino, ratione successionis in cathedra Petri, *conc.*; qualem adversarii fingunt, *neg.* Nam constanter Imperatores isti eatenus in rom. Pontifice primatum agnoverunt, quatenus B. Petri, Apostolorum principis, ex divina institutione successor est. Satis hic sit verba adducere ex *Novella III* Valentiniani, quæ hæc sunt: *Cum Sedis apostolicæ primatum, Sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronæ, et Romanæ dignitas civitatibus, sacræ etiam Synodi (Nicænæ) firmarit auctoritas* (1). Ex quibus intelligimus, juxta Imperatores Petrum primatum honoris sui Romam intulisse, non autem a Roma accepisse, atque ex hoc inconcusso principio Imperatores romanam Sedem privilegiis, extrinsecis nempe, cumulasse, uti christianos Imperatores decet (2).

590. Ad reliqua vero, quæ subtexit adversarius, quod spectat, ex dictis sponte sua corruere ea liquet, quin diutius illis insistamus. Constat enim, neque Imperatorum decretis, neque Conciliorum canonibus præminentiam rom. Sedis in se *auctam* esse, quæ unice in acceptis referenda est primatui Petri (3);

lationibus ad rom. Pontificem, Romæ 1768, part. III, cap. 1 et seqq.; nec non Ballerini, *Observationes in primam partem dissert. v. Quesnelli, ubi de jure appellationum episcopaliū ad apostolicam Sedem fusius disseritur*. Opp. S. Leonis, tom. III, pag. 902 et seqq.; Joan. Politi, *Jurisprud. eccles. univ.* Venet. 1768, tom. III, lib. III, quæst. 2, pag. 9 et seqq.; Marchetti, *L'autorità suprema del rom. Pontefice, ossia Dissert. polemico-canonica sopra il Conc. di Sardica*, Romæ 1789, part. II et III.

(1) Apud Sirmondum, opp. tom. IV, in *Curia dissert. secundæ de Ecclesiis suburbicariis*, cap. 2, col. 27.

(2) Cfr. Sirmond. *ibid.*

(3) Apposite Card. Gerdilius observat, scriptoribus existimantibus, ab Imperatoribus concessam esse rom. Antistiti primatus prærogativam, opus esse, ut fateantur, tribus prioribus Ecclesiæ seculis, sub ethnicis Imperatoribus Ecclesiam extitisse absque primatu, aut aliquod proferant Neronis diploma, quo post martyrium S. Petri primatus dignitas S. Lino ejusque successoribus fuerit tributa. Ulterius, si Cæsares originem primam dedissent primatus dignitati, quomodo super universas Ecclesias rom. Imperio minime subjectas extendi poterat primatus iste? Cfr. op. cit. *Confutazione*, etc, pag. 340. Quoniam vero nonnulli, qui se catholicos adhuc vocant, non erubescunt ejus-

neque attributorum possessionem quidpiam romanæ Ecclesiæ contulisse, quum, juxta exposita, hæc attributa non fuerint nisi vel causa vel effectus primatus, quem secum in Urbem intulit Petrus, cujus reipsa romani Pontifices et successores et hæredes existunt. Quo quidem sensu tantum Episcopi romani a Patribus *successores Petri* vocantur, et ideo *eminentiores* sunt inter ceteros Episcopos, quia Petrus, cui Pontifices romani hæreditario jure succedunt, vera præeminentia jurisdictionis et auctoritatis super reliquos Apostolos vi primatus, sibi a Christo collati, potitus est. Interim magni facimus lubenterque amplectimur concessionem adversarii, tum scilicet Petrum Romam venisse, rom. Pontifices Petri in Sede romana successores esse, Patres vocasse eosdem Pontifices successores Petri; tum Imperatores primatum rom. Pontificis agnovisse, singulari præeminentia inter Ecclesias omnes romanam Sedem vel a suis primordiis obtinuisse; tum denique neque Imperatorum decretis neque Conciliorum canonicis ejusmodi præeminentiam constitutam esse, quæ omnia hactenus protestantes et Græci schismatici nobis impudenter denegabant. Utinam, qui hæc ingenue agnoscit ac fatetur, veritatem totam agnoscere ac profiteri non erubesceret!

591. Obj. secunda. 1^o *Moralis certitudinis* gradu ostendi potest, traditionem catholicam minime agnoscere rom. Pontificem, aliquo peculiari sensu diverso a ceteris Episcopis, uti successorem Petri *jure divino*. Patrum enim testimonia, a romanis polemicis collecta ad hoc evincendum generatim *silent* hac de re. Hæc quippe testimonia in quinque classes distribui possunt. 1^{ma} Est eorum, qui unice adstruunt præeminentiam Ecclesiæ romanæ;

modi commenta ab hæreticis invecta obtrudere, satis erit ad istorum retundendum errorem condemnatio art. ix Joan. Huss, facta in Concilio Constantiensi: *Papalis dignitas a Cæsare inolevit, et Papæ profectio a Cæsaris potentia emanavit*. Quare merito Baruel, in op. cit. *Sul papa ed i suoi diritti*, tom. 1, p. 2, cap. 1, p. 158,

hoc epiphonemate hanc discussionem concludit: *Si fieri potuisset, ut homines everterent fundamentum a Christo positum, ne unum quidem suæ Sedis hæredem Romæ [Petrum habuisset; adeo verum est, Romam christianam debere nihil Romæ paganæ, suæque sedis primatum, non Cæsarium throno, sed soli Petro acceptum referre!*

cujusmodi sunt Irenæus, qui affirmat, ad Ecclesiam romanam convenire necesse esse omnes qui sunt undique fideles *propter potentiorē ejus principalitatem*; Augustinus, qui scribit, *primatum cathedræ apostolicæ semper viguisse in Ecclesia romana*; Vincentius Lirin. Pontificem Stephanum cæteros Episcopos *loci auctoritate superasse* dicit; Prosper vocat Romam *caput mundi et pastoralis honoris*; Synodus Aquilejensis appellat *caput universi mundi romani*. 2^d Eorum est, qui adstruunt præminentiam S. Petri ac rom. Pontificis Petri successoris, nec eam ad ullam referunt institutionem divinam. Ita Ignatius, qui epistolam suam ad Ecclesiam dirigit, *quæ præsidet in loco romanæ regionis*; Cyprianus qui eam vocat *cathedram Petri et Ecclesiam principalem, unde unitas exorta est*; Synodus Sardicensis, quæ loquitur de Sede romana veluti de *capite ac sede Petri*. 3^v Eorum est, qui se ad auctoritatem rom. Pontificis uti spectabilem in Ecclesia referunt; ita Tertullianus, Cyprianus, qui exhortatur eos, qui Romam se conferunt, ut agnoscant in Cornelio *radicem Ecclesiæ catholicæ*, ad significandum nempe Cornelium esse Episcopum legitimum Ecclesiæ catholicæ in urbe Roma, ubi tunc temporis aderat episcopus schismaticus; Basilus affirmat, se ad Episcopum romanum scripsisse, ut casum expenderet ac suum decretum interponeret; Theodoretus scribit ad Renatum, Ecclesiam romanam *habere directionem ceterarum Ecclesiarum*; Hieronymus vero ad Pontificem Damasum: *Ego Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communionē consocior; super hanc petram ædificatam Ecclesiam scio*; Concilium Chalced. scripsit ad Leonem, ipsum esse *cui vineæ custodia a Salvatore commissa est* (id est qui divina sua Providentia permissus est locum adeo excelsum in Ecclesia occupare), et ipse *sicut membræ caput præset* (nempe fuerit eorum dux in hæresi damnanda). 4^{ta} Classis conficitur ex testimoniis spuris; cujusmodi est canon quidam Nicænus, qui hoc initium dicebatur habere: *Ecclesia romana semper habuit primatum*, qui interpolatus in Synodo Chalcedonensi detectus est. Athanasius scripsit ad Papam Felicem, quod Christus *Apostolicos præsules in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit*; Cyrillus Alex. :

Debemus nos, ut qui membra sumus, capiti nostro rom. Pontifici et apostolicæ Sedi adhærere. Hæc, quæ meliora testimonia essent, atque *perpetuo* a romanensibus adducta, malo ipsorum fato *genuina* non sunt. 5^{ta} Denique classis nonnulla Episcoporum et presbyterorum romanorum effata complectitur, qui veniabili desiderio peculiarem suam Sedem extollendi, ea veluti præ se ferentia privatas suas opiniones protulerunt. Ita in Conc. Ephesino Philippus legatus rom. Sedis, in Chalcedonensi legatus Paschasinus, S. Leo, etc. Talia sunt præcipua testimonia a Tournelyo, Bailly, Hookio, Collet, De la Luzerne, Milner, Bouvier, collecta. Jam vero conferunt illa quidem ad ostendendam *præminentiam* Ecclesiæ romanæ, ejusque dignitatem, ac potestatis *superioritatem*, quam quidem nos omnes plenissime atque citra dubium admittimus eam a remotissima ætate possedis; ast in hoc nulla vertitur quæstio. Controversiæ cardo consistit in eo, *an primatus romanus sit reipsa de jure divino*, quique provenerit a Petro ex *divina institutione*? Porro traditio catholica de hoc *alte silet*; nequit igitur id ostendi ex traditione; non posse autem ex Scripturis demonstrari uti *fidei articulum*, ipsi romanenses ultro fatentur, non obstantibus temerariis nonnullorum assertionibus. Ergo (1).

592. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Juxta methodum, quam in ea expendenda sectantur adversarii romani primatus, *trans.*; juxta methodum, qua reipsa expendi debet, *neg.* Quæ distinctio ut intelligatur, revocari et huc debet principium, quod in solutione prioris difficultatis satis evolvimus, scilicet non esse dispescendam unanimem SS. Patrum doctrinam, de institutione primatus a Christo facta ad Ecclesiæ suæ unitatem constituendam perpetuoque servandam, deque ejusdem primatus collatione peculiari Petri personæ, ab iis, quæ de rom. Sede, seu de rom. Pontificibus iidem tradunt. Hoc autem principio juxta unanimem Patrum doctrinam, prout præstitimus, semel posito, ad adstruendum ex eadem Patrum doctrina primatum romanum *de jure divino*, unum tantum superest inquirendum, utrum nempe Patres agno-

(1) Ita rursum Palmer, op. et loc. cit.

verint in rom. Pontifice successorem B. Petri. Jam vero hoc abunde constat tum ex adversarii, quem refellimus, confessione, tum ex quatuor ipsis testimoniorum classibus, in quas Patrum doctrinam idem redegit adversarius; nam de classe apocryphorum distincte loquemur.

593. Etenim, si primatus divinitus institutus et peculiari individuo collatus spectat ad essentialem christianæ Ecclesiæ constitutionem, unice remanet inquirendum, in quonam individuo post Petrum hunc primatum agnoverint Patres. Porro nullum dubium est, eosdem Patres in nullo alio individuo præterquam in Petri successore, rom. Pontifice, ejusmodi primatum agnovisse. Quod si ita primatus a Christo institutus est, ut sit in Ecclesia perpetuus, jam sponte, imo necessario sequitur, quicumque eum possidet possidere *jure divino*; possidet autem ex doctrina Patrum et ex confessione adversarii rom. Pontifex; ergo rom. Pontifex, ex eorundem Patrum doctrina, *jure divino* eum possidet. Tantum igitur abest, ut traditio catholica *alte sileat* de primatu rom. Pontificis *jure divino*, ut *alte illum proclamaverit*.

594. Hoc porro aperte declarant vehementiores illæ, ut ita loquar, phrases, quibus Patres utuntur in illis ipsis testimoniorum classibus, quas expendit adversarius, ut his nunc insistamus. Etenim in 1^a classe, ita Irenæus docet Ecclesiam romanam habere *potentiolem principalitatem*, ut *necesse sit ad eam omnem convenire Ecclesiam, id est, omnes, qui sunt undique fideles*. Quorsum vero hæc necessitas, nisi ob *primatus ejus*, seu ut ipse loquitur, propter *potentiolem principalitatem* (1)? Sic etiam

(1) Cfr. Massuetus, diss. III, prævia ad op. Irenæi, art. 4, n. 32, ubi in hunc textum observat: 1^o Romanam Ecclesiam jam Irenæi seculo omnium *maximam* existimatam esse, longe minus fidelium numero, de quo tunc temporis cum ea contendere potuissent aliæ quædam Ecclesiæ, quam auctoritatis amplitudine; 2^o *Omnium antiquissimam*. Quod, si ad foundationis tempus

referatur, falsissimum erit; dudum enim antea Hierosolymitanam, Antiochenam et alias fundaverant Apostoli. Ad dignitatem igitur necessario referendum est, ut ideo omnium antiquissima romana dicatur Ecclesia, quæ omnium princeps est et præcipua. 3^o *Omnibus cognitam* asserit Irenæus, utpote quam ceteris sublimiorem ac excellentiorem aliæ omnes ut caput et

S. Augustinus, dum scribit, *primatum cathedræ apostolicæ in Ecclesia romana semper* viguisse; aut *ceteros auctoritate superasse Episcopos*, ut loquuntur Vincentius Lirinensis; et ita porro quoad ceteras singillatim locutiones Patrum, quin in illis repro-

primam suspicerent ac venerarentur. 4° *A gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo fundatam et constitutam* dicit. Quo ruit absurdum illud recentiorum quorundam hæreticorum commentum, qui, tota reclamante antiquitate, negare ausi sunt, Petrum Romam usque venisse. 5° *Ad hanc Ecclesiam necesse esse omnem Ecclesiam*, seu *omnes omnino fideles* per totum orbem dispersos convenire affirmat; quod illuc proficisci tenerentur ii, qui erant undique fideles; id vel cogitare absurdissimum fuisset; sed quod, ut fateri coactus est ipse Salmasius, necesse esset *convenire et concordare in rebus fidei cum Ecclesia romana*. Idque ob *potiorem* (seu *potentiorum*) *principalitatem*, quo significare voluit, ideo omnes Ecclesias cum romana consentire teneri, utpote quæ principatus ac primatus jure omnibus dominetur, omnibus præsit, omnesque sibi subditas habeat. 6° Denique asserit, in ea *Ecclesia semper ab his, qui sunt undique, conservatam esse eam, quæ est ab Apostolis, traditionem*. Cum enim hujus sententiæ atque doctrinæ adhærere teneantur omnes, qui sunt undique fideles, longe tutius ac facilius conservari in ea potuit apostolica traditio, tot Episcopis, Presbyteris et clericis, totque fidelium myriadibus credita, imisque pectoribus recondita, quam in aliis Ecclesiis divisim spectatis, quarum jurisdictionis fines non tam longe late-

que patebant. Ita quidem Massuetus. Nos vero quoad postremam observationem diceremus, ob infallibilitatis prærogativam, qua rom. Sedes, seu rom. Pontifex gaudet. Mirum est, quomodo se torqueant Ecclesiæ rom. osores, ut vim ejus textus Irænaici declinent; alii enim illud *necesse est* etc. exponunt de *concursu physico* fidelium ad urbem Romam Imperii metropolim ad sua procuranda negotia, ut Richerius, *Def. lib. de eccles. et polit. potest.* tom. 1, lib. 3, cap. 5, n. 13; Græbius, qui censet, juxta Irenæum omnes, qui sunt undique, fideles debuisse Romam convenire, ut causam christianorum agerent apud Imperatores; alii autumant, *potentiorum principalitatem* ex Irenæo repetendam esse a splendore politico urbis, ut Pehem, *Historisch-statistische Abhandlung*, etc. seu *Dissertatio historico-statistica de institutione episcopatum*, Vien. 1790, pag. 27; Plank, *Geschichte der christlichkirchlichen*, etc. nempe *Historia constitutionis societatis christianæ Ecclesiæ*, tom. 1, pag. 117; Pinel, *Ueber den Primat des römischen Papes*, seu *De rom. Pontificis primatu*, pag. 221. Alii textum ipsum temerare aggressi sunt, ut Ben. Stattler, qui in *Demonstr. cathol.* sect. II, cap. 3, loco *ad hanc Ecclesiam*, legit *in hac Ecclesia*. Cfr. Roskovány, op. cit. pag. 29 et seqq.

ducendis longiores simus. Ex quibus constat, satis non fuisse Patribus vocare rom. Pontifices *successores Petri*, successores in *cathedra* Petri; verum ei præterea tribuerunt, quæ non nisi uni Ecclesiæ primati competere queunt. Hæc enim testimonia tantam vim habent, ut adversarius coactus fuerit suis illam glossis extenuare, prout præstitit in testimonio Cypriani; nam hoc ipso, quod Cyprianus Romam navigantes admonet in solo legitimo Petri successore Cornelio agnoscendam esse ac tenendam *Ecclesiæ catholicæ radicem et matricem*, patet, ex ejus mente hanc esse Petri successorum prærogativam. Idem dic de altera glossa verbis Patrum Chalcedonensium opposita, quæ luculentissima sunt; ipsi enim agnoscunt a Salvatore *vineæ* seu Ecclesiæ totius custodiam rom. Pontifici uti Petri successori commissam, cui profitentur se tanquam membra capiti conjungi, seu quod idem est, sibi eum *sicut membris caput præesse* (1). Quod vero spectat ad romanorum Pontificum eorumque legatorum, seu presbyterorum romanorum effata, quibus Sedi apostolicæ primatum jure divino adscribunt, ridiculum sane est, quod adversarius asserit, id eos ex veniabili desiderio extollendi romanam Sedem præstitisse. Nam si jura sibi indebita usurpassent, an ceteri non reclamassent Episcopi in Concilio præsertim congregati, maxime vero græci? Ast nemo profecto unquam reclamavit. Certe acatholici, qui usurpationis accusant rom. Pontifices, ad sidera usque vocem extollunt; evidens igitur est eos ab antiquitatis et traditionis doctrina uti in aliis et in hoc fidei articulo descivisse.

595. Ex hisce patet, nos haud indigere testimoniis spuris, quæ in quarta classe ab adversario recensentur, quæque ipsi

(1) Singularis plane est agendi ratio, quam tenet Palmer, qui cum prævideret, assertioni suæ de *alto silentio* traditionis opponi a Catholicis potuisse auctoritatem Patrum Chalcedonensium, qui aperte profitentur, Leonem, Petri in cathedra successorem, *sibi præesse ut caput membris*, idque ex Christi dispositione, qui ei totius *vineæ*, nempe

Ecclesiæ *custodiam* demandaverat; ipse eos prævenit fucatis glossematibus extenuando vim hujus testimonii adeo sollemnis. Idem dic de textu S. Hieronymi: *Super hanc petram*, etc. O artem vere præclaram! Verum hæc ipsi ars necessaria est ad collabentem anglicanismum adversus dissidentes et Catholicos quacumque demum ratione fulciendum!

meliora seu *validiora* appellare lubet. Sine his enim res catholica plane conficitur. Attamen circa hæc observamus, 1^o si excipias textum Athanasio adscriptum, reliqua, cum expresse non meminerint *juris divini*, potuisse commode ab ipso in aliqua ex classibus suis collocari, cum eadem ratio vigeat, nec proinde posse dici præ reliquis ad causam catholicam tuendam *meliora*. Observamus 2^o, falsum omnino esse in Conc. Chalcedonensi detectam esse *interpolationem* canonis Nicæni; sed solum juxta exemplar regiæ urbis omissum esse exordium illud, quod, uti paulo ante animadvertimus, longe probabilius non erat nisi titulus canonis, et cum titulo recitatus est a Paschasino in Concilio Chalcedonensi (1). Restat igitur ex recensitis solus textus S. Athanasio perperam adscriptus. Hunc, si quidem adversarius velit, sibi habeat; ultro enim eum ipsi concedimus; alium substituimus vero textum, qui genuinus certe est, et eandem exprimit sententiam iisdemque pene verbis, Sergii scilicet Cypriensis Episcopi, qui, scribens ad Theodorum Papam sic orditur: *Firmamentum a Deo fixum et immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei, vestram Apostolicam Sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster* (2). Ergo non est quod de malo fato suo romanenses ob spuria illa testimonia tantopere dolere debeant.

596. Et hæc quidem in adversarii hypothesis, quod apostolica traditio, uti ipse scribit, *alte sileat*, id est, *expresse* non loquatur de successione rom. Pontificum *jure divino*. Nam si his verbis contendat, hanc non invaluisse *formulam*, verissimum quidem est, neminem ex antiquis expresse illam pronunciaasse, cum recens sit; quod si rem formulam illam significatam intelligat, nempe *divina dispositione, divina auctoritate, Christo ita vo-*

(1) Ut enim animadvertit Christ. Lupus, in scholio ad can. vi Nicænum, ideo in Concilio Chalcedonensi ommissa fuerunt verba illa, quia codex Constantinopolitanus caruit illo exordio, uti caruerunt codices Ecclesiæ Alex. et Antiochenæ, codices descripti ad Afri-

canos Episcopos cum rom. Ecclesia de appellationibus contententes. Nulla igitur in illo Concilio detecta fraus est, vel interpolatio.

(2) Apud Harduin. *Acta Conc.* t. III, col. 730.

lente, successorem Petri frui primatu, quem Christus ipse Petro contulit, id certe omnino falsum (1). Hoc enim affirmant, qui vocant rom. Pontificem *firmamentum a Deo fixum*, ut Sergius habet; qui vocant rom. Pontificem *Rectorem domus Dei*, ut Ambrosiaster (2); qui dicunt, ibi esse *Ecclesiam, ubi est Petrus*, nempe rom. Pontifex, uti Ambrosius (3); qui testantur *Christi esse*, qui adhæret rom. Pontifici, uti Hieronymus; qui adstruunt, Sedem romanam *Petram illam esse, super quam Christus œdificavit Ecclesiam suam*, uti rursus Hieronymus et Augustinus (4); qui docent, rom. Pontifici *in persona Petri a Christo pascendum fuisse traditum universum gregem suum*, ut iterum Augustinus (5); qui profitentur, *auctoritatem Sedis apostolicæ a D. N. J. C. datam esse*, ut Stephanus Larissæus (6), vel *a Deo*, ut monachi græci seculo VI ineunte (7); qui asserunt, Sedem apostolicam *a Domino J. C. per Beatum Petrum Apostolum tantum meruisse principatum*, uti Rothardus Suessionensis Episcopus (8); qui

(1) Hic scopulus est, ad quem constanter novatores navem suam allidunt; permiscentes enim doctrinam et formulam, qua doctrina aliqua exprimitur, ex eo quod *formula* nonnisi serius inducta fuerit, concludunt doctrinam pariter novitiam esse, et hac ratione impingunt et corruunt. Ita olim Sabelliani; Ariani, Nestoriani, etc. et ætate hac nostra hæretici quicumque protestantes.

(2) *Comment. in 1 ad Timoth. III, 14*, ubi enarrans verba Apostoli: *Hæc tibi scribo... ut scias*, etc. hæc habet: *Idcirco, ne forte tardem, scribo tibi, ut scias, quomodo Ecclesiam ordines, quæ est domus Dei... cujus hodie rector est Damasus*. Hic auctor fuit Ambrosio fere cœvus. Opp. S. Ambros. edit. Maur. tom. II, in append. col. 296.

(3) *Enarrat. in Ps, XI, n. 30*; qui propterea exinde inferebat, *De pœnitent. lib. I, cap. 7, num. 33: Non*

habent Petri hereditatem, qui Petri sedem non habent, quam impia divisione discernunt.

(4) Hieronym. *Epist. xv, ad Damasum*, n. 2, edit. Vallars.; Augustinus, in *Psalmo contra partem Donati*.

(5) In lib. *Contra epistol. fundam.* cap. 4.

(6) Apud Lud. Holstenium, *Rom. collect.* Romæ 1662, tom. I. pag. 15, et pag. 23, et 27.

(7) In libello Mariani et aliorum archimandritarum ad Agapetum Papam et relato in Conc. Constantinopolitano sub Menna, apud Labb. tom. V, p. 30, ita concludunt: *Quam defendentes, beatissimi, suscipite nostram supplicationem, et potestatem vobis a Deo datam in ipsos moventes, purgate Dei Ecclesiam, et a lupis liberate*, etc.

(8) Hic eum iniquam in se expertus esset sententiam, his verbis ap-

professi sunt, se *secundum divina præcepta et Patrum statuta Sedi apostolicæ servire*, uti Episcopi Dardaniæ (1); ut alia ejusmodi pene innumera silentio premamus; omissis etiam apertis hac de re Innocentii I (2), Leonis I (3), Gelasii (4), Cælestini (5), Martini I, aliorumque testimoniis, utpote adversario nostro adeo suspectis, quibus curam sibi universæ Ecclesiæ in Petro commissam a Christo profitentur, nemine prorsus reclamante, imo adsentientibus expresse Concilii Chalcedonensis Patribus universis, in testimonio ipso ab adversario prolato (6). Quo igitur recidit machina illa ab adversario nobis objecta? Ita nempe firma sunt catholica dogmata, ut nunquam ne latum quidem unguem dimoveri aut concuti possint. Tantum abest, ut *moralī certitudine* constare possit, traditionem catholicam nos agnovisse rom. Pontifices uti Petri Successores *jure divino!*

597. Ad 2^m, *Dist.* Conferunt ad ostendendam Ecclesiæ romanæ *præminentiam et superioritatem* jure divino, *conc.*; jure ecclesiastico tantum, *neg.* Si enim ejusmodi præminentia Ecclesiæ romanæ obtigit ex eo, quod rom. Pontifices jure divino

pellat ad Sedem apostolicam: *Ad illam summam auctoritatem appello, cui nulla potest contradicere, quæ a Domino Jesu Christo per Beatum Petrum Apostolum tantum meruit principatum.* Ibid. tom, VIII, pag. 787.

(1) Ibid. tom, IV, pag. 1165.

(2) Epist. XXIIX et XXX, apud Coustant.

(3) Loco sup. laud.

(4) In Decreto in conc. Romano I, cujus præclara hæc verba sunt: *Sancta romana catholica et apostolica Ecclesia, nullis synodicis constitutis ceteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit.* In *Collect. Concil.* edit. Venetæ Coleti, tom. V, pag. 386.

(5) *Epist. IV. ad Episc. provinciarum Viennens. et Narbon.* apud Coustant,

col. 1066, ubi scribit rom. Pontifices *in speculis a Deo constitutos.* Qui plura cupit Patrum hac de re testimonia, poterit consulere *Breve Pii VI, Super soliditate*, quod datum est adversus Eybel, nec non ejusdem Brevis apologiam, quam texuit doctissimus Card. Gerdilius, opp. tom. XII; item *De Si-meonibus* in ep. *De rom. Pontificis judiciaria potestate*, Romæ 1717; nec non Barruel, op. cit. tom. I, part. II, Zaccaria in *Anti-Febronio*, tom. II, diss. II; Roskovány, *De primatu rom. Pont.* part. I, § 12-17.

(6) Cfr. Christ. Lupus, in schol. ad can. XXVIII Conc. Chalced. opp. edit. cit. tom. II, pag. 110, ubi eandem exceptionem, quam hic urget Palmer, jamdiu adversus Marc. Anton. De Dominis propulsaverat.

in Petri primatum succedunt, uti ex hactenus dictis luculentissime patet, jam eodem jure hac præeminentia et superioritate in universam Ecclesiam gaudet Ecclesia romana, seu potius rom. Pontifex. Lubenti animo hic etiam gratulamur adversario de eo, quod profitetur, se plenissime admittere; verum opus est, si velit veritatem integram agnoscere, ut ulterius progrediatur, atque admittat juxta apostolicam traditionem ejusmodi præeminentiam plane de *jure divino*. Siquidem ex dictis, quæ ipse falso fundamento superstruxit in conclusione, concidant necesse est (1).

598. Obj. tertia. 1^o A divino jure repeti nequit, quod ex mero hominis arbitrio dependet; talis porro est successio rom. Pontificum in Petri primatum. Etenim quod Petrus Romam potius in sedem elegerit quam urbem aliam qualemcumque, factum est mere humanum, a libera scilicet Petri voluntate ita sese determinante dependens. 2^o Jam vero jus divinum a facto humano prorsus independens est. 3^o, Quemadmodum igitur in arbitrio Petri fuit Romæ potius quam alibi cathedram suam collocare, ita et in arbitrio Ecclesiæ est Petri cathedram alio transferre, ex. gr. Mediolanum, Petropolim, Berolinum, etc. si præsertim id rerum adjuncta atque Ecclesiæ ipsius utilitas exposcerent; perperam ergo rom. Pontifices jus divinum obtendunt in successione in Petri primatum (2).

(1) Hic obiter observo, Palmerium technas movere adversus successionem rom. Pontificum in Petri primatum *jure divino*, eo quod hæc formula non inveniatur expressa in Patrum testimoniis, licet, ut vidimus, rem ipsam, quæ formula illa significatur, ipsi apertissime tradant. Cum vero agit de infallibili Ecclesiæ auctoritate, quam ipse pariter non vult admittere, licet expresse et aperte certatim Patres illam inculcent alia ratione tunc ipsorum testimonia eludit. Ita proinde sese gessisset, si apertis verbis eandem formulam Patres adhibuissent.

(2) Ita Febronius ejusque sectatores passim; atque exinde ejusmodi quæstio, utrum Ecclesiæ auctoritate a Sede romana in aliam primatus possit transferri, celebris effecta est, de qua jam ab anno 1782 scripsit auctor *Epistolæ in causa: An Summus pontificatus a romana Ecclesia avelli et alio transferri possit?* Atque anno 1787 Ticini thesis hæc publicæ disputationi proposita fuit: *Episcopatus romano non ita annexum esse dicimus primatum, ut Ecclesia illum in aliam quamcumque cathedram transferre non possit.* Dixi, exinde celebrem factam esse hanc quæ-

599. Resp. Ad 1^m, *Dist.* A jure divino repeti nequit, quod a mero hominis arbitrio pendet in ipsa re instituenda, *conc.*; in ponenda conditione, ut res, quæ divino jure instituta est, suum sortiatur effectum, *neg.* Quod ut exemplo familiari illustretur: ex divina institutione fit, ut panis per consecrationem convertatur in Christi Corpus; a Sacerdotis tamen arbitrio pendet in hunc potius quam illum panem verba consecrationis proferre. Ast si semel panem aliquem consecraverit, in nullius jam potestate est consecrationem a pane illo auferre, ac vere diceretur jure divino, seu ex divina institutione, panem illum factum esse Corpus Christi, quamvis a facto mere humano sive mero alicujus Sacerdotis arbitrio factum sit, ut panis ille in Corpus Christi per consecrationem fuerit mutatus (1). Hoc autem ut casui nostro

stionem, si quidem notum est, nonnullos scholasticos et theologos existimasse, absolute fieri posse, ut primatus, seu summus pontificatus auctoritate Ecclesiæ aut rom. Pontificis a Sede romana in aliam posset transferri, cujusmodi sunt Scotus *In lib. iv Sent. dist. 24*; Card. Cusanus, *De concordant. cathol.* lib. 11, cap. 34 (qui tamen postea in epist. ad Bohemos eam sententiam retractavit); Cordubensis, lib. 14, q. 1; Bannez in 11 quæst. 1, art. 10; Dom. Soto, *In lib. iv Sent. t. 11, dist. 24*, q. 2, art. 5, edit. Venet. 1755, pag. 40; Paludanus, Armacanus, Mendoza, apud Suarez, *De triplici virtute theol. tract. De Fide*, disp. 10, sect. 3, n. 9; Thom. Waldensis, apud Cordubensem in *Doctr. fidei*, lib. 11, art. 2, cap. 41. Ballerinius, in *Vindiciis auctoritatis pontificiæ*, cap. 8, § 2, negat quidem Ecclesiam, prout separatim a summo Pontifice consideratur, posse alio transferre primatum; at dubium se exhibet, num id fieri

possit a rom. Pontifice, neque *facile decidendum* esse affirmat. Ne unus tamen ex recensitis auctoribus catholicis concludit, uti Febronius et ante ipsum lutheranus Amesius, apud Dupinium, *De ant. Eccles. disciplina*, diss. 14, § 3, pag. 534, intulerunt, ex eo nempe quod Pontificum rom. successio in facto humano fundetur, atque in divinum sed humanum esse jus, quo Pontifices romani in Petri primatum succedunt.

(1) Cfr. Gerdil. *In Commentarium a Justino Febronio in suam retractationem editum animadversiones*, opp. cit. edit. tom. XIII, posit. 9, pag. 241, qui inter cetera præclare observat: *Unum illud, quod contra facere videtur, nexum primatus cum rom. Sede ex Petri facto pendere, nullius omnino momenti est. Multa quippe sunt, quæ, ut sint et existant, factum humanum prærequirunt; statim autem atque facto humano prodierunt, divino plane jure sanciantur.* Quod deinde plurimis exemplis declarat, ac demum

applicemus, ex divina institutione, sive divino jure institutus est in Ecclesia primatus in persona Petri, cui divinitus collatus est ejusque legitimis successoribus perpetuo duraturus; in Petri arbitrio erat sibi eligere in sedem episcopatus, ac propterea primatus sui, sive Romam, sive Mediolanum (1); posito autem quod in sedem fixam sui episcopatus atque primatus Romam aut Mediolanum delegerit, rexitque usque ad obitum suum, jam in nullius est potestate a successoribus in hanc sedem Petri episcopatum et primatum dispescere atque divellere. Jus enim divinum, verificata conditione per factum quamvis liberum Petri, ab hac sede inseparabile est. Hinc quicumque legitime succedunt in Petri sedem, divino jure succedunt in ejus primatum. Idem dic de electione personali cujusvis Pontificis, quæ fit a Cardinalibus. Electio quippe alicujus peculiaris individui in Pontificem est factum mere humanum; ast vero hoc posito, electus a Christo immediate totam suam obtinet auctoritatem (2).

600. Ad 2^m, *Dist.* Id est, jus divinum summi pontificatus seu primatus in se spectati independens est a facto humano, *conc.*; est independens a facto humano ad verificandam successionem personalem, *neg.* Responsio patet ex dictis (3).

concludit: *Non est ergo confundendum factum cum jure, quod, posito facto, divina institutione exoritur; factum quidem interponitur, idque humanum; sed eo posito, prævia Christi institutione jus ipsum divinum exerit sese et explicat.*

(1) Cfr. Bellarm. *De summo Pontif.* lib. iv, cap. 4, n. 13. Bellarmino, quod mireris, assentitur Dupinius, diss. 4, *De ant. discipl.* eamque adstruit adversus Amesium. Quoad auctores catholicos, si excipias paucos illos, quos modo recensuimus, communis doctrina est non amplius separari posse primatum a rom. Sede neque ab Ecclesia neque a rom. Pontifice. Horum

elenchum exhibet Zaccaria, *Anti-Febbronio*, diss. II, pag. 17 et seqq. Cfr. etiam Bolgeni, *L'Episcopato*, cap. 3, art. 4.

(2) Cfr. Zaccaria, *Anti-Febbronio*, tom. II, cit. diss. II, cap. I, § 4; Bened. XIV, *De synodo diæces.* lib. II, cap. I, § 1; De Marca, diss. I, *De singulari primatu Petri*, n. 20; Marc. Ant. Cappellus, disp. II, *De successione Episcopi rom. in Pontificatu*, Colon. Agrip. 1621, cap. I. Cfr. etiam Suarez, *Defensio fidei adv. anglicanæ sectæ errores*, lib. III, cap. 12 et seqq. usque ad cap. 20.

(3) Haud pauci nec ignobiles scriptores censent, non absque Christi vo-

601. Ad 3^m, *Neg.* Quamvis enim in arbitrio Petri fuerit hanc potius quam illam urbem in sedem deligere, attamen electione facta ac morte post electionem superveniente in eadem sede, jam in potestate Pontificis aut alterius haud est Ecclesiæ sedem

luntate Petrum Romæ sedem suam collocasse, de qua quamvis ex Scripturis non constet, attamen D. Carol. du Plessis d'Argentré, doctor Sorbonicus, id ita certum ratumque habet, ut de eo dubitari non sinat. Cfr. ejus *Elem. Theologica*, cap. 9, § 2, ed. Paris. 1702, pag. 265 et seqq. Sane credibile est, haud absque Christi dispositione, aut saltem Spiritus. Sancti impulsu Petrum illud egisse, ex quo determinandus in perpetuum erat Ecclesiæ primatus in peculiari Sede. Nec desunt in antiquitate hujus assertionis fundamenta. S. Leo, *Serm. 1, de SS. Apost. Petro et Paulo*, cap. 3, edit. cit. *Beatissimus Petrus*, inquit, *Princeps apostolivi ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.* S. Gelasius, ep. xiv : *Duodecim*, scribit, *certe fuere Apostoli, paribus meritis parique dignitate suffulti. Cumque omnes æqualiter spiritali luce fulgerent, unum tamen principem ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in præcipua urbe vel prima primum et præcipuum dirigeret Petrum.* *Collect. Conc. Venet. Nic. Coleti*, tom. v, col. 342. Et ante ipsos Eusebius, *Hist. eccl.* lib. 11, cap. 14, loquens de Simonis magi præstigiis : *Confertim*, scribit, *ipsis Claudii Augusti tempo-*

ribus benigna et clementissima Dei providentia fortissimum et maximum inter apostolos Petrum, et virtutis merito reliquorum omnium principem ac patronum, Romam adversus illam generis humani labem ac pestem perducit. S. Ambrosius, *Serm. contr. Auxentium*, n. 13, refert, cum Petrus a Christianis rogaretur, ut paulisper persecutioni cederet : *Nocte muros egredi cæpit, et videns sibi in porta Christum occurrere, urbemque ingredi, ait : Domine, quo vadis ? Respondit Christus : Venio (Romam) iterum crucifigi... Intellexit ergo Petrus, quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit.* Edit. Maur. tom. 11, col. 867. Licet vero protestantes Velenus Petrus et Basnagius hanc historiam veluti fabulam traducant, acerrimi tamen critici eam tuentur, quos inter Fogginius, op. cit. exercit. 17, pag. 404 et seqq. et Mazochius, in *Kalend. Neapol.* pag. 889. Sane ejus meminit Hegesippus, lib. 111, apud edit. Maur. in loc. cit. atque ad hanc historiam alludere videtur Origenes, tom. 21, *In Joan.* edit. Huet. tom. 11, pag. 290, illam referens ex *Actis Pauli*, quæ fortasse olim vulgata erant sub tit. *Act. Petri et Pauli*, cujusmodi sunt, quæ refert Combesius ex Biblioth. regia Parisiensi. Hoc item factum memorat S. Greg. M. in Psalm. 14, Pœnit.

ac titulum alio transferre. De jure siquidem divino est, uti diximus, in Petri successores summum Ecclesiæ primatum a Christo institutum transire. Quare in nullos alios quam in legitimos Petri successores ex divina institutione primatus dimanare potest. Aliud porro est de *residentia* disserere, aliud vero de *sede* ac *sedis titulo*. Residentia enim non ita uni affixa loco est, ut justis intercedentibus causis, non possit alio transferri, uti sæpe contigit, tot præsertim annis quibus rom. Pontifices Avenione commorati sunt; atque in hypothesi quod Roma deleteretur, aut ea christiani et catholici nominis hostes potirentur, idem omnino fieret. Sedes vero, prout Petri est, ac sedis titulus a nulla humana auctoritate immutari potest aut in aliam sedem titulumve transferri. Quamobrem fieri quidem potest, ut summus Pontifex resideat Viennæ, Mediolani, Berolini aut Petropoli; nunquam vero potest fieri, ut simplex Episcopus Viennensis aut Petropolitani sit summus Pontifex; ubicumque idcirco resideat, semper erit Pontifex romanus, ut possit dici ac vere sit in primatu Petri successor (1).

(1) Hoc optime novi Pontifex ille Avenione residens, de quo loquitur Franc. Patrarcha, in lib. *Epistolarum sine titulo*, ep. xv, in qua calamitatem urbis Romæ deplorat. Cum enim Pontifex Italis esset infensus, quidam ex ejus intimis familiaribus illi consuluit, ut Papatum Romæ eriperet, et transferret Cathurcum in Vasconiam, ut hoc modo de Italis ulcisceretur. Quod consilium Pontifex risu excepit; respondens: *Fellisti me; hactenus te nondum delirare cognoveram. An ignoras, inscie, hac via, quam statuisse subtiliter visus*

es tibi, et me, et qui mihi successerint, episcopos Cathurcenses fieri... illum vero, qui Romæ præfuerit, Papam fore? Sic italum nomen dum evertere putas, attollis, et in antiquam restituis dignitatem... De titulis non certemus; velimus nolimus enim, rerum caput Roma erit. Opp. Francisci Petrarchæ, edit. Basileæ 1581, tom. II, p. 727-728. Noverat nempe Pontifex, neminem, qui non fuerit Petro in cathedra Romana successor, posse summum Pontificatum obtinere, qui huic successioni inseparabiliter connexus est.

CAPUT III.

DE NATURA ET JURIBUS PRIMATUS ROM. PONTIFICIS.

602. Petrus Tamburinius ejusque asseclæ non esse permiscendum rom. Pontificis primatum cum potestate episcopali contendunt, sed primatum istum ejusdem affirmant esse speciei ac jura metropolitana et patriarchica, addito tantum jure repræsentandi universalem Ecclesiam, atque in toto orbe procurandi puritatem fidei, morum ac disciplinæ vigorem, ita ut omnibus rom. Pontifici, modo tamen hic agat Ecclesiæ nomine, parendum sit. Magni sane interest peculiari sollertia hanc expendere quæstionem, ex qua haud exigui momenti corollaria pendent. Si enim primatus natura episcopalis sit, jam sponte sua consequitur, tum romani Pontificis potestatem spectari minime posse in Ecclesia catholica universa uti potestatem *extraneam*, prout passim liberiores nonnulli scriptores, quod superius vidimus, eam vocare consueverunt; tum vi istius primatus rom. Pontificem superiorem esse œcumenicis Conciliis, quæ ipse propterea solus cogere potest, iisdem præesse, eaque confirmare; tum demum ex eo dimanare jura indiscriminatim omnia, quibus in Ecclesiam universam rom. Pontifex pollet. Jam vero talem esse primatus rom. Pontificis naturam, ac talia propterea, quæ exinde consequuntur jura, insequentibus propositionibus ostendere aggredimur.

PROPOSITIO I.

Primatus auctoritas, qua divino jure pollet rom. Pontifex, auctoritas est episcopalis, quæ omnes complectitur Christi fideles etiam Episcopos.

603. Auctoritas episcopalis consistit in immediata et ordinaria potestate pascendi, regendi et gubernandi gregem sibi commissum, dicente Apostolo, Act. XX, 28: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere*

Ecclesiam Dei, et Apostolo Petro I, cap. V, 2: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*. Atqui Petro ac proinde ejus successoribus rom. Pontificibus Christus eandem contulit potestatem, pascendi scilicet immediate, regendi et gubernandi Ecclesiam universam, quæ ex agnis et ovibus, id est, populo ac pastoribus coalescit, dum Joan. XXI, ei dixit: *Pasce agnos meos... pasce oves meas*, et Luc. XXII, 31: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, scilicet Apostolos; ac demum cum Matth. XVI eum constituit petram seu fundamentum Ecclesiæ suæ, et claves ei promisit cum potestate plenissima quodcumque ligandi atque solvendi. Auctoritas igitur primatus, quem habuit Petrus, adeoque rom. Pontifex, est potestas episcopalis super universam Ecclesiam.

- 604. Atque hinc factum est, ut in vetustissimis ecclesiasticis documentis passim rom. Pontifex appelletur *Episcopus Episcoporum ... Pontifex universalis... Episcopus universalis... Pastor pastorum, Caput capitum* (1); quæ quidem aliæque ejusmodi denominationes aperte ostendunt, pontificium primatum idem esse ac episcopalem potestatem seu auctoritatem, quæ sese ad omnem extendat Ecclesiam. Quod Eusebius Emisenus, seu quisquis est vetus auctor sermonis *De natali Apostolorum*, ut vidimus, expressis illis verbis declaravit: *Prius agnos, deinde oves commisit ei; quia non solum pastorem, sed pastorem pastorum eum (Petrum) constituit*. Et ante ipsum S. Ambrosius, expendens eadem Christi verba, *Pasce*, etc. adnotat distinctionem, quam Christus agnos inter ac oves interposuit, et *agnorum* nomine populos, *ovium* autem Episcopos interpretatur, dicens: *Et jam*

(1) Cfr. Theoph. Raynaudus, in op. cit. *Corona aurea*, ubi innumeros prope titulos ejusmodi invenies; apud Sirmondum vero op. pariter cit. *De ecclesiis suburbicariis*, cap. 3, opp. tom. IV, col. 32, a Theodoro Studita, in *Epist. ad Leonem III*, vocatur romanus Pon-

tifex τῶν ὅλων κεφαλῶν κεφαλὴ, ἴμο ἀρχιεποίμην τῆς ὑπ' οὐρανὸν ἐκκλησίας, *universæ, quæ sub cælo est, Ecclesiæ princeps pastor*; quia scilicet, ut ibidem animadvertit Sirmondus, Episcopi romani, ut Papa est, diocesis non occidens, sed orbis est universus.

non agnos, ut primo quodam lacte vescendos; nec oviculas, ut secundo; sed oves pascere iubetur, perfectiores ut perfectio gubernaret (1). Pari prorsus ratione S. Bernardus exponit, sic Eugenium III alloquens: *Habent illi (Episcopi) sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem, quæris? Ex verbo Domini... pasce oves meas* (2). Huc spectat Conc. Lateranense IV, dum decernit: *Ecclesia Romana, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra* (3), adeoque fidelium et Episcoporum. Huic concinit Concilium Florentinum in adducto decreto illis verbis; quibus definivit, *Traditam esse rom. Pontifici in B. Petro plenam potestatem pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam* (4).

605. Luculentissime hanc eandem veritatem rom. Pontificum constans ac perpetua praxis confirmat. Res enim testatissima est in historia ecclesiastica, rom. Pontifices suam hanc potestatem exercuisse, sive in decernendis fidei controversiis ubique terrarum exortis, sive in præfigenda disciplina, sive in recipiendis dejectorum Episcoporum appellationibus, sive in restituendo sedibus suis illos, qui immerito fuerant exauctorati; in multandis, cum opus fuit, excommunicatione præsulibus et Orientalium sedium Patriarchis (5); in coarctanda Episcoporum

(1) Lib. x, *In Luc.* n. 176, edit. Maur.

(2) *De consider.* lib. II, cap. 8, n. 15, edit. Maur.

(3) In *Collect. Conc. Veneta* Coleti, tom. XIII, pag. 937.

(4) In *Act. Conc.* Hard. tom. IX, col. 423.

(5) Sane plures legimus in Hist. eccles. in patriarchatibus Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, aut fuisse a rom. Pontificibus e sede dejectos, aut sedibus propriis

restitutos. Nicolaus I, *Epist. VIII ad Michaëlem Imperatorem*, apud Harduin. *Acta conc.* tom. V, col. 157, octo enumerat patriarchas Constantino-politanos a rom. Pontificibus depositos. Gelasius, *Epist. ad Episcopos Dardaniæ* (*Collect. Conc. Venet. Coleti* tom. V, col. 329) scribit: *Dioscorum secundæ sedis (Alexandrinæ) præsulem sua auctoritate (apostolica Sedes) damnavit, et impiam synodum non consentiendo submovit.* E contra Athanasium Alex. aliosque Episcopos a sy-

jurisdictione nonnullis sibi casibus reservatis (1); in removendis Episcopis reluctantibus a propria sede ob Ecclesiæ necessitatem aut magnam utilitatem (2), quod et ætate nostra in Galliis præstitit immortalis Pius VII (3); sive in aliis demum ejusmodi gravissimis negotiis perficiendis, quæ Palmari et appertissima prorsus ratione potestatis, de qua agimus, exercitium in universam Ecclesiam quovis tempore et ubique locorum in rom. Pontificibus ostendunt.

606. Denique id ipsum postulat ipsius Ecclesiæ notio atque natura. Re quidem vera, si pontificius primatus minime reponendus esset in episcopali auctoritate, jam Episcopi suum non haberent pastorem et episcopum, ideoque Christi Ecclesia unum non esset ovile sub uno visibili in terris pastore, sicut Christus indixit, Joan. X : *Fiet unum ovile et unus pastor*; sed tot essent pastores quot Episcopi, nec illi ab uno supremo pastore regerentur. Hinc tota pessumdaretur, imo evanesceret contra Christi institutionem tum fidei tum regiminis unitas; totidem essent membra sine capite, a quo dirigerentur; neque propterea corpus unum constituerent, seu personam moralem adinstar individui viventis; ac plane deesset in Ecclesia universali, quod in qualibet particulari Ecclesia ad ejus unitatem constituendam requiritur. Nam ex S. Cypriano Ecclesia est *Plebs Sacerdoti suo adunata, et pastori suo grex adhærens* (4); ergo, quemadmodum

nodo orientali depositos Julius I suis sedibus restituit; restituit item Sedes apostolica Flavianum a Dioscuro in conciliabulo depositum, et Joannem Chrysostomum pariter a conciliabulo damnatum sedi Constantinopolitanæ; de quibus aliisque actis jurisdictionis a rom. Pontifice in patriarchatibus orientalibus fuse agit S. Gelasius in cit. epistola. Plura alia exempla refert etiam Bellarminus, *De rom. Pontif.* lib. II, cap. 28.

(1) Cfr. Zaccaria, in *Antifebronio*, tom. 1, cap. 5, § 4, et iterum in *Antifebronio vindicato*, tom. II, diss. 4, cap. 4, § 2 et seqq.

(2) Cfr. Muzzarelli, in dissert. *An summus Pontifex habeat auctoritatem destituendi Episcopum, invitum et reluctantem, a propria Sede ob Ecclesiæ necessitatem, aut magnam utilitatem*. Quæ est 4^a inter *Dissertationes selectas*, Rom. 1807.

(3) Cfr. opus cit. Cl. Barruelii S. J. *Sul Papa ed i suoi diritti all'occasione del Concordato del 1801*, tom. II, part. IV, cap. I et seqq. cum tribus conclusionibus.

(4) *Epist. LXXIX*, ubi, cit. edit. p. 123, cum præmississet S. Cyprianus verba Petri, apud Joan. VI: *Domine, ad quem*

unitas Ecclesiæ particularis ab Episcopi unitate pendet, sic ab Episcopi supremi et universalis unitate pendet unitas Ecclesiæ ipsius universæ; quandoquidem, ut loquitur S. Hieronymus: *Ecclesia non est, quæ non habet sacerdotes* (1), nimirum Episcopos qui eam regant, adeoque Episcopum supremum, qui universæ præsit Ecclesiæ. Alioquin haberentur quidem Ecclesiæ particulares, nunquam autem haberetur Ecclesia universalis, quæ una sit, cum sine universali Episcopo universalis non sit Ecclesia (2).

607. Sive igitur Scripturas expendas, sive constantem Ecclesiæ traditionem, sive perpetuam ac jugem Pontificum romanorum praxim, sive denique Ecclesiæ naturam et constitutionem, constat, quod ab initio proposuimus, primatus scilicet auctoritatem, quam divino jure habet rom. Pontifex, auctoritatem esse episcopalem, quæ omnes Christi fideles, etiam Episcopos complectitur (3).

DIFFICULTATES.

608. Obj. prima. 1^o Si primatus ejusdem esset generis cum episcopali auctoritate, secum ipse pugnaret; quia simul esset limitibus circumscriptus et indefinitus. 2^o Pugnaret cum aliis

ibimus? Verbum vitæ æternæ habes; et nos credimus et cognovimus, quoniam tu es Filius Dei vivi, subdit: Loquitur illic Petrus, super quem ædificanda fuerat Ecclesia, Ecclesiæ nomine docens et ostendens, quia, etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens.

(1) *Dial. adv. Lucifer.* n. 21.

(2) Huc pariter referuntur, quæ scribit S. Optatus, *De schismat. Donatist.* lib. 11: *Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Dia-*

conos, ministros et turbam fidelium, edit. Albaspin. pag. 53. Nisi propterea omnes isti Episcopi, Presbyteri, Diaconi, ministri ac fidelium turba universali subjicerentur Episcopo, unam Ecclesiam non constituerent.

(3) Cfr. de hoc argumento Bolgeni, in op. cit. *l'Episcopato*, tom. 1, cap. 4, art. 1; item Zaccaria, in *Antifebronio*, tom. 11, diss. 2, cap. 2 et 3; et in *Antifebronio vindicato*, tom. 11, diss. 4, cap. 4; nec non Card. Orsi, *De rom. Pontificis in Synodos œcumenicas potestate*, Romæ 1740, part. 11, lib. vii, cap. 5.

Episcopis, quibus in eodem genere par simul esset et superior. 3^o Accedit, quod nomen *Episcopi universalis* sive *æcumenici* proscriptum fuerit a S. Gregorio M. tanquam blasphemix nomen; illudque idem tum a se tum a Joanne jejunatore repulerit (1). 4^o Episcopi præterea omnes possident *in solidum* cum Pontifice, absque primatus sui præjudicio, eundem episcopatum, ipsamque episcopalem auctoritatem, juxta vulgatum S. Cypriani effatum: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur* (2). 5^o Propterea hic S. Martyr, ad ejusmodi romani Pontificis auctoritatem super Episcopos reliquos excludendam, in Concilio Carthaginensi ajebat: *Neque quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit* (3). 6^o Cujus vestigiis insistens S. Hieronymus scribebat ad Evangelum: *Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, etc. ejusdem meriti et ejusdem est Sacerdotii* (4). 7^o Atque hinc factum est, ut antiquitus Episcopi non solum *Papæ* passim nuncuparentur, verum etiam dicerentur *Successores Petri* (5), ad significandam omnimodam in episcopali dignitate cum rom. Pontifice æqualitatem. Ergo.

609. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Dum enim asserimus, Pontificem, Episcopum universalem, esse quoque particularem Romæ Episcopum, id unum significamus, rom. nempe Pontificem in Ecclesia peculiari romana eam exercere auctoritatem, quam potest, et pro rei opportunitate reipsa exercet in singulis mundi Ecclesiis, hoc tantum interjecto discrimine, quod cum Ecclesia romana alium non habeat Episcopum a Pontifice distinctum, iste in romanæ Ecclesiæ regimine eum non servat modum eosque respectus, quos

(1) Lib. v, *Epist. XLIII, ad Eulog. Episc. Alexandr.* edit. Maur. et *Epist. XVIII, ad Joannem Episc. Constantinopolitanum.*

(2) Lib. *De unit. Eccles.* cit. edit. pag. 93.

(3) *Sententiæ episcoporum. LXXXVII de*

hæret. baptiz. ibid. pag. 329 et seqq.

(4) Edit. Vallars. *epist. CXLVI.*

(5) Ita inter ceteros S. Gaudentius Brixianus vocat S. Ambrosium *Petri Apostoli successorem*, in *Serm. in die ordinatiois suæ*, qui est num. 16, edit. Brixians. 1738, pag. 334.

in ceteris adhibet administrandis Ecclesiis, ut intacta permaneat Episcoporum jurisdictio, eadem nempe ratione, qua sese gerunt Episcopi quoad parœcias suis ditionibus subjectas (1). Quo in sensu nulla primatum inter et auctoritatem episcopalem apparet pugna.

610. Ad 2^m, *Neg.* Optime siquidem ac perbelle duo hæc inter se pariter componuntur, si observatur Episcoporum æqualitatem cum Pontifice reponendam esse in caractere et episcopali dignitate, primatus vero in limitum extensione. Accedit, Episcopos in suæ potestatis exercitio subjici rom. Pontifici; Pontificem vero nulla auctoritate detineri, ea generali regula excepta, juxta quam uti ipse debet potestate sua in ædificationem et non in destructionem (2).

611. Ad 3^m, *Dist.* Nomen *Episcopi universalis* proscripsum fuit a S. Gregorio M. ob pravum sensum, qui eidem affingi poterat, atque abusum, qui a Græcis jure timebatur, *conc.*; per se, perinde ac si rom. Pontifici res per illud significata non competeret, *neg.* Omnes norunt, quo tenderent Episcopi Constantinopolitani, nempe ad se penitus eximendos a romani Pontificis auctoritate, ita ut eorum audaciã vel ipsemet Phocas compescere, imo frangere debuerit (3). Jam enim alte ipsorum animos persuasio occupaverat, primatum Sedis alicujus ab urbis dignitate, imperio ac amplitudine pendere. Cum igitur Imperium occidentale barbarorum direptione evanisset, emineretque ejus vice Imperium orientale, eo arrogantia devenerunt Episcopi Constantinopolitani, ut non contenti præeminentia, quam affectabant super patriarchatus Alexandrinum et Antiochenum, sibi etiam subjicere, si fieri potuisset, ipsam romanam Sedem contenderent. Perceptos jamdiu timores exitus comprobavit (4).

(1) Cfr. quæ præclare hanc in rem scribit Muzzarelli, in cit. dissert. 4, *An summus Pontifex*, etc. pag. 352.

(2) Cfr. ibid. pag. 376 et seqq.

(3) Cfr. Sirmondus, in *Censura dissertat. secundæ de Ecclesiis subur-*

bicariis, cap. 2, cit. opp. edit. tom. iv, col. 29.

(4) Ut patet ex schismate Photiano, instaurato deinceps a Michaële Cerulario. Cujus schismatis germina jamdiu fovebantur in Ecclesia Constantinopolitana

Merito idcirco *œcumenici Episcopi* denominationi fortiter restitit Magnus Gregorius ad mala semina suffocanda. Cum vero illud interdixisset Joanni, prudentis œconomiae gratia debuit a se Gregorius pariter respuere, quamvis fateatur, sibi illud competere jure posse (1). Interim, ut præclarum humilitatis exemplum præberet, teste ejus biographo, sese exinde cœpit S. Gregorius *Servum Servorum Dei* nuncupare (2).

a pluribus seculis, ut ex actis Conciliorum et agendi ratione Episcoporum illius sedis apertissime constat. Cfr. Christ. Lupus, in *Scholiis* ad can. iii Conc. Constantinopolitani I, et ad can. xxviii Conc. Chalced. ubi ambitionis illorum præsulum principium, progressum ac funestum tandem exitum exponit.

(1) Etenim S. Gregorius, epist. cit. xviii ex lib. v, aperte scribit: *Numquid non, sicut vestra fraternitas novit, per venerandum Chalcedonense Concilium hujus Apostolicæ Sedis Antistites, cui Deo disponente deservio, universales oblato honore vocati sunt?* Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit; ne, si in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur. Eadem fere repetit ibid. ep. xliiii. En quo sensu sanctus Pontifex respuerit ejusmodi denominationem, et quo illam sensu temerariam ac profanam dixerit, ob pravum scilicet sensum quo usurpari poterat. Ceterum 1^o titulum hunc per se, quatenus oblatus est a Conc. Chalcedonensi, seu potius in libellis supplicibus, qui Actione iii illius Concilii lecti sunt, non reprehendit S. Gregorius, ut pa-

tet ex epist. xx, lib. v. 2^o Rem hoc titulo significatam rom. Pontifici constanter ipse vindicat, dum vocat rom. Pontificem *caput fidei, ex quo membrorum status integer manet*, ut in epist. xxxvii, lib. xiii; dum potestatem se exercere profitetur, etiam in orientales Episcopos subjectos aliis patriarchis, ut liquet ex epist. lxxvi, lib. vi; dum affirmat, a rom. Pontifice causam primatum judicari, uti constat ex epist. lxx, lib. ix; dum sibi tribuit jus aliorum Episcoporum retractandi sententias, ut in epist. xxxix, lib. x; dum rom. Pontificem *Universis Ecclesiis curam impendere* affirmat; dum loquens de romana Sede, ait: *Nescio, quis ei Episcopus subjectus non sit*, ut in epist. lxx, lib. ix, etc. etc. Cfr. De Simeonibus, op. cit. *De rom. Pontificis judiciaria potestate*, cap. 4, § 2, et Nat. Alex. diss. 4, in secul. i.

(2) Apud Bolland. tom. ii, mensis Martii, in *Vita* a Joanne Diacono conscripta, lib. ii, cap. 1. Ex hac porro vita non secus ac ex illa, quam adornarunt Maurini editores, opp. tom. iv, ex scriptis S. Gregorii, patet, utrum reipsa hic S. Pontifex auctoritatem exercuerit necne in Ecclesiam universam, orientalem et occidentalem.

612. Ad 4^m, *Dist.* Episcopatus unus est ratione originis, naturæ ac identitatis, *conc.*; ratione auctoritatis et jurisdictionis, *neg.* Talem esse S. Cypriani mentem in objecto toties effato, patet ex eo, quod S. Martyr illud protulerit ad primatum constabiliendum, ut inde erueret Ecclesiæ catholicæ unitatem. Unum propterea esse affirmat Episcopatum ratione originis et radicis, quatenus omnes episcopatus particulares ab episcopatu romano, velut ab origine, exordium sumentes, eique velut radici adhærentes, cum eo unum pastorale corpus constituunt, unumque efficiunt episcopatum universalem, cujus principatum tenet rom. Pontifex. Huc referuntur similitudines, quibus ibidem S. Cyprianus usus est, *multorum ramorum*, qui unam arborem efformant, *multorum rivorum*, quorum unitas servatur in origine; qua de causa Ecclesiam romanam appellat *radicem et matricem Ecclesiæ catholicæ* (1). Nec aliunde obortas esse hæreses aut nata schismata affirmat, *quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, et ad tempus in Ecclesia iudex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria divina fraternitas obtemperaret universa, nemo adversum Sacerdotum collegium quicquam moveret* (2). Jam vero ideo pars unius illius episcopatus universalis et individui in solidum tenetur ab Episcopis singulis, non quod eadem sit jurisdictio et dignitas omnium Episcoporum, quæ est romani Pontificis, sed ratione ordinis et characteris episcopalis, qui de se indivisibilis est, totusque inest, quibus imprimitur (3).

613. Ad 5^m, *Neg.* Neque enim in objectis verbis voluit S. Cyprianus rom. Pontificis auctoritatem excludere; verum unice intendit significare, se plenam in suffragio ferendo de valore Baptismi ab hæreticis collati libertatem Episcopis relinquere (4).

(1) *Epist.* XLV, ad Cornelium, edit. Maur. pag. 59.

(2) *Epist.* LV, ad eundem Cornelium, pag. 82.

(3) Sane ab eodem S. Martyre, *epist.* cit. LV, dicitur: *Portio gregis singulis pastoribus adscripta*, in quo ipse

suam effatum luculentissime explicat. Verum de hoc textu cfr. quæ scripsimus in tract. *De vera religione*, part. II, prop. V, n. 130 et seqq. Cfr. etiam Balzerinus, op. cit. *De vi et rat. primatus*, cap. 13, § 3, n. 10 et seqq.

(4) De hoc aliisve similibus Cypriani

Quod si, ut nonnulli contendunt, voluit S. Martyr iis verbis alludere ad Stephanum rom. Pontificem, non potestatem ejus carpit, sed, ut ipse falso existimabat, potestatis abusum, eo quod anathema comminatus fuerit in tot sanctissimos Præsules, in re disciplinari ac nondum penitus eliquata (1).

614. Ad 6^m, *Dist.* Sunt omnes Episcopi ejusdem meriti et sacerdotii, *conc.*; ejusdem potestatis ac jurisdictionis, *neg.* Primum tantum affirmat Hieronymus ratione ordinis, ut diximus, et characteris; alterum autem nunquam dixit, imo contrarium ubique docuit (2).

615. Ad 7^m, *Neg. conseq.* *Papæ* enim seu *Patris* titulus antiquitus non solum Episcopis, sed et Presbyteris passim tribuebatur (3), uti adhuc in præsentia Sacerdotibus regularibus tribui solet, quin inde quidpiam inferri possit ad Presbyterorum æqualitatem cum Episcopis adstruendam. Ideo vero quandoque Episcopi successores Petri dicti sunt, quod in partem sollicitudinis Ecclesiæ Petro commissæ sint vocati, tum etiam quia, ex dictis, Petrus est fons et origo ecclesiastici ordinis, nec non potestatis

testimoniis cfr. Natalis Alex. diss. 4, in secul. 1, § 4, obj. 2, ubi fuse ea ac plenissime discutit. Jam de hoc ipso egerat, S. Augustinus, *De Baptismo*, lib. III, cap. 3. Cfr. etiam Card. Orsi, *De rom. Pontificis auctoritate*, lib. III, cap. 3, art. 1.

(1) Cfr. Baronius, ad ann. 258, n. 42 et seqq. cum critica Pagii, in ann. 256, et juxta Baronium 259. Cfr. item Gerdil. in op. *Esame dei motivi*; etc. part. II, art. 6, opp. tom. XIV.

(2) Cfr. Natalis Alex. loc. cit. Sensus profecto S. Hieronymi in objecto loco ex ejus scopo apertissime colligitur, retundendi nimirum diaconorum Ecclesiæ romanæ audaciam, qui se præferabant Presbyteris, innixi nescio cui consuetudini, quæ vigeat in rom. Ecclesia. Ad

eos propterea compescendos S. Hieronymus vehementiori stylo eos perstringit, qui ob auctoritatem et majestatem Episcopi romani se audebant præferre Presbyteris aliarum diœceseon. Quare merito S. Hieronymus docet, Episcopos omnes, spectata solius Episcopi conditione et characterē, æquales esse, neque eorum dignitatem intrinsecam pendere a majori vel minori civitatum aut Ecclesiarum amplitudine.

(3) Cfr. Binghamus, *Origines, sive antiquit. ecclesiasticæ*, lib. II, cap. 2, § 7, et cap. 19, § 14; et Theoph. Raynaudus, in op. cit. *Corona aurea*, ad vocem *Papæ*, ubi observat, non solum Sacerdotibus nomen istud, sed quandoque ipsi clericis inferioris ordinis fuisse tributum.

in omnes Episcopos suo modo derivatæ (1). Idem dic de appellatione *Vicarii Christi*, qua pariter interdum donati sunt Episcopi atque etiam Presbyteri, quatenus in ministerio pro Christo legatione funguntur (2).

616. Obj. secunda. 1^o Semel episcopatu universali rom. Pontificis constituto, Episcopi evaderent totidem ejusdem vicarii et ministri, quod esset evertere ecclesiasticam hierarchiam divinitus institutam. 2^o Ordinaria Papæ potestas in alienis diocesis excitarè facile posset turbamenta, contentiones, scandala et in legitimos pastores contemptum. 3^o Fieri præterea nequit, ut unus rom. Pontifex recte possit providere Ecclesiæ, per universum orbem dispersæ. Neque ab hac sententia abhorret Bellarminus, qui inquit, utrum expeditius foret ab uno Principe regi totum terrarum orbem? Quæstionem porro negative resolvit, quum fieri non possit, ut ab uno Principe tot tamque dissimilium nationem regimen habeatur per ministros absque injustitia (3).

617. Resp. Ad 1^m, *Neg. sequelam*, cum episcopatus universalis, quem rom. Pontifici adstruimus, non excludat episcopatus particulares, imo supponat. Nec enim romanus Pontifex per episcopos veluti per administratos aut vicarios suos Ecclesiam regit; sed eos constituit tanquam totidem principes, ordinaria potestate instructos ad uniuscujusque Ecclesiæ peculiaris bonum, quamvis cum debita subjectione in hujus potestatis exercitio a romana Sede, ad servandam unitatem tum fidei tum communionis in Ecclesia universa. Tunc solum intervenit auctoritate sua rom. Pontifex, cum aut alicujus peculiaris dioceseseos aut Ecclesiæ universalis utilitas sive necessitas id ipsum postulat (4).

618. Ad 2^m, *Neg.* Patet siquidem ex modo dictis, nullam prorsus jurium collisionem, nullas colluctationes, scandala nulla aut contemptum provenire in subjectos Prælatos ex romani Pon-

(1) Cfr. idem Raynaudus, *ibid.* ad vocem *Successor Petri*.

(2) Cfr. Natalis Alex. *diss. cit.* ad object. 4.

(3) *De rom. Pontifice*, lib. 1, cap. 9, n. 71.

(4) Cfr. Ballerinius, *Vindiciæ auctoritatis Pontificiæ*, contra opus *Justi Febronii*, cap. 3, n. 3 et seqq.

tificis præ eminentia. Nam quemadmodum in una diocesi multæ parocciæ sunt, quæ proprium pastorem habent, nemo tamen immediatam ac ordinariam in singulos suæ dioceseos fideles jurisdictionem Episcopo inficiatur, et nullæ perturbationes pertimescuntur, sic nullæ pertimescendæ sunt in casu nostro.

619. Ad 3^m, *Neg.* Res enim aliter se habet in ordine ad ecclesiasticum regimen, in quo quamvis unus sit, qui primatum exercet, nihilominus singulæ dioceses suos habent Præsules, qui non precaria auctoritate, sed propria et ordinaria eas regunt; nec enim, uti diximus, Episcopi meri sunt Papæ ministri, sed veri principes. Tot seculorum experientia aperte ostendit, hujusmodi regiminis modum maxime opportunum esse. Neque opus est omnes mundi provincias iisdem civilibus legibus gubernari; postulat autem Ecclesiæ regimen quoscumque fideles eandem profiteri fidem, eadem habere Sacramenta; quod fieri non posset, nisi unus veluti populus esset ab unico veluti principe in unitate coactus (1).

PROPOSITIO II.

Romanus Pontifex, vi sui primatus, suprema auctoritate gaudet in omnes Episcopos, etiam in generali Synodo collectos.

620. Tum hæc tum subsequentes propositiones sponte veluti sua profluunt ex doctrina hactenus vindicata. Priusquam tamen manum admoveamus ad efficiendum, quod hic proposuimus, nonnulla ad legitimum quæstionis statum aperiendum præmittere necesse est.

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit. n. 58. Hic essent expendenda, quæ Guillelmus Palmer, op. cit. part. vii, cap. 4, pag. 506 et seqq. affert, ut evincat, rom. Pontificem non habere *jure divino* ordinariam jurisdictionem super Ecclesiam universam, et præterea eadem ordinaria jurisdictione rom. Pontificem *jure divino* minime pollere super Epi-

scopos reliquos; cum tamen ea, quæ profert, vel disjecta et præoccupata magna ex parte hic a nobis jam sint, partim vero pro opportunitate excutiemus; ne prolixiores simus, ea hic missa facimus, præsertim cum nihil novi proferat, quod ab auctoribus catholicis in confutatione Launoji et Dupinii jamdiu non fuerit apprime disjectam.

621. Ac 1^o quidem animadvertimus, hanc controversiam agitari de suprema auctoritate, seu ut vocant *superioritate* seu præeminentia rom. Pontificis certi, legitimi ac viventis, supra Concilium generale; non autem Pontificis illegitimi, dubii (1) aut defuncti.

622. 2^o Animadvertimus, hic non agi de Concilio œcumenico, cui præ sederit rom. Pontifex aut per se aut per legatos suos, quodque ipse confirmaverit; hac enim ratione exposita thesis nullum sensum haberet, perinde enim esset atque adstruere, rom. Pontificem, a quo omnem firmitatem, ut paulo post ostendemus, accipiunt Conciliorum decreta, esse sibi superiorem. Quod si decreta, pontificia auctoritate firmata, vim habent, uti nonnulli existimant, ad cogendum ipsum Pontificem, id non intrinseca, ut ita dicam, eorum virtute provenit, sed ab extrinseca, ab altiori scilicet naturali divinoque jure, uti explicant qui ita sentiunt (2); alii quippe censent, Conciliorum etiam œcumenicorum canones et decreta disciplinaria, de quibus tantum est sermo, nunquam habere in Pontifices vim *coactivam*, sed solum *directivam* (3). Itaque controversia movetur de relativa superioritate rom. Pontificis seorsum sumpti supra Concilium seorsum pariter spectatum a rom. Pontifice; sic enim eam proponit Natalis Alexander, strenuus sententiæ de superioritate Concilii supra Pontificem propugnator (4); hujus enim doctrinæ patroni autumant, rom. quidem Pontificem superiorem esse, ex divina

(1) Quo in casu munus Concilii erit tantum inquirere in qualitates conditionesque electionis, quin exerceat ullam potestatem seu auctoritatem in detrimentum auctoritatis pontificiæ, in quam, ut videbimus, Concilium nihil potest.

(2) Ita Ballerinius, in op. *De potestate ecclesiastica*, cap. 3.

(3) Cfr. Bolgeni, op. cit. cap. 4, art. 2, præcipue vero Card. Orsi, in op. *De rom. Pontificis auctoritate*, lib. vii, cap. 4 et seqq. ubi plenissime hoc argumentum evolvit.

(4) Diss. iv, sec. xv et xvi, art. 3, § 3, ubi agens de decretis sess. iv et v concilii Constantiensis, nititur ostendere adversus Schelstrate, agi in illis decretis de Concilio *seorsum sumpto* a rom. Pontifice, et cui Pontifex *collaborare nolle*, *ejusque mandatis parere*; imo contrarium sensum veluti *nugatorium ac ridiculum traducit*. Cfr. etiam Bellarmin. *De Ecclesia et Conc.* lib. ii, cap. 13, n. 4 et seqq. cum vindiciis Erbermanni.

institutione, Episcopis seu Ecclesiis *distributive* sumptis, ast Episcopos seu Ecclesias *collective* acceptas, sive in Concilio sive extra Concilium, superiores esse rom. Pontifici; imo tenent; Concilium generale cogere rom. Pontificem posse ad servanda disciplinæ decreta, ipsumque præterea Pontificem reluctantem deponere.

623. Hoc sensu quæstione præfinita, vix non supervacanea videri posset ulterior inquisitio, cum nunquam fieri queat ex Christi promissis, ut vel caput a corpore Ecclesiæ, vel Ecclesia a capite suo visibili divulsa aliquando sint, atque sibi invicem opposita; alioquin Ecclesia ipsa penitus dissolveretur atque interiret. Corpus siquidem sine capite non est nisi membrorum compago acephala ac sine vita; caput vero sine corpore monstrum esset (1). Cum tamen ex hac opinandi licentia haud levia oriantur incommoda, schismata fiant, imminuatur debita Christi vicario observantia, perturbatoribus ansa detur rom. Pontifici molestias pro lubitu creandi, ciendique tumultus in Ecclesia Dei, idcirco eam silentio prætermittendam minime duximus(2).

(1) Ex hac una observatione patet, quam futillis sit ejusmodi quæstio, quæ in praxi nunquam locum habebit. Cfr. *Lettere sopra de' quattro articoli detti del clero di Francia, tradotte dal francese dal P. Anton-Francesco Orioli Min. Conv.* (nunc meritissimus S. R. E. Cardin.) Romæ 1818, quæ sunt Card. Laurentii Litta. Lett. XIV et seqq. Cfr. etiam Petrus de Marca, *De concord.* lib. III, cap. 7.

(2) Hanc propositionem adstruimus potius adversus illos, qui abutuntur hac doctrinâ, quam adversus clerum gallicanum. Notum quippe est, clerum gallicanæ Ecclesiæ addictissimum esse Sedi apostolicæ, atque in praxi eidem obsequentissimum se nullo non tempore exhibuisse atque adeo exhibere, ita ut

vix hac in parte ulli secundus existat. Incensum ejus studium in catholica fide propaganda mirum semper in modum eluxit. Ac duæ quidem institutiones illæ, ut cætera sileam, quæ ætate hac nostra uberes adeo fructus edunt, nimirum *Associatio de propagatione fidei*, anno 1820 Lugduni exorta, et *Conservatio catholicæ religionis in Europa*, Lutetiæ Parisior. an. 1839 fundata, perpetuo erunt Ecclesiæ illi decori atque ornamento. Verum refractarii ac contumaces, qui ubique sunt, non religionis zelum, virtutem ac obedientiam ex clero gallicano, sed hanc solum doctrinam mutuantur, ut Sedi apostolicæ molestias creent, habeantque unde veluti pallio quodam suam perviciam contegant. Hac propterea de causa veræ

624. Non desunt qui gallicanorum sententiam, de suprema Concilii generalis auctoritate, vix hæreseos non incusent (1); sunt e contra qui ex gallicana ejusmodi doctrina totam Ecclesiæ œconomiam pendere affirmant (2), doctrinamque saniorum theologorum de suprema rom. Pontificis auctoritate veluti paradoxum rejiciant (3). Nonnulli denique intra scholæ septa tanquam omnino adiaphoram totam hanc quæstionem amandant (4). Verum

doctrinæ defensionem suscepi, eo vel magis, quod *omnes hæretici hujus temporis*, ut loquitur Bellarminus, loc. cit. cap. 14, eam doctrinam complexi sint ac mordicus tueantur.

(1) Sane Bellarminus, op. cit. cap. 17, cum statuisset hanc propositionem: *Summus Pontifex simpliciter et absolute est supra Ecclesiam universam et supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat*, adjicit: *Hæc* (propositio) *est fere de fide.*

(2) Ita Dupinius, *De antiq. Eccles. disciplina*, tom. II, pag. 117, et ex eo Spitz, in *Nova collect. dissert. in jus eccles.* vol. 1, pag. 204. *Si enim, aiunt, rom. Pontifex Concilii superior asseratur, ruit omnis Ecclesiæ libertas, Concilia sua auctoritate spoliantur, canones in irritum mittuntur, omnia ad unius Pontificis nutum et arbitrium revocantur; quæ si semel admittantur, Ecclesiæ gallicanæ libertates nullo pacto tueri quis poterit.* Sic etiam Schröckh, *Christliche Kirchengeschichte*, seu *Historia Ecclesiæ christianæ*, part. V, pag. 456, pariter a determinatione quæstionis hujus disciplinam Ecclesiæ atque hierarchiam dependere autumat. Cfr. apud Roskovány, *De primatu Papæ*, § 76.

(3) Hac de causa nonnulli scriptores, in ephemeridibus theologis, Tübing. 1822, p. 687, Cl. Comitem de Maistre censoria virga perstrinxerunt; imo Droste-Hülshoff, in op. *Grundsätze des Kirchenrechts*, seu *Principia juris canonici*, tom. II, pag. 153, narrat, se *ex certa scientia* accepisse eundem com. De Maistre, ob paradoxa quæpiam adserta, a romanis theologis in album hæreticorum referri. Ego vere ignoro, a quibusnam romanis theologis talia acceperit auctor iste. Equidem reor, ipsum nomine romanorum theologorum voluisse significare aliquos janseniana lue infectos; illud enim *certa scientia* novi, opera com. de Maistre Romæ magni fieri, imo opus *De Papa* cum aliis ejusdem cl. auctoris operibus fuisse ex gallico in italicum idioma translatum, ac typis editum cum adnotationibus cl. Marchetti. Isidorus Guzmiez, *Theol. Christ. fundam.* pag. 348, eundem auctorem ex eo severius notare non dubitavit, quod contra *rectam Ecclesiæ christianæ notionem communemque sensum paradoxam de auctoritate rom. Pontificis, quatenus ea auctoritati Concilii generalis opponitur, sententiam defenderit.* Cfr. apud Rolkovány, op. cit. § 77.

(4) Ita Scheill, *Kritischer Comm.*

his omnibus dimissis, nos vestigiis semel positis insistentes sic assertam propositionem evincimus.

625. Ex superiori propositione constat, rom. Pontificis primatum natura sua esse auctoritatem episcopalem super Ecclesiam universam; ergo jure inferimus: primatus rom. Pontificis suprema auctoritate præstat super omnes Episcopos catholicæ Ecclesiæ etiam in Synodo generali congregatos, seu rom. Pontifex suprema pollet auctoritate ex divina institutione etiam super Concilium generale, prout distinctim a rom. Præsule spectatur.

626. Sane Episcopus superior est synodo diocæsanâ, non alia de causa, nisi quia Episcopus est; cum igitur rom. Pontifex sit Episcopus Episcoporum, Episcopus universalis, hoc ipso superior est ipso Concilio generali (1).

627. Rursum: Christus, Matth. XVI, Petrum, adeoque ejus successores, fundamentum constituit Ecclesiæ suæ universæ; ergo, nisi dicatur in Concilio Episcopos simul collectos fieri fundamentum Petri ejusque caput, fatendum est, etiam in Concilio generali Petrum, ac ejus propterea successores fundamentum et caput esse ejusdem Concilii, seu quod idem est, rom. Pontificem frui potestate suprema etiam super Episcopos simul in synodo coadunatos.

628. Accedit sensus totius antiquitatis, ex quo discimus, plane ignotam fuisse veteribus sive Patribus sive Conciliis etiam œcumenicis distinctionem, nuper inventam, inter Episcopos *distributive* et *collective* sumptos, quæ tamen unicum est doctrinæ gallicanæ fundamentum. Etenim præter denominationes, quas passim tributas a tota antiquitate rom. Pontifici paulo ante ostendimus, ex. gr. *Capitis capitum*, *Episcopi œcumenici*, *Pastoris pastorum*, etc. quæ collectionem denotant, id aperte vindicatur ex Patrum testimoniis, quos inter satis hic sit ex Ecclesia gallicana recensere Episcopos provinciæ Arelatensis, qui in epist. ad Leonem M. scribere non dubitarunt: *Per B. Petrum Apostolorum*

seu *Critic. Commentar. Freyi*, part. IV, pag. 717, qui scribit: *Tota quæstio versatur veluti chimera in lana caprina.*

(1) Cfr. Bolgeni, loc. cit. et Zaccaria, in *Antifebronio vindicato*, loco pariter cit.

principem sacrosancta Ecclesia romana tenet supra omnes totius mundi Ecclesias principatum (1). Et S. Bernardus Ecclesiæ gallicanæ sidus : *Plenitudo siquidem, inquit, potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prærogativa apostolicæ Sedi donata est* (2). *Universas porro Ecclesias non distributive, sed collective S. Doctorem accepisse, declarant, quæ ad Eugenium scribit : Quisque ceterorum (Episcoporum) habent suam, tibi una commissa est grandissima navis, facta ex omnibus ipsa universalis Ecclesia toto orbe diffusa* (3). Exinde factum est, ut œcumenica Concilia in suis synodicis epistolis ad rom. Pontificem, ipsum compellaverint nomine *Capitis*, quod membris præest (4), et *summitatis*, quæ quod filii deest adimplet (5); illum, cui vineæ (Ecclesiæ universæ) custodia a Salvatore commissa est (6); item *verticem* (7), et *antistitem* universalis Ecclesiæ (8), cuique se acquiescere profitentur (9).

629. Volens propterea Conc. Nicœnum I, ut ab omnibus Christi fidelibus ubique terrarum eadem die pascha celebraretur, commisit patriarchæ Alexandrino, ut per epistolam quotannis diem, in quo pascha incideret, rom. Ecclesiæ significaret, ut hæc *pro sua auctoritate in universam Ecclesiam omnes adigeret ad eundem diem sine ulla disceptatione ubique celebrandum* (10).

(1) Epist. LV, cap. 2, edit. Balle-
rin. col. 995.

(2) Epist. CXXXI, ad Mediolan. n. 2,
edit. Maur. col. 141.

(3) De Consid. lib. II, cap. 8, n. 16,
ibid. col. 428. Integrum hoc caput legi
meretur.

(4) Ita Conc. Chalced. apud Harduin.
Acta Conc. tom. II, col. 655. Item
conc. Constantinopolitanum III, ibid.
tom. III, col. 1459.

(5) Conc. Chalced. ibid. tom. II,
col. 659.

(6) Ibid. col. 655.

(7) Ibid. col. 659.

(8) Concil. Constantinopolitanum III,

in Epist. ad Agathonem, ibid. tom. III,
col. 1438.

(9) Ibid. tom. III, col. 1438.

(10) Ita S. Cyrillus Alexandrinus, in
Prologo scripto pro cyclo xcv annorum,
apud Ægidium Bucherium S. J. in op.
De doctrina temporum commentatio
in Victorem Aquilanum, etc. Antver-
piæ 1639, pag. 481, ubi num. 2 hæc
leguntur : *Cum his igitur atque hujus-
modi dissensionibus per universum or-
bem paschalis regula turbaretur, Sanc-
torum totius orbis synodi consensione
decretum est, ut, quoniam apud Alexan-
driam talis esset reperta Ecclesia, quæ
in hujus scientia clareret, quota kalen-*

Patres Concilii Ephesini professi sunt se *coactos litteris Cælestini* ad depositionem Nestorii devenisse (1). Huc denique spectant, quæ superius attulimus sive ex Conc. Lateranensi IV, quod rom. Pontifici plenam et ordinariam auctoritatem in universam Ecclesiam adstruit, sive ex Conc. Florentino definiente, *plenam illi potestatem* a D. N. J. C. PASCENDI, REGENDI ET GUBERNANDI *universam Ecclesiam* traditam esse.

630. Tantum igitur abest, ut Patres et Concilia illam admitterent distinctionem inter supremam Pontificis auctoritatem super Ecclesias sive Episcopos distributive sumptos, et supremam auctoritatem Ecclesiarum seu Episcoporum simul collectorum, ac proinde Conciliorum generalium super Pontificem, ut eam plane evertant et dictis et factis luculentissimis (2). Sane cum solus rom. Pontifex obstitisset canoni XXXVIII Concilii œcumenici Chalcedonensis, nullam canon hic unquam vim habuit (3). Tantum præterea abest, ut Concilia generalia sibi arrogaverint potestatem cogendi Pontificem, aut jus in eum ferendi sententiam, ut Con-

darum vel iduum, quota luna pascha debeat celebrari, per singulos annos Romanæ Ecclesiæ literis intimaret; unde Apostolica auctoritate universalis Ecclesiæ per totum orbem definitum Paschæ diem sine ulla disceptatione cognosceret. Non poterat luculentioribus verbis Ecclesiæ romanæ sen rom. Pontificis in universam Ecclesiam auctoritas coactiva significari.

(1) Apud Harduin. *Acta Conc.* t. 1, col. 1422.

(2) Quod vel ipso sanæ rationis lumine vidit protestans Moshemius, qui in *Dissert. de Gallorum appellationibus ad Concilium universæ Ecclesiæ unitatem Ecclesiæ visibilem tollentibus* (quæ reperitur inter ejus *Dissertationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes*, Altonaviæ 1739, tom. 1,

pag. 612), ejusmodi distinctionem re-
fellit, scribens: *Quod universis sive singulis Ecclesiis præesse Pontificem dicunt, non universæ Ecclesiæ, id tam mihi scitum videtur, ac si quis affirmaret, membra quidem a capite regi, non vero, quod ex membris constat, corpus; aut urbes quidem omnes, villas et prædia subesse regi, non vero, quæ his continetur, ipsam provinciam.*

(3) Qua de re cfr. vel ipse Natalis Alex. qui cit. diss. IV in sec. 1, § 4, in resp. ad object. VIII, aperte proficitur, canonem illum, utpote a Leone M. reprobatum, nullam vim habuisse, unde et Græci ipsi illum ex codice Ecclesiæ suæ expunxerunt. Cfr. etiam Roncaglia, in *Animadvers.* ad diss. IV sec. XV et XVI, Natalis Alex. § 9.

cilium œcumenicum VIII contrarium expresse statuerit ; sic enim art. X , can. 13, se habet : *Si qua vero œcumenica Synodo collecta de romana etiam Ecclesia controversia extiterit , licebit cum decenti reverentia de proposita quæstione venerantes percontari responsumque admittere , et sive juvari sive juvare , non tamen impudenter contra senioris Romæ Pontifices sententiam dicere* (1). Multo igitur minus poterit universalis Synodus rom. Pontificem deponere. Quomodo enim poterit sive Synodus œcumenica sive quævis alia potestas in terra auferre a Pontifice primatum illum, quem nulla ei humana potestas dedit aut conferre potuit , sed quem ipse immediate a Deo habet ?

631. Huc demum accedit nova doctrinæ nostræ confirmatio ex nimis recenti adversariorum sententiæ origine. Primum enim gallicanæ sententiæ vestigium occurrit in Conc. Pisano ad schisma occidentale tollendum coacto , nec sine horrore propositio de superioritate Concilii supra Pontificem excepta est (2). Cum vero nullum remedium attulerit Pisana synodus , imo malum non parum auxerit , a Joan. Gersonio cancellario Parisiensi in medium iterum prolata est nova hæc sententia in Conc. Constantiensi , ubi cœpit patronos habere , donec in ejusdem Concilii sess. IV et V, non paucis refragantibus etiam ex *obedientia* , ut vocant , Joannis XXIII , qua sola tunc constituebatur Concilium , absente et repugnante eodem Joanne XXIII , *per modum constitutionum synodaliū* ad schisma tollendum asserta fuit (3) ; rursus vero a Conc. Basileensi sess. II adstructa (4). Porro ex illo tempore factiosi quique , Jansenistæ , aulici , Febronius , Eybel , Emsensium conventus , aliique ejusdem furfuris homines , non solum doctrinam hanc novam ac toti antiquitati adversantem pugnantiter asseruerunt , verum etiam summis extulerunt laudibus de-

(1) In *Collect. Conc. veneta Coleti* , tom. x , col. 879.

(2) Cfr. Ballerin. *De potestate ecclesiastica* , cap. 5 , § 3.

(3) Cfr. Matth. Petitdidier , in op. *Dissertazione storica e teologica in cui si esamina , qual sia stato il sentimento*

del Concilio di Costanza , ex trad. dal franc: Roma 1731 , in-4^o , cap. 4 , pag. 338 et seqq. Hanc editionem selegit utpote ceteris uberiolem , quæque exhibet documenta ipsa originalia.

(4) Decr. III et IV , apud Harduin. *Acta* , etc. tom. VIII , col. 1121.

creta Constantientia et Basileensia. Dissimulant interim isti, bina illa concilia tunc temporis non fuisse œcumenica; nunquam de aperta et expressa approbatione illorum decretorum ex parte apostolicæ Sedis constitisse; decreta illa non esse absoluta, sed coarctari ad casum de Pontifice dubio, ac de tempore schismatis (1); rom. Pontifices sæpius iisdem refragatos esse (2); innumeros prope theologos contrariam doctrinam tueri (3). Atamen si nonnullos ex istis neotericis audias, elato supercilio, per inde ac si ipsi soli saperent, ceteros omnes veluti Pontificum assentatores despiciunt, atque sententiam tot antiquitatis documentis fultam, divinæ Ecclesiæ a Christo fundatæ constitutioni innixam, tot Conciliorum œcumenicorum apertis decretis firmatam, a sanioribus doctoribus traditam et in Ecclesia communem, veluti inauditum paradoxum traducunt, ut reprobata sua Constantiensia et Basileensia decreta tantum obtrudant. Adeo verum est, potiozem partem in iis, quæ minime arrident, sibi voluntatem magis quem intellectum vindicare!

DIFFICULTATES.

632: Obj. prima. Scriptura aperte sententiæ de præeminentia Concilii supra Pontificem suffragatur; nam Christus, Matth. XVIII, 15 et seqq. ait: *Si peccaverit in te frater tuus... dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Jam vero Petrus ejusque successor *frater* est, qui peccare potest; ergo ex Christi lege et ipse ad Ecclesiam saltem in Concilio congregatam deferri potest, ab eoque tanquam a supremo tribunali puniri (4). 2º Eo vel magis quod promiserit

(1) Cfr. Petitdidier loc. cit. pag. 347 et seqq. et Ballerin. op. cit. *De potest. eccles.* cap. 7, necnon Roncaglia, in *Animadv. in decreta* sess. IV et V Conc. Constantiensis, ad calcem cit. diss. IV Nat. Alex. § 1 et 3.

(2) Cfr. Roncaglia, ibid. § 5.

(3) Loquens propterea Du Vallius de sententia, quam vindicamus, tali eam

affirmat auctorum numero et gravitate gloriari, ut *totus orbis, exceptis pauculis doctoribus, eam amplectatur.* Cfr. Zaccaria, in *Antifebronio vindicato*, tom. II, diss. IV, cap. 5, § 3.

(4) Ita Gersonius, Almainus, Card. Alliacensis, Natalis Alexandr. aliique passim. De Gersonii doctrina ac fidei puritate cfr. Petitdidier, op. cit. cap. 1,

Christus, sese in medio ad futurum, ubi duo vel tres fuerint in ejus nomine congregati (1), 3^o qui ad exemplum Concilii Hierosolymitani dicere possunt : *Visum est Spiritui Sancto et nobis* (2). Ergo.

633. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m, prob. *Dist. Dic Ecclesiæ*, seu Concilio, si de eo agatur, qui Ecclesiæ seu Concilii auctoritati subjectus sit, *conc.*; si de eo, qui Ecclesiæ sive Concilio, uti primas et Episcopus, præeminet, *neg.* Hoc prius evincendum ab adversariis esset, ut aliquid pro causa sua inferre possent ex adducto testimonio; alioquin principium petunt, nihilque legitime concludere queunt. Petrus utique ejusve successor rom. Pontifex *frater* est natura, fide aliisque titulis, ast simul omnium pater est, caput ac superior, utpote Ecclesiæ universæ a Christo ipso præpositus (3). Si itaque contingeret, ut Pontifex peccator contumax esset, posset quidem ab inferiori ea qua par est reverentia commonefieri; verum ultra progredi nefas esset; sed Dei interim Providentiæ ejus resipiscencia esset committenda, ab eaque precibus ac gemitibus unice efflagitanda (4).

pag. 293 et seqq. ac videbis, eum talem haud esse, qualis ab editore suorum operum prædicatur. De Andrea d'Escobar, Nicolao Cusano, Juliano Cesarini, Paulo Sarpio, Thuano, Latunojo, etc. qui sunt heroes febronianorum, cfr. Zaccaria, in *Antifebronio. Introduzione*, c. 6.

(1) Matth. xviii, 20.

(2) Act. xv, 28. Et hæc præcipua fundamenta sunt hujus sententiæ, quæ ex Scripturis afferuntur; reliqua, quæ ab adversariis congesta sunt, ad rem non pertinent, ut cuique legenti diss. iv sec. xv et xvi, Natalis Alex. patebit, qui hæc omnia collegit, art. 1, § 2.

(3) Hinc optime Pius II, postquam docuit, rom. Pontificis esse Concilia congregare et dissolvere, subdit : *Qui etsi filius est propter regenerationem, prop-*

ter dignitatem tamen Pater habetur; et sicut filiationis causa venerari debet Ecclesiam tanquam matrem, ita et prælacionis causa præfertur ei, ut pastor gregi, princeps populo, rector familiæ. Apud Roncaglia, in *Animadv. in conc. Basileense*, ad calcem diss. viii Natalis Alexandr. § 5.

(4) Cfr. Bellarm. *De Eccles. et Conc.* lib. 1, cap. 9, n. 5. Quapropter Innocent. III, *De consecr. Pontificis*, ait : *In tantum mihi fides necessaria est, ut, cum de ceteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur (uti a persona privata), possem ab Ecclesia judicari.* Cfr. Veith, *De primatu*, sect. 2, § 49. Hinc receptum semper in Ecclesia est illud principium veluti

634. Ad 3^m, *Dist.* Ubi duo vel tres fuerint congregati *legitime*, id est, cum suo capite, *conc.*; illegitime et adversus caput, *neg.* Alioquin Christus in medio fuisset conciliabuli Ephesini II, Ariminensis, Constantinopolitani a Photio adunati, etc. Accedit, in adversariorum interpretatione non solum Concilia generalia, verum etiam provincialia supereminere Pontifici romano.

635. Ad 3^m, *Dist.* Præsente Petro, adeoque rom. Pontifice, *conc.*; Petro absente, imo vero obsistente, *neg.* Responsio patet ex dictis.

636. Obj. secunda. Opinio de præeminentia Pontificis supra Concilium adversatur toti antiquitati. 1^o Compertum enim est, Asianos quartodecimanos restitisse Victoris decreto; restitisse item S. Cyprianum cum Episcopis Asianis et Africanis, qui alioquin cessissent œcumenici Concilii decreto. Idem dicatur oportet de gestis in causa Donatistarum, qui defectu plenarii Concilii, ut passim testatur S. Augustinus (1), ad unitatem revocari non potuerunt, quamvis plura lata essent a rom. Pontificibus decreta; nec non de gestis in causa Apiarii Romam a sententia synodi provincialis appellantis, eodem S. Augustino teste (2). 2^o Idipsum evincit celebratio Conciliorum generalium ad hæresim compescendam Nestorii, Eutychetis, Monothelitarum, qui licet damnati jam fuissent a rom. Pontificibus, iterum a Concilio œcumenico veluti supremo tribunali debuerunt damnari, ut causa finita dici posset. 3^o Quare S. Gregorius M. mire extollit Conciliorum œcumenicorum auctoritatem (3). 4^o Innocentius vero III aperte professus est, Concilium generale sibi præeminere, seque ab eo coerceri etiam posse; sic enim inter alia scribit ad Philippum Augustum Galliarum regem: *Verum si super hoc,*

axioma: *Prima Sedes a nemine judicatur*, de quo loquitur vel ipse Maimbourg, in op. *Histoire du grand schisme d'Occident*, Paris 1680, tom. II, liv. 5, pag. 305. Cfr. quæ paulo ante retulimus ex Conc. generali VIII.

(1) *De Baptismo contr. Donat.* lib. I, cap. 7, et lib. II, cap. 9, etc. *Epist.* XLIII.

al. CLXII. ad *Glorium, Eleusium*, etc. cap. 7, n. 19.

(2) In *Epist. Concilii Africani ad Papam Celestinum*, apud Harduin. *Acta Conc.* tom. I, col. 947 et seqq.

(3) Lib. I, *Epist.* XXV, edit. Maur. alias XXIV, col. 515.

absque generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentarem, præter divinam offensam, et mundanam infamiam, quam ex hoc possemus incurrere, forsan ordinis et officii nobis periculum immineret, cum contra præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare (1). Ergo.

637. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m, *Dist.* Cessissent ii perveraces decreto Concilii œcumenici celebrati sub præsentia rom. Pontificis, *trans.*; seorsum ab illo celebrati, *neg.* In hoc porro vertitur totius quæstionis cardo juxta prænotata. Ex qua quidem animadversione jam patet paralógismus adversariorum tum in hoc, tum in sequentibus argumentis, quæ omnia eodem vitio laborant, falsæ nempe, ut aiunt, suppositionis.

638. Ceterum in causa Asianorum quartodecimanorum agebatur de re disciplinari, quæ tota ex veritate facti pendebat, utrum nempe ex S. Joannis traditione esset pascha celebrandum luna XIV, an vero dominica insequenti ex traditione S. Petri (2). Putabant propterea Asiani voluisse S. Victorem ex ignoratione propriæ ipsorum traditionis, eos cogere ad suum ritum, quem a S. Joanne acceperant, deserendum. Addo, etiam post Concilii Nicæni decretum non paucos etiam ex occidentalibus in antiqua consuetudine retinenda diu perstitisse (3). Nimis proinde evinceret argumentum adversariorum, si quid valeret.

639. Idem dicendum de resistentia S. Cypriani ceterorumque Episcoporum, cum et ipsi contrariam consuetudinem seu traditionem non ubique obtinere acriter contenderent, ac propterea liberum Ecclesiis esse in re, quam disciplinarem arbitrabantur, propria instituta sectari. Et hic præterea adnotandum,

(1) *Epist. cvi, ad Philippum Augustum*, apud Nat. Alex. Diss. cit. § 4, n. 30.

(2) Cfr. Euseb. *Hist. eccl.* lib. v, cap. 23.

(3) Cfr. Usserius, *De primordiis Ecclesiar. Britann.* pag. 925 et seqq.; Bucherius, op. cit. cap. 10, *In pascha-*

lem canonem Victorii, nec non Bollandiani, tum tom. III mens. Febr. die XVIII, *ad vitam S. Colmani Episcopi Landisfarnensis*, § 2, tum tom. II, mens. Jun. die IX, *ad vitam S. Columbæ, seu Columbanus presb. Abbatis in Jona Scotiæ insula*, ad vitam prolixiorum Commentario prævio, § 2.

etiam post Concilii Nicæni decretum impune non paucos consuevisse ab hæreticis tinctos iterum baptizare (1).

640. In causa Donatistarum agebatur pariter de quæstione facti, de culpa aut innocentia Cæciliani. Nimirum S. Melchadium, qui ejus asseruerat innocentiam, haud satis perspectam habuisse Cæciliani causam excipiebant Donatistæ, ac propterea iterum ad examen in Concilio plenario causam illam revocandam contendebant. Ejusmodi autem Concilium minime necessarium esse, vel ipse S. Augustinus fassus est (2).

641. Afri in causa Apiarii errore facti decepti sunt, haudquam animadvertentes, canones Sardicenses inter Nicænos canones recenseri (3); et hic pariter causa agitabatur personalis, in qua Pontifex decipi poterat. Quapropter africani præsules improbas tantum appellationes haud facile nimis admitti a rom. Pontificibus exoptabant.

642. Ad 2^m, *Dist.* Ob extrinsecam auctoritatem, quæ exurgit ex conjunctione et conspiratione capitis ac membrorum in eadem sententiam, *conc.*; ob auctoritatem intrinsecam, quæ superveniat Pontificum decretis, *neg.* Illud in primis animadvertimus, extra præsentem, quam agitamus, controversiam hæc urgeri ab adversariis. Omnia enim Concilia illa convocata, celebrata, aut saltem confirmata sunt a rom. Pontificibus, uti paulo post ostendemus. In casu autem nostro quæstio est de Concilio celebrato absque Pontifice, et ad Pontificem cogendum. Agebatur præterea in illis Conciliis de hæresibus damnandis et fide catholica asserenda; nemo autem unus dubitavit, rom. Pontifices decretis Conciliorum, quæ ab ipsis probata fuerint et confirmata, in fidei articulis subjici. Hic vero agitur de vi coactiva Conciliorum generalium in rom. Pontifices circa rem disciplinarem. De-

(1) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De Sacram. in genere*, cap. III, prop. 1, n. 116 et seqq.

(2) Cfr. Roncaglia, in *Animadv.* ad diss. IV, sec. XV et XVI, Natalis, § 8.

(3) Cfr. Marii Anton. Cappelli Ord. Convent. *De appellationibus Ecclesiæ*

africanæ ad rom. Sedem dissertat. Romæ 1722, cap. 5, nec non Ballerin. in *Tractatu de antiquis tum editis tum ineditis collectionibus canonum*, tom. III, opp. S. Leonis. part. II, cap. 1, § 3; Marchetti, *Del Concilio di Sardica*, part. II, § 5, n. 61 et seqq.

mum observamus, Catholicos omnes statim acquievisse rom. Pontificibus in errorum damnatione, ne ipsis quidem Conciliis exceptis; hæreticos autem, qui Pontificum decretis restiterant, restitisse pariter auctoritati Conciliorum œcumenicorum, uti ex hæreticis antiquioribus et recentioribus compertum est. Nihil propterea ex horum reluctantatione concludi potest.

643. Ad 3^m, *Dist.* Extollit S. Gregorius M. Concilia œcumenica sub regimine rom. Pontificum celebrata, *conc.*; Concilia acephala, de quibus hic agitur, *neg.*

644. Ad 4^m, *Dist.* Ea scripsit Innocentius III, ne se periculo exponeret agendi contra Christi sententiam: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, quæque pendebat ex discussione facti, *conc.*; absolute, *neg.* Cum enim Philippus priori uxori Ingenburgi vellet aliam superinducere, obtendens prius matrimonium non fuisse consummatum, secus ac affirmabat Ingenburge, Innocentius noluit factum istud per se excutere, ne in difficili adeo negotio deciperetur. Voluit proinde, ut a Concilio simul expenderetur; sicque etiam moras nectebat, ut interea Philippus, defervescente priori æstu, ad saniora consilia se reciperet, ut reipsa factum est (1).

645. Obj. tertia. 1^o Concilium Constantiense, sess. IV et V, duo edidit decreta, quibus declaravit, Concilio generali quemcumque cujusvis dignitatis *etiam papalis* obedire teneri (2). Concilium autem Basileense quinquies decreta Constantientia confirmavit (3). 2^o Hæc porro Concilia recepta fuerunt et approbata ut œcumenica a Martino V, Eugenio IV et Pio II (4). Jam vero Conciliorum œcumenicorum decreta, quæ a rom. Pontificibus confirmata sunt, omnimodam vim habent, ut nemo iis possit absque erroris nota refragari. 3^o Huc quoque accedit celeberrima declaratio cleri Gallicani, anno 1682 in solemnibus comitiis

(1) Cfr. apud Hurter, *Histoire du* col. 252 et 258.

Pape Innocent III, tom. III, liv. 18,
edit. cit. pag. 226 et seq.

(3) Loc. cit.

(2) Apud Hard. *Acta Conc.* tom. VIII,

(4) Ex Nat. Alex. diss. cit. § 7 et 8,
et diss. VIII, sec. XV et XVI, not. 3 et 4.

emissa, in qua auctoritas suprema Concilii generalis supra Pontificem struitur. Ergo.

646. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Concilium Constantiense decrevit supremam Concilii potestatem super Pontifices dubios et ad tollendum schisma, *conc.*; supra Pontifices certos, *neg.* Id constat ex ipso procemio decreti sess. IV, ubi aperte illius Concilii patres declarant: *Pro extirpatione præsentis schismatis* (1). Cum vero non alio sensu ea decreta probaverit concilium Basileense, jure inferitur, ejusmodi decretis nulla ratione præeminentiæ rom. Pontificis certi supra Concilia generalia derogari. Si addatur, incertum omnino esse, utrum pro œcumenico haberi debeat Constantiense Concilium in illis sessionibus ob ea quibus laborabat vitia, multoque vero magis Concilium Basileense, quod desiit in conciliabulum schismaticum, atque eo prorupit audaciæ, ut Eugenium IV, legitimum Pontificem, hæreticum declaraverit ac deposuerit, quanti faciendæ sint istæ auctoritates, patebit (2). Attamen decreta horum conciliorum sunt sedes præcipuæ omnium argumentorum, quibus nituntur adversarii fulcire præeminentiam Concilii acephali super rom. Pontificem Christi vicarium et caput universæ Ecclesiæ.

647. Ad 2^m, *Dist.* Concilia Constantiense et Basileense a rom. Pontificibus confirmata sunt in gestis adversus hæreticos et in fidei definitionibus, *conc.*; in decretis de quibus agitur, *neg.* Etenim Martinus V expresse declaravit, se *omnia et singula determinata, conclusa et decreta* IN MATERIIS FIDEI *per præsens Concilium* (Constantiense) *conciliariter tenere et inviolabiliter observare velle, ipsaque sic CONCILIARITER facta adprobare et*

(1) Loc. cit.

(2) Cfr. Roncaglia, in *Animadv.* in decreta sess. IV et V Conc. Constant. § 1, ad calcem diss. IV, sec. XV et XVI Natalis; et in *Animadv.* ad diss. VIII, quæ est de Concilio Basileensi, §§ 6 et 7, præcipue vero Card. Orsi, *De rom. Pontificis auctoritate*, tom. II, part. I, toto libro V, ubi agit de Conc. Constantiensi,

et ejusdem tomi part. II, lib. VI, ubi agit de Conc. Basileensi. Idem brevius præstiterunt Ballerinius, in op. *De ecclesiastica potest. rom. Pontificum*, capp. 7, 8 et 9, atque Petitdidier, op. cit. capp. 3, 4, 5 et 6. Hi Omnes scripserunt post Schelstrate, quem impugnaverat Natalis Alex.

ratificare, et non aliter, nec alio modo (1). Quam quidem declarationem facto ipso confirmavit Pontifex, dum edita bulla oratoribus Polonis sub pœna excommunicationis prohibuit, ne a Pontifice ad generale Concilium provocarent (2). Hanc vero bullam istorum decretorum Constantiensium *fundamentale penitus robur destruxisse*, Joan. ipse Gersonius, præcipuus ipsorum assertor et vindex, conquestus est (3). Sed neque Eugenius IV probavit decreta concilii Basileensis, dum litteris datis die 18 Jan. an. 1433, legitimam concilio continuationem indulisit, ut ipsemet Pontifex declaravit in solemnibus congressu Florentiæ habito, dicens: *Nos quidem bene progressum concilii approbavimus, volentes ut procederet, ut inceperat; NON TAMEN APPROBAVIMUS EJUS DECRETA* (4). Multo vero minus probavit Pius II, de quo Natalis Alex. conqueritur, ipsum, mutata conditione, mutasse sententiam, quam in minoribus constitutus Æneas Sylvius sectatus fuerat, de Concilii supra Pontificem præeminentia (5).

648. Ad 3^m, *Dist.* Quæ tamen sæpius reprobata est a rom. Pontificibus, atque ab ipsis illius auctoribus retractata, *conc.*:

(1) In *Collect. Conc. veneta Coleti* tom. XVI, col. 746.

(2) *Ibid.* col. 747 et seqq.

(3) In *dialogo apologetico pro condemn. proposit. J. Parvi*, opp. edit. Ellies Dupinii, Antwerp. 1706, tom. II, col. 390, ubi sic scribit: *In deteriora continue relapsa est, usque adeo quod pro parte dominorum Polonorum interjecta est tandem appellatio ad futurum Concilium; cui appellationi cum respondendum esset, lecta est, ut dicitur, in consistorio generali et publico, quod ultimo Constantiæ celebratum est, minuta quædam sub forma Bullæ, destruens (ut asserunt qui legerunt eam) fundamentale penitus robur, nedum Pisani, sed Constantiensis Concilii, et eorum omnium, quæ in eis, præsertim super electione*

summi Pontificis, et intrusorum ejectione, attentata factave sunt. Continebat itaque, in nullo casu licere appellationem a Papa facere, nec ejus judicium in casu fidei declinare... contra decreta Concilii.

(4) Ita testatur Card. Jo. De Turrecremata, qui interfuit ipsi congressui Florentino, idque ex ore accepit Eugenii IV, et refert in op. *De summa Ecclesiæ*, lib. II, cap. 100, quodque profert Rocabertus, in *Bibliotheca maxima pontificia*, tom. XIII, pag. 430, col. 2. Cfr. ejusdem Card. *Apologia Eugenii IV, ad Basileensem oratorem in Florentino Concilio*, apud Labbeum tom. XIII, col. 1661 et seqq.

(5) Cfr. Roncaglia, *Animadv.* in diss. VIII, sec. XV et XVI, P. Natalis, § 5.

quæ aliquam obtineat auctoritatem, *neg.* Etenim ad rom. Pontifices quod spectat, satis hic sit verba adducere, quibus Pius VI, in constit. *Auctorem fidei*, synodum Pistoriensem, quæ illam declarationem adoptaverat, perstrinxit: *Quamobrem quæ acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, prædecessor noster ven. Innocentius XI per litteras in forma brevis die II Aprilis anni 1682, post autem expressius Alexander VIII, constit. INTER MULTIPLICES, die 4 Augusti an. 1690, pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla et irrita declararunt, multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in synodo tot vitiis affectam adoptionem velut temerariam, scandalosam, ac præsertim post prædecessorum nostrorum decreta huic apostolicæ Sedi summopere injuriosam reprobare ac damnare, prout eam præsentī hac nostra constitutione reprobamus et damnamus, ac pro reprobata et damnata haberi volumus.* Quod vero attinet ad auctores declarationis, in epist. data an. 1693 ad Innocentium XII: *Profitemur, scribunt, et declaramus nos vehementer quidem, et supra id quod dici potest, ex animo dolere de rebus gestis in comitiis prædictis, quæ Sanctitati vestræ et suis prædecessoribus displicuerint summopere; ac proinde quidquid in ipsis comitiis circa ecclesiasticam potestatem, et pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus et habendum esse declaramus* (1). Ludovicus XIV pariter retractavit edictum, quo declarationem in publicis scholis et academiis tradi præceperat (2). Demum vel ipse Bossuetus non sine stomacho: *Abeat ergo, inquebat, declaratio, quo libuerit* (3). Quænam igitur superest declarationi illi auctoritas, ut jure objici possit?

649. Obj. quarta. 1^o Vel ipsa ratio et sensus naturæ commu-

(1) Cfr. apud Gard. Litta, op. cit. *Lettere*, etc. lett. 4, pag. 24 et seq.

(2) Ibid. pag. 21.

(3) Ibid. p. 22; cfr. de hac *Declaratione* P. Bianchi, opp. cit. tom. II,

pag. 637; Zaccaria, in *Antifebbronio* tom. II, diss. 2, cap. 10, n. 8 et seqq.; nec non De Maistre, *De l'Eglise Gallicane*, lib. II, ch. 3 et suiv.

nis docet, *totum majus esse sua parte*; jam vero Concilium est totum, Pontifex autem tantum Ecclesiæ pars, Concilium igitur majus est Pontifice (1). 2^o Dictat præterea jus naturæ, membra, quæ totum inficiunt corpus, posse amputari; tale vero membrum censi debet pontifex flagitiose vivens; poterit igitur ab Ecclesiæ corpore per Concilium abscindi. 3^o Accedit, sententiam de præeminentia pontificis supra Concilium jam obsoletam apud plurimos esse, ac magis in dies vilescere. Ergo.

650. Resp. Ad 1^m, Ratio docet totum majus esse sua parte, si de toto *physico* sermo si, *conc.*; si de toto *moralis*, *neg.* Absolutum prorsus est a magnitudine physica assurgere ad auctoritatem moralem, perinde ac si hæc ut illa esset dimetienda. In hac hypothesis major esset auctoritas exercitus quam ducis, filiorum quam patrisfamilias, Ecclesiæ quam Christi; spectata siquidem mole minor est dux exercitu, pater familia, Christus Ecclesia. Ita desipiunt qui sic argumentantur! Addatur, in Ecclesia auctoritatem communicatam esse extrinsecus a Christo, adeoque ibi majorem reperiri, ubi majorem Christus collocaverit; porro Christus non Ecclesiam Petro, sed Petrum Ecclesiæ præposuit ut caput, pastorem, principem ac vicarium suum (2). Nec omittendum, pro certo sumere adversarios, quod falsum omnino est, Ecclesiam nempe acephalam *totam* esse, cum nec Ecclesia dici possit (3).

651. Ad 2^m, *Dist.* Dictat jus naturæ amputanda ea membra esse, quæ corpus inficiunt, si sint minus principalia, *conc.*; si sint membra principalia, cujusmodi est caput, *neg.* Quid si ratio hæc in civili societate valeret? Quot turbæ ac seditiones orirentur? Negamus præterea, esse in Ecclesia auctoritatem in pontificem, qui auctoritatem suam immediate a Christo accipit; hæc proinde ab hominibus auferri nequit, prouti neque ab hominibus confertur.

(1) Ita Gersonius, Card. de Alliaco, etc. apud Petitdidier, op. cit. cap. 2, et post ipsos Natalis Alex. alique passim.

(2) Cfr. Petitdidier, loc. cit.

(3) Apposite de Natali Alex. qui hæc ipsa objecit, Albertinius, or. Pr. vol. 1,

Acroasi 9, De rom. Pontif. Vir integre fidei, inquit, immensæ eruditionis, judicii summi; at in re nostra nullius criterii, incertæ sententiæ, perpetuæ cum semetipso pugnæ.

652. Ad 3^m, *Dist.* Obsolevit ac viluit hæc sententia apud plurimos neotericos, quibus nova placent, *conc.*; apud sanos catholicos theologos, *neg.* Apud hos enim veritas immota stat, quæ sine piaculo vix aut ne vix quidem impugnari potest. Huc enim refertur prop. XXIX, ab Alexandro VIII proscripta: *Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis romani super Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus infallibilitate* (1).

PROPOSITIO III.

Ad solum rom. Pontificem, vi sui primatus, spectat Concilia œcumenica cogere, iis præsidere, eaque confirmare.

653. Et hæc propositio legitime sequitur ex priori de natura primatus rom. Pontificis a nobis vindicata. Etenim si natura Pontificii primatus in eo consistit, ut sit auctoritas episcopalis in universam Ecclesiam et respectu omnium Episcoporum, jure infertur ab illo solo convocari Concilium œcumenicum posse, eidemque illum solum posse præesse, atque idem unice confirmare, qui supremus est Episcoporum omnium pastor et Episcopus, quique in illos sive distributive sive collective sumptos potest ex divina dispositione auctoritatem exercere. Atqui ex dictis talis est solus rom. Pontifex; ergo.

654. Rursum: Illius tantum est quæ recensuimus præstare, qui jure divino toti præsidet Ecclesiæ, quam generale Concilium

(1) In quam propositionem. cfr. Viva, *Damnatae theses*, etc. Petavii 1717, pag. 447 et seqq. Atque hic obiter observo, eos, qui hanc doctrinam tuentur, ut plurimum sectari moralem doctrinam rigidiorum; ast iidem isti, cum agitur de rom. Pontificis auctoritate, videntur oblitii suorum principiorum, et absque scrupulo, quod sibi magis aridet, adversus pontificias constitutiones

amplectuntur. Possem hic adjicere catalogum theologorum, qui etiam post declarationem sic dictam cleri gallicani, antiquam imo avitam doctrinam adstruxerunt. Verum hunc reperies apud Zaccaria, in *Antifebronio*, tom. II, diss. II, cap. 4, et in *Antifebronio vindicato*, part. II, diss. IV, cap. 5, quibus plures alii addi possent.

repræsentat; jam vero solus rom. Pontifex jure divino præsi-
det Ecclesiæ universæ; ipse proinde solus potest Episcopos co-
gere, atque iis collectis tanquam caput ac supremus pastor præesse
et eorum acta probare.

655. Quod vero speciâtim attinet ad confirmationem Concilio-
rum œcumenicorum, illam ad solum rom. Pontificem pertinere,
præsertim si neque per se, neque per legatos suos iisdem inter-
fuisset, exinde constat, quod nisi ipse Concilium confirmave-
rit, sive acceptaverit, illive consenserit, hoc neque œcumeni-
cum sit, neque in suis judiciis irreformabile. Nam eatenus habetur
uti œcumenicum et infallibile Concilium, quatenus Ecclesiam
universam repræsentat, cui infallibilitatem Christus promisit.
Jam vero sine rom. Pontifice, qui totius Ecclesiæ caput est, Con-
cilium quodlibet aut œcumenicum aut repræsentans universam
Ecclesiam nec est, nec dici potest, cum sit corpus acephalum;
ergo sine Pontificis confirmatione nullis hisce prærogativis Con-
cilium gaudet, multo vero magis eis destituetur, si contradicen-
tem habuerit Pontificem. Quare hinc factum est, ut nunquam
cujusvis Concilii decreta, quæ rom. Pontifex firma ac rata non
habuerit, veluti ineluctabilia ac fide divina credenda suscepta
fuerint; contra vero tanquam divina fuere recepta, quæ a rom.
Pontifice fuerunt confirmata (1).

656. Ex his patet, 1^o quid de aulicis illis scriptoribus sentien-
dum sit, qui jus convocandi Concilia generalia uni tribuunt
politiciæ potestati; aut saltem autumant, non competere rom.
Pontifici jus illud, nisi ex tacita Principum atque Ecclesiarum
consensione (2).

(1) Quinimo animadvertendum est, interdum vel ipsa Concilia provincialia, confirmata a rom. Pontifice, auctori-
tatem adepta fuisse ineluctabilem, ut constat de Conc. Arausicano II. Conci-
lium Constantinopolitanum I ab initio, defectu istius confirmationis, neque in-
ter œcumenica recensebatur, sed solum postquam probatum est a rom. Pontifice.

(2) Ita inter ceteros sentit Febronius, *De statu Ecclesiæ et legitima rom. Pont. potestate*, cap. 6, §§ 2 et 3, et post eum etiam Pehem, in *jure eccl.* tom. 1, § 767, ex catholicis; ex protestantibus vero Wieggers, in op. *Allgemeine Encyclopedie*, seu *Encyclopedia uni-
vers.* etc.

657. Patet itidem 2^o quid de iis sentiendum, qui perfricta omnino fronte asseverant esse in potestate Concilii deferre alteri præsentiam quam legatis pontificiis, perinde ac si Pontifex jure divino ac proprio exspoliari a quoquam posset, et in caput membra dominarentur (1).

658 Patet similiter, quid sit sentiendum 3^o de iis, qui pontificiam confirmationem ad merum suffragium restringunt, et ad assensum, cujusmodi ab infimo Episcopo datur; vel qui statuunt, Concilia œcumenica absque ulla ulteriori approbatione infallibilia esse, ut facilius inde evincant Concilium œcumenicum, id est acephalum, supra Pontificem esse (2). Hi enim omnes sunt catholici larvati, et causæ catholicæ proditores, qui odio æstuant in apostolicam Sedem, quam pro munere tueri ac defendere deberent.

659. Priusquam vero difficultates adversariorum proferamus, operæ pretium erit animadvertere, fieri quandoque posse, ut Concilium neque convocatione, neque præsentia rom. Pontificis celebratum sit, obtineat tamen dignitatem Concilii œcumenici accedente rom. Pontificis approbatione et confirmatione, cujusmodi censetur Concilium Constantinopolitanum I. Confirmatione enim pontificia defectus, si qui fuerint, sanari possunt.

DIFFICULTATES.

660. Obj. prima. 1^o Octo priora Concilia generalia in Oriente celebrata ab Imperatoribus indicta sunt; 2^o in quo quidem summum imperantem jure suo usum esse exinde liquet, quod *ad eum pertinet, ut, potestate sibi concessa, populi ei commissi, non modo temporalem, sed æternam etiam felicitatem tueatur atque promoveat. Ex hoc vero fonte fluit jus, ortis hæresibus, imperandi, ut Episcopi in cœtum coeant* (3). Id præterea confirmatur ex eo quod, *quum omne Concilium in territorio quodam*

(1) Ita rursus Febronius, op. cit. cap. 5, § 4.

sen *Ephemerid. theologicas Tübing.* 1823, pag. 272.

(2) Febronius, loc. cit., et anonymus, in *Theologische Quartalschrift*,

(3) Ita Febron. op. cit. cap. 6, § 2.

sit celebrandum, tali vero Pontifex careat, nec jure convocandi Concilii gaudere possit (1). 3^o Quod si progressu temporis rom. Pontifex consuevit convocare Concilia generalia, cum *nulla lex divina aut ecclesiastica extet, quæ convocationem generalium Conciliorum rom. Pontifici reservet, tacito Principum et Ecclesiarum consensu jus hoc rom. Pontifici dimissum fuisse*, dicendum est (2). 4^o Aut, si placet, tribuendum hoc erit *usurpationi* rom. Pontificum, qui medio ævo in tanta potestatis sacræ et profanæ *confusione*, jus Imperio adeo pretiosum ac necessarium eripuerunt (3). 5^o Sane prima Ecclesiæ ætate summe conveniens erat, ut supremus imperans Concilium convocaret, quandoquidem Ecclesia nec sciverit, quomodo aliter hæc convocatio institui deberet, romanis vero Episcopis ne in mentem quidem venerit, jus hoc pro se adserere; erroneum autem foret, ad tacitam juris hujus ab Ecclesia imperanti factam cessionem provocare (4). Ergo.

661. Resp. 1^m, *Dist.* Ex consensu rom. Pontificis, *conc.*; auctoritate propria, *neg.* Etenim si divino jure, uti ostendimus, unus rom. Pontifex auctoritate pollet in omnes Episcopos; si uni rom. Pontifici onus incumbit pascendi universum dominicum gregem, ipse profecto solus vi primatus sui potest generalia concilia convocare. Dum igitur historia videtur Imperatoribus tribuere convocationem Conciliorum, intelligi id debet de convocatione, ut ita loquar, *materiali*, non autem de convocatione *formali* et *legitima*, quæ nullo modo competere potest politicæ potestati. Sane non desunt documenta, quæ ostendant, priora Concilia auctoritate, suasionem, consensu rom. Pontificum fuisse ab Imperatoribus indicta. De Concilio Nicæno I constat ex Patribus Concilii Constantinopolitani III, anno 680 celebrati, qui, nullo repugnante, in acclamationibus dixerunt: *Arius divisor Tri-*

(1) Idem in *Tractatiuncula Jesuitæ Heidelbergensi* (Anton. Schmidt) *opposita*, opp. tom. iii.

(2) Idem loc. cit. ex opere *De statu Ecclesiæ*, etc.

(3) Ita Pehem, loc. cit.

(4) Ita Planckius, in op. *Geschichte der christlich-kirchlichen Gesellschaftsverfassung*, seu *Historia constitutionis socialis christianæ Ecclesiæ*, part. 1, pag. 680.

nitatis et partitor insurgebat, et continuo Constantinus semper Augustus, et Silvester laudabilis magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant (1). De Constantinopolitano I nihil attinet dicere, quum nonnisi per subsequentem confirmationem fuerit inter œcumenica connumeratum (2). De Conc.

(1) Ἀρείος διαίρητης καὶ κατατομεύς τῆς Τριάδος ἐγγήγετο, καὶ παραυτίκα Κωνσταντίνος ὁ αἰσεβέστατος, καὶ Σίλβηστρος ὁ αἰοδιδμος, τὴν ἐν Νικαία μεγάλην τε καὶ περίβλεπτον συνέλεγον συνόδον. Act. xviii, in *Sermone Acclamatorio*, apud Harduin. *Acta Conc.* tom. III, col. 1418. Idipsum insinuat Rufinus, *Hist. eccl.* lib. 1, cap. 1, dum scribit, quod Imp. Constantinus ex *Sacerdotum sententia apud urbem Nicæam episcopale Concilium convocet*, opp. edit. Paris. 1680, p. 195 : ex sententia scilicet tum S. Silvestri, tum Hosii Episcopi Cordubensis, qui tanquam legatus missus fuerat a S. Silvestro ad componendas quæstiones in Oriente exortas circa diem celebrationis paschatis, et ad sedandas turbas ab Ario in Ægypto excitatas, ut colligitur ex Socrate, lib. 1, cap. 7, et Sozomeno, lib. 1, cap. 16, atque ex sententia Alexandri Episcopi Alex. ac liquet ex Epiphanio, hæc. lxxviii, § 4, edit. Petav. tom. 1, pag. 720. Quare Anastasius Bibliothecar. *De vitis Pontificum*, in *Silvestro*, sect. 35, scribit : *Hujus temporibus factum est Concilium cum ejus consensu in Nicæa Bithyniæ, et congregati sunt 318 Episcopi catholici*, edit. Blanchinii Romæ 1718, tom. 1, pag. 37; cfr. etiam de hoc argumento P. Bianchi, op. cit. *Della potestà e della politia della*

chiesa, tom. iv, lib. 11, cap. 3, § 9, n. 1; nec non Muzzarelli, in op. posthumo, *De auctoritate rom. Pontificis in Conciliis generalibus*, Gandavi (sine anno), tom. 1, cap. 5, § 2, pag. 82 et seqq. ubi profert præterea auctoritatem Theodori Studitæ, *Epist. 34, ad Leonem Pont. rom.*, et legatorum rom. Sedis, qui missi fuerant ad Conc. Chalcædonense a S. Leone M. ex quibus Lucentius, act. 1, reddens rationem, quare Dioscorus ex præcepto S. Leonis sedere non deberet in Concilio, dixit : *Quia cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, et Synodum (ephesinam II proditoriam) ausus est facere sine auctoritate Sedis apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est*. Ad hæc Dioscorus obmutuit, quod certe non fecisset, nisi ageretur de re tunc temporis exploratissima. Ex his patet impudentia Schröckii, qui in *Christliche Kirchengeschichte*, seu *Historia Ecclesiæ christianæ*, part. v, pag. 530, edit. secunda, decretorie pronunciat, in convocatione Concilii Nicæani nullam Silvestrum partem habuisse. Cfr. Roskovany, op. cit. § 70.

(2) Quanquam neque desint documenta, quæ suadeant Imp. Theodosium ex consensu rom. Pontificis Damasi illud convocasse. En verba Conc. VI œcumenici, loc. modo cit. Μακεδόνιος τὴν τοῦ Πνεύματος ἡθέτει θεότητα καὶ

Ephesino testatur liber diurnus rom. Pontificum : *Sub principis quidem memorie Theodosio Augusto factum est, ex auctoritate tamen Cælestini apostolicæ Sedis Antistitis* (1). Item Chalcedonense *jussione* Leonis M. convocatum esse a Marciano, fidem faciunt Mœsiæ secundæ Episcopi in sua ad Leonem Imp. epistola (2); nec diffitentur adversarii, qui hoc primum usurpatæ majoris potestatis exemplum a Leone M. adducere consueverunt (3). Certa pariter res est ex epistolis ipsius Justiniani, Constantinopolitanum II, seu generale quintum, ex consensu Vigilii fuisse celebratum (4). Sic Conc. generale VI non fuisse absque consensu rom. Pontificis convocatum, constat ex epistolis Imp. Constantini Pogonati datis ad Pontificem Donum, quibus illum

τὸ δεσπύζον ἰσοδουλον ἰδογματίζει. ἀλλ' ἰ μίγιστος βασιλεὺς Θεοδοσίος, καὶ Δάμασος ὁ ἀδάμας τῆς πίστεως... τὴν ἐν ταύτῃ τῇ βασιλίδι πόλει σὺνήθροίζον σύλλογον. Id est, *Macedonius deitatem Spiritus Sancti denegabat; sed maximus Imperator Theodosius et Damasus adamas fidei... illam in hac regia urbe Synodum congregabant.* Cfr. Baronius, ad an. 381, n. 19 et 20. Cfr. etiam Bianchi, op. et loc. cit. n. 2.

(1) Quem edidit Garnerius, S. J. Paris. 1680, pag. 36. Cfr. Bianchi, op. et loc. cit. n. 6, et Zaccaria, *Antifebronio*, tom. iv, part. II, lib. iv, cap. 1; Mazzarelli, op. cit. tom. II, cap. 7, § 2.

(2) In cod. Encyclico, apud Hard. *Acta Conc.* tom. II, col. 710. Observandum porro hic est, hos Episcopos rationem reddere, quare per *jussione* Leonis romani Pontificis Chalcedonem convenerint; subdunt enim, *qui vere caput Episcoporum.* Luculentum præterea testimonium hujus convocationis suppeditat S. Leo M. qui epist. cxiv, edit.

Baller. cap. 1, col. 1197, scribens : *Propter quam* (causam fidei) *generale Concilium et ex præcepto christianorum Principum et consensu apostolicæ Sedis placuit congregari;* et Gelasius rom. Pont. in epist. ad Episcop. Dardaniæ, in *Collect. Conc.* veneta Coleti, tom. v, col. 339 : *Ac pro veritate, scribit, ut Synodus Chalcedonensis fieret* (Sedes apostolica) *sola decrevit.*

(3) Ita Planckius, apud Roskovany, § 70.

(4) Imperator Justinianus, licet repugnante Vigilio Concilium v congregaverit, tamen ex consensu Vigilii illud fuisse celebratum constat ex *Epistolis* Vigilii ad *Eutychium et Episcopos sub ipso constitutos*, et Justiniani ipsius in *Epist. ad Patres quintæ Synodi.* Quare Patres Conc. vi, in sermone acclamatorio cit. dixerunt : *Vigilius post hæc Justiniano piissimo consonuit, et quintum Concilium constitutum est.* Cfr. Zaccaria, in *Antifebronio*, loc. cit. part. II, lib. iv, cap. 1, pag. 121.

hortabatur ad mittendos suos legatos (1), nec non generale VII, seu Nicænum II, ex consensu Hadriani I (2); demum generale VIII, seu Constantinopolitanum IV, ex jussione Hadriani II (3). Cum igitur ex indubiis documentis constet, omnia et singula priora octo Concilia auctoritate et consensu rom. Pontificum convocata aut celebrata fuisse ab Imperatoribus, pudorem exuisse necesse est eos, qui assererent Imperatores jure proprio illa coegisse (4).

662. Ad 2^m, *Dist.* Summus imperans præter temporalem, æternam etiam felicitatem promovere debet per media statui suo consentanea, *conc.*; quocumque modo, *neg.* Ex illa obligatione seu munere, quod summo imperanti incumbit, non fluit jus imperandi Episcopis sibi subjectis, ut exortis hæresibus in

(1) Cfr. Zaccaria, loc. cit. nec non Muzzarelli, op. cit. tom. II, cap. 10, § 4.

(2) Id liquet ex Hadriani I *Epistola ad Tarasium*, in qua sic scribit: *Quod si non perspecta mihi esset et probe cognita erga sacras synodicas sex constitutiones et venerandas imagines vestra sinceritas et orthodoxa fides, nequaquam ad Synodum convocandam adsentiremus*; apud Zaccar. loc. cit. Apud Hard. *Acta Conc.* tom. IV, col. 98, aliquantisper verbis immutatis hæc ipsa leguntur. Cfr. etiam Muzzarelli, op. cit. tom. II, § 2, ubi plura alia hanc in rem profert.

(3) En verba Hadriani II, in *Epist. ad Imp. Basilium*: *Volumus ergo, per vestræ pietatis industriam, illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque missi præsidentes, etc.* Apud Harduin. tom. V, col. 768.

(4) Hi nimirum ideo adnituntur hoc rom. Pontificibus eripere jus, illudque transferre in regimen civile, quia animo vehementer ab illorum primatu abhorrent, uti scite observat Roskovany,

op. cit. § 70. Attamen hi studiosi antiquitatis non animadvertunt, se hac agendi ratione a sensu antiquitatis longe recedere. Vidimus jam, rejectum fuisse uti latrocinium *conc. Ephesinum II*, eo quod absque consensu rom. Pontificis convocatum; nunc vero adjicimus Concilium œcumenicum VII, quod act. VI ostendit, ideo rejectam fuisse Synodum a Leone et Constantino, iconomachis Imperatoribus, congregatam, οὐκ ἔσχε συνεργὸν τὸν τηρικαῦτα τῆς Ῥωμαίων πάπαν ἢ τοὺς περὶ αὐτὸν ἱερεῖς, οὔτε διὰ τοποτηρητῶν αὐτοῦ, οὔτε δι' ἐγκυκλίου ἐπιστολῆς, καθὼς νόμος ἐστὶ ταῖς συνόδοις, id est, quod *adjutorem non habuerit illius temporis rom. Papam, vel eos qui circa ipsum sunt Sacerdotes, nec etiam per vicarios ejus, neque per en cyclicam epistolam, quemadmodum lex dictat Conciliorum.* Apud Harduin. tom. IV, col. 328. Adeo nempe tunc temporis apud omnes certum erat, absque rom. Pontifice nullam esse ratam generalem Synodum!

coetum coeant. Dum oriuntur errores, summus imperans comonefaciat Pontificem, qui, si opportunam judicaverit Concilii celebrationem, nil intentatum relinquet ut ipsum cogat; atque hoc modo consulet spirituali ditionis sibi subditæ bono. Imo, si opus sit, rom. Pontifici ad celebrandum concilium suppeditabit illud territorium, quo destitui rom. Pontifices Febronius affirmat.

663. Ad 3^m, Resp. utramque legem divinam et ecclesiasticam extare, quæ convocationem generalium Conciliorum rom. pontifici reservet. Extat divina, quæ onus imposuit Petro et officium pascendi agnos et oves, atque confirmandi fratres suos, ac proinde jus, quod ex officio exurgit. Extat præterea ecclesiastica, consuetudine firmata, ita ut nunquam rata haberentur concilia ab alio quam a rom. Pontifice convocata, si casum excipias de pontifice dubio, aut hæretico (qui non alius quam ut homo privatus haberi potest (1)), quia tunc sedes vacans censetur; atque ut vim habeat, debet a Pontifice legitime electo confirmari. Ruit proinde, quod de principum et Ecclesiarum consensu obtrudit Febronius. Hoc enim paradoxum supponit, quod falsum esse ostendimus, de jure principibus inhærente, cum tamen ipsi cum Valentiniano fateri teneantur, *laicos omnes se ingerere non debere in negotiis Ecclesiæ* (2); alioquin Apostoli se Hierosolymam convocassent ex consensu Caji Caligulæ.

664. Ad 4^m, *Neg.* Responsio patet ex dictis. Hoc effugium pseudo-catholicorum et protestantium jamdiu obsolevit; cum jus et facta ipsi contradicant (3).

(1) Hic quidem est casus, qui in abstracto potius quam in concreto solet afferri. Nec enim Dei providentiam, quæ adeo vigilat super hanc rom. Sedem, ejusmodi scandalum permissuram putandum est. Sane nunquam hactenus casus iste locum habuit, spatio scilicet xviii seculorum.

(2) En ipsa Imperatoris verba, ex Sozomeno, lib. vi, cap. 7: Ἐμοὶ μὲν μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ, οὐ θείαις τῶν αὐτῶν

πολυπραγματείῳ. *Mihi quidem in laicorum ordine constituto fas non est, hujusmodi negotia curiosius scrutari.* Ex edit. Valesii.

(3) Solent isti confugere ad locum communem pseudo-isidorianarum decretalium; verum nunc temporis hac arte nemini amplius imponunt, post tot catholicorum virorum exantlatos labores in illas Isidorianas.

665. Ad 5^m, *Dist.* Prout sibi persuadet aut divinare satagit adversarius, *conc.*; prout vere se res habet, *neg.* Optime siquidem noverat Ecclesia, quomodo illa institui convocatio deberet, quæ exemplar habebat in primo concilio Hierosolymis celebrato (1). Pontifices vero de inhærente sibi divino jure in cogendis Conciliis œcumenicis certi erant, eo ipso quod scirent, se a Christo præpositos esse universæ Ecclesiæ (2). Demum documenta attulimus, quæ in resp. ad 1^m luculentissime id evincunt.

666. Obj. secunda. Saltem perperam adstruitur rom. Pontifici jus præsidendi Conciliis œcumenicis. 1^o Compertum est ex historia, Concilio Nicæno præsedisse Hosium, Cordubensem Episcopum, cum Vitone et Vincentio presbyteris rom. Sedis legatis; porro licet Vito et Vincentius subscripserint uti legati rom. Pontificis, Hosius tamen subscripsit ut Cordubensis Episcopus (3). 2^o Dicendum igitur est, hunc aut nomine Imperatoris Constantini Concilio præfuisse, aut a Concilio ob nominis celebritatem meritaque erga Ecclesiam primas partes Hosio fuisse delatas. 3^o Neque est quod quæras rom. Pontificis legatos in Concilio Constantino-politano I, aut in Concilio Ephesino; quamvis vero Concilium V, seu Constantinopolitanum II, celebratum fuerit præsentem Vigilio Pontifice, ipse tamen ei minime interfuit. 4^o Ac ratio quidem est, quia, ut animadvertit de Marca: *Si summam in censendo ac definiendo potestatem Sedi apostolicæ tribuamus, perit li-*

(1) Cfr. Muzzarelli, op. cit. tom. 1, cap. 2 et 3.

(2) Hic addendum, plura tam in Oriente quam in Occidente celebrata fuisse Concilia, sive provincialia, sive nationalia, antequam data esset Ecclesiæ pax, uti ex historia compertum est. Jam vero ipsa analogia docet, quemadmodum Concilia provincialia ac nationalia aut a Primatibus aut a Patriarchis indicta fuerunt, non autem a præfectis civilibus aut a proconsulibus paganis, sic plane debuisse Concilia

generalia indici ab universæ Ecclesiæ capite, non autem ab imperantibus politicis.

(3) Cfr. *Acta Conc.* Hard. tom. 1, col. 311, ubi legitur: *Osius Cordubensis Episcopus dixit: sic credo, quemadmodum dictum est; juxta edit. Labbeanam vero: Osius Episcopus civitatis Cordubensis prov. Hispaniæ.* Deinde sequuntur subscriptiones Victoris (seu ut alibi legitur *Vitonis*) et Vincentii.

bertas suffragandi, quam tantopere commendant Cælestinus et Leo Pontifices. At vero concessa suffragiorum libertate, æqualitas quædam hac in parte induci videtur inter pontificem et ceteros Episcopos. Itaque aut unius libertas aut dignitas alterius periclitatur, sicut in disputationibus de auxiliis gratiæ, vel hinc arbitrii humani libertas lædi, vel illinc gratiæ vis et efficacia minui videtur (1). Ergo.

667. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m, *Dist.* Præfuit Hosius Cordubensis Conc. Nicæno ut Silvestri rom. Pontificis legatus, *conc.*; præfuit quovis alio titulo, *neg.* Nam præter apertum testimonium tum Gelasii Cyziceni, qui innitur præterea auctoritate tum Eusebii Cæsariensis (2) tum antiquæ canonum collectionis (3), qui nempe exhibent Hosium S. Silvestri legatum, ipsa rei natura exposcit, ut Hosius nomine Silvestri ac forte etiam Concilii Occidentalis (4) dicatur præsedisse Concilio Nicæno. Etenim nulla ratio assignari potest, *cur Hosius Cordubensis*, ut inquit vel ipse Fleury, *ex vulgari Episcoporum ordine, Alexandrino et Antiocheno præsentibus, suo nomine omnibus Episcopis præsedisset* (5); idque confirmatur ex usu constanti insequentium Conciliorum, in quibus, uti ostendemus, semper legati pontificii præfuerunt. Nec refert, quod non subscripserit ut rom. Pontificis legatus, sed tantum ut Episcopus Cordubensis, secus ac fecerint Vito et Vincentius, qui sese romanæ Ecclesiæ legatos

(1) In *Dissert. de modo conciliandi potest. rom. Pontificis cum libert. suffr.*

(2) *Voluminis actor. Conc. Nicæn.* lib. II, cap. 5, apud Harduin. *Acta Conc.* tom. I, col. 375, ubi scribit ex auctoritate Eusebii, lib. III, *Vita Constant.* Ἀυτὸς τε Σπάρταν ὁ πᾶνυ βιάμενος ὁ Ὄσιος, ἐπέχων καὶ τὸν τόπον τοῦ τῆς μεγίστης Γάμης ἐπισκόπου Σιλβέστρου, σὺν πρεσβυτέροις Γάμης Βίτανι καὶ Βικεντία. Id est: *Ipse etiam Hosius ex Hispanis, nominis et famæ celebritate insignis, qui Silvestri Episcopi maxi-*

mæ Romæ locum obtinebat, una cum Romanis presbyteris Vitone et Vincentio. De quo Eusebii loco, qui in nostris editionibus non reperitur, cfr. Muzarelli, op. cit. *De auctor. rom. Pontif.* tom. I, cap. 5, § 3.

(3) Apud Ballerin. opp. S. Leonis, tom. III, pag. 187.

(4) Cf. Zaccaria, *Antifebronio*, t. IV, part. II, lib. IV, cap. 2. § 4, 5.

(5) *Hist. eccles.* liv. XI, § 5, edit. Paris. 1713, pag. 121.

declararunt; nam, uti observat Zaccaria, necesse non erat, ut hanc legationem apertius declararet Hosius, utpote omnibus orientalibus Ecclesiis apprime compertam; diversa autem ratione se gerere debebant Vitus et Vincentius meri presbyteri illuc recens ex Occidente appulsi, qui suum explicare munus debebant, ne quis eos ante Episcopos et Patriarchas subscripsisse mirarentur (1).

668. Ad 2^m, *Neg.* Tum quia hæc omnia non nisi conjecturæ sunt nullo subnixæ documento; tum quia repugnat, uti observat Natalis Alex., ostenditque invictis argumentis, Hosium ut Constantini Imperatoris legatum præfuisse, cum præsens esset Constantinus ipse (2); et tantum abest, ut hic jus sibi arrogaverit præsidentiae, ut aperte illud sibi convenire negaverit. Imo nec sedere voluit nisi humili loco ac Episcopis annuentibus (3). Sic nullo argumento fulcitur, quod de Hosio delata a Concilio præsidentia Febronius affirmat; nunquam enim, ceteris omissis, passi fuissent Patriarchæ totque nobilissimarum Ecclesiarum præsules, ut sibi parvæ civitatis in Hispania Episcopus præficeretur, quæcumque demum merita ejus essent, saltem absque aperta declaratione, ne successorum suorum jura aliquomodo læsisse viderentur (4).

669. Ad 3^m, Quoad Concilium Constantinopolitanum I, *Dist.* Quia, ut antea diximus, Concilium illud veluti œcumenicum habitum non est, nisi postquam rom. Pontifex ipsum adoptavit, *trans.* vel *conc.*; alia de causa, *neg.* Si vero sermo sit de Conciliis reliquis, negamus prorsus, ipsis non præfuisse Pontificem vel per se vel per legatos suos. Cum vero de ceteris nullam quæstionem moveant adversarii, satis erit, ut assertionem nostram evincamus de Conciliis Ephesino et Constantinopolitano V. Porro in Conc. Ephesino Cyrillum Alexandrinum cum tribus aliis legatis vicem gessisse S. Cælestini refert Evagrius, scribens: *Divino Cyrillo Cælestini quoque romanæ Urbis Episcopi vices ge-*

(1) Loc. cit.

(2) Diss. XII, in secul. IV.

(3) Cfr. Euseb. in *Vita Constantini*, lib. III, cap. 10.

(4) Cfr. Zaccaria, op. et loc. cit.

rente (1); et patet ex ipsa Synodo (2). Quod vero attinet ad Concilium V, cujusdam œconomix causa maluit Vigilus potius *Constituto* suo quam præsentia Concilio robur adjungere; cum tamen ex ejus absentia sibi timerent Patres, trina legatione illum invitarunt, ut ad synodum accederet, eique præsideret (3).

670. Ad 4^m, Resp. conciliari duo illa inter se facile posse, si dicantur Episcopi esse *conjudices* cum rom. Pontifice, quippe qui sint eadem divinitus potestate judicandi præditi in rebus fidei. Neque obstat, non posse Episcopos dissentire ab eo judicio, quod jam emisit rom. Pontifex, nam judicii essentia posita minime est in facultate dissentiendi, sed in sententia ferenda cum cognitione causæ. Illa autem causæ cognitio sufficiens censenda est, quæ elicitur post suffragium rom. pontificis, qui nimirum testis est traditionis Ecclesiæ romanæ, *cum qua*, ut loquitur S. Irenæus, *necesse est omnem convenire Ecclesiam* (4).

(1) *Hist. eccl.* lib. 1, cap. 4, edit. Valesii.

(2) In act. 1, ubi hæc habentur : Κυρίλλου Ἀλεξανδρείας, δέοντος καὶ τὸν τόπον τοῦ ἁγιατάτου καὶ ἰσχωτάτου ἀρχιεπισκόπου τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας Κελεστίνου. *Cyrillus Alexandriæ, qui et Cælestini quoque sanctissimi sacratissimique romanæ Ecclesiæ archiepiscopi locum obtinebat.* Apud Hard. *Acta Conc.* tom. 1, col. 1354.

(3) Cujus rei testis locupletissimus ipse Vigilus est, qui respondens Eutychio et Episcopis sub eo constitutis, ait : *Poposcit vestra fraternitas, ut nobis præsentibus de tribus capitulis... conferatur.* Cfr. apud Harduin. tom. 11, col. 62. Cfr. etiam ibid. col. 64 et seqq. quæ gesta referuntur in collat. 2. Vid. etiam Muzzarelli, op. cit. tom. 11, cap. 9, § 4. Quapropter nulla est ratio, quare Pinel. in op. *Ueber den Primat des Papstes*, seu *De primatu Pontificis*,

pag. 192, exultet, uti recte observat Roskovany, op. cit. 71, pag. 133.

(4) Cfr. Ballerin. *De potestat. ecclesiast.* cap. 2, § 1, num. 3, qui pluribus evincit, judicis rationem in libertate dissentiendi minime collocandam esse, ita ut consistere non possit cum obligatione assentiendi. Idque ostendit tum ex Concilio Chalcedonensi, in quo Episcopi, ipsis fatentibus adversariis, veri judices fuerunt, etsi non potuerint Leonis definitioni contradicere in Eutychis errorem antea editæ, et ab Episcopis tum Orientis tum Occidentis subscriptæ, et ita catholicæ Ecclesiæ non solum tacito, sed etiam expresso consensu approbatæ. Id ipsum evincit ex illis totius Orbis Episcopis, qui, Leone Imperat. postulante, novum judicium protulere litteris, quæ in *Codice encyclo.* continentur, de eo quod in Conc. Chalcedonensi fuerat preëmptoria definitione decisum. Ostendit idem præ-

Quod si Pontifex nondum sententiam tulerit, liberum unicuique est inquirere in quæstionem, de qua agitur, monumenta excutere, ac demum una cum Pontifice sententiam dicere. In utroque casu definitio Concilii œcumenici fertur per modum unius tum capitis tum membrorum, quia caput simul et membra Ecclesiæ unitatem constituunt. Hac ratione et sua Pontifici suprema in Concilio servatur auctoritas, et Episcopis sua judicandi potestas sub et una cum rom. Pontifice (1), cui cooperantur.

671. Obj. tertia. 1º Si monumenta antiquitatis evolvās, vix dubites confirmationem Conciliorum ad politicam potestatem spectare; 2º priora enim Concilia fuisse ab Imperatoribus confirmata; publica ipsorum edicta ac leges evincunt (2). 3º Concilia ipsa necessariam ejusmodi confirmationem existimasse, ceteris omissis, ostendunt verba Concilii generalis II, quibus patres sic Imperatorem alloquuntur: *Rogamus tuam clementiam, ut per litteras quoque tuæ pietatis ratum habeatur Concilium decre-*

teera ex ipso Concilio Tridentino, in quo Patres fuere veri iudices in definiendis veritatibus, quæ jamdiu in antecedentibus Conciliis œcumenicis fuerant constitutæ, et a quibus dissentire nullo modo poterant.

(1) Qua ratione assensus Episcoporum Pontificiis definitionibus adhibitus et adhibendus iudicii naturam induat, ita perbelle exponit Fenelonius, in epist. seu instructione pastorali data die 20 Apr. 1715, apud eundem Ballerinium, loc. cit. *Judicare*, inquit, *post iudicium Pontificis est suum iudicium cum pontificio conjungere. Hac ratione Episcopi olim subscripserunt ipsorum Conciliorum generalium decretis. Eorum submittio erat iudicium, et eorum iudicium erat submittio. Subscribentes sese submittebant simul et confirmabant decisionem Sy-*

nodi. Quod constat ex actis et ex his aliisque similibus subscriptionum formulis: *Judicans subscripsi; recognoscens consensu; obtemperans sententiæ sanctissimorum et beatissimorum Episcoporum consentiens et ego subscripsi; consentiens et ego subscripsi; cognoscens discussionem sanctorum Patrum, et cum sequi debeam, subscripsi*, etc. Aliis placet iudicium rom. Pontificis vocare *principale*. Cfr. etiam Zaccaria, in *Antifebronio vindicato*, tom. II, diss. IV, cap. 6, ubi fuse de hoc argumento scribit adversus Febronium.

(2) Ita Planck, in op. *Geschichte der Christlich-Kircklichen*, etc. seu *Historia constitutionis socialis Ecclesiæ christianæ*, part. I, p. 687, ubi ejusmodi imperatoriam confirmationem ad ipsa fidei dogmata extendit, apud Roskovany, op. cit. § 73, pag. 136.

tum (1). 4^o Quibus concinunt, quæ ad Constantinum Pogonatum, qui confirmaverat Concilium VI, scripsit Leo II: *Synodali igitur sententia et imperialis edicti Censura, tanquam ancipiti spiritus gladio, cum priscis hæresibus etiam novæ pravitatis error expunctus est* (2). Contra vero rom. Pontificis confirmatio desideratur quoad Concilium Nicænum et Constantinopolitanum I, et non nisi sero introducta est. 6^o Eo magis quod illa vel sit prorsus noxia, aut saltem supervacanea: *noxia* quidem, quia derogat auctoritati Conciliorum; quorsum enim, uti animadvertit Febronius, dicerent Patres anathematali vel tali, qui ita sentit aut credit? Luderent profecto Synodi, dum definiunt, si firmæ definitiones earum non essent nisi accedente Pontificis confirmatione; *supervacanea* vero, si Pontificis legati Synodo præsent. Ergo.

672. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Fieri enim nequit, ut documenta antiquitatis paradoxon inferant, quod evangelicæ institutioni ac naturæ primatus rom. Pontificis adversatur. Quandonam enim Christus demandavit humanæ politicæ, ut iudex in causis fidei, morum aut disciplinæ existeret? Principes siquidem ut filii reliqui parere synodalibus decretis debent, non autem ea confirmare. Si res ita se haberet, cur Concilium Hierosolymitanum non expetivit decretorum suorum confirmationem a Cajo Caligula? Verum singula, quæ obtrudunt adversarii, expendamus.

673. Ad 2^m, *Dist.* Concilia confirmata sunt ab Imperatoribus, ut robur eis intrinsecum adderent, seu ut obligarent, *neg.*; ut executioni ab omnibus mandarentur, seu ut illis adderent vim extrinsecam, *conc.* Tota extrinseca erat illa Imperatorum confirmatio, quæ auctoritati Ecclesiæ, omnes et singulos ad parendum editis decretis in conscientia adstringenti, potestatem politicam adjiciebat, ut perversi et contumaces ad ea pariter admittenda cogentur, compescerentur hæretici, atque ad bonam frugem, sin minus auctoritate infallibili Ecclesiæ, timore saltem poenarum adigerentur (3).

(1) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. I, col. 807.

(2) Ibid. tom. III, col. 1474.

(3) Optime proinde Zalwein, *Princ.*

674. Ad 3^m, *Dist.* Ad obtinendam confirmationem extrinsecam *conc.*; ad intrinsecam firmitatem decretis conciliandam, *neg.* Neque aliud Patres Synodi Constantinopolitanæ I in allatis verbis significant, quam omnia ex ordine gesta fuisse, ut sic ab Imperatore Theodosio leges obtinerent, quibus ad officium revocarentur damnati hæretici, aut saltem eorum furor compesceretur (1).

675. Ad 4^m, Responsio liquet ex dictis.

676. Ad 5^m, *Neg.* Quamvis enim daretur, subdititias esse epistolas, quæ in actis Concilii Nicæni referuntur, quæque hanc confirmationem exhibent, inferri tamen nequit ex monumentorum defectu, quæ temporum injuria perierunt, aut confirmationem pontificiam a Patribus minime expetitam fuisse, aut a Silvestro datam haud esse. Etenim præter documenta, quæ partem patefaciunt, quam habuit Silvester in synodo Nicæna, Felix III ita de ea scribit: *Quam vocem (Tu es Petrus) sequentes tercenti decem et octo SS. patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem sanctæ romanæ Ecclesiæ detulerunt* (2). Mirum porro est, Schröck (3) negare, censorem vero Tubingensem (4) in dubium revocare potuisse confirma-

juris canon. tom. 1, p. 427, hæc in rem nostram scribit: *Imperatores decreta Conciliorum sua auctoritate munivere, quatenus juncta vi pontificiæ et imperatoriæ dignitatis tantum roboris acciperent, quantum ad suppressendam hæreticorum pertinaciam, humiliandam rebellium superbiam, ac stabiliendam pacem inter sacerdotium ac imperium fuerit necessarium.* Cfr. etiam Zaccaria, *Antifebronio*, tom. IV, part. II, lib. IV, cap. 4.

(1) Animadvertit vero Zaccaria, loc. cit. hæc verba ita adduci a Febronio juxta versionem Gentiani Herveti, ceterum vim vocis *πικυρωθῆναι* proprie significare *adjicere auctoritatem*, scilicet extrinsecam et politicam, uti ex-

posuimus. Neque illud prætermitti hic debet, quod observat vel ipse Petrus de Marca, in op. cit. *De concordia*, lib. II, cap. 4. *Oportet regiæ auctoritati limitem certum figere, ne inconsulto trahamus ad eam adulationem, qua Principibus suis totius disciplinæ Ecclesiæ summam Græci deferebant.*

(2) Tom. VII, *Conc.* edit. Mansi, col. 1140.

(3) *Christliche Kirchengeschichte*, seu *Historia Eccl. christianæ*, tom. VIII, pag. 121.

(4) *Theologische Quartalschrift*, seu *Scripta theologica trimestr. Tubingen.* 1824, pag. 265, apud Roskovany, op. cit. § 75, pag. 142.

tionem Concilii Constantinopolitani I a Damaso factam; cum præter epistolam Synodi, quam refert Theodoretus et quæ in actis Conciliorum legitur (1), hujus confirmationis testis sit ipse Photius, qui aperte scribit: *Damasum pontificem reipsa professionem fidei illorum (patrum) confirmasse* (2).

677. Ad 6^m, *Neg.* Pontificia enim Conciliorum Confirmatio neque noxia neque supervacanea est. Non quidem *noxia* est, cum nulla ratione derogat valori definitionis Episcoporum, sed ei potius adjiciat firmitatem et robur, quod antea non habebat, quale nempe exurgit ex unitate suffragii capitis et membrorum, ut definitio dici possit Ecclesiæ. Quapropter non ludunt quidem Episcopi, si cum rom. Pontifice pronuncient. At luderent profecto, si dissentientem haberent Pontificem, prout lusere in synodis Ariminensi et Ephesina prædatoria. Sed neque *supervacanea* confirmatio Pontificis est, quamvis ejus legati interfuerint Concilio, utpote necessaria, tum ut omnibus omnino constet omnia rite gesta esse, nec legatos, quæ in mandatis acceperunt, fuisse transgressos; tum etiam, quia summi Pontificis est, scribit Natalis Alex., declarare, quæ concilia vere œcumenica sint; ad ipsum spectat judicare, an iis sint instructa conditionibus, quæ Concilii œcumenici rationem constituunt. Sane superfluum ejusmodi confirmationem Synodi ipsæ generales non judicarunt, cum omnes constanter illam expetierint, quamvis præsentibus legatis fuerint celebratæ.

(1) Theodoret. *Hist. eccl.* lib. v, cap. 9; cfr. *Acta Conc.* Hard. tom. 1, col. 822.

(2) In op. *De septem synodis ad Michaël. Imperat.*, apud Gulielmum Voëllium, *Bibliothecæ juris canonici veteris*, Lutet. Paris. 1661, tom. 11, pag. 1143. Photii verba hæc sunt: Οἷς οὐ πολὺς χρόνος καὶ Δάμσκος ὁ τῆς Ρώμης τὰ αὐτὰ κρατύνων ἰγνωρίζετο, σύμφωνος τοῖς προλαβοῦσι καθιστάμενος; seu: *Quibus haud multo post et Damasus Romæ (Episcopus) eadem con-*

firmani atque idem sentiens accessit. Cfr. etiam de hoc argumento Muzza-relli, op. cit. *De auctorit. rom. Pontificis*, tom. 11, cap. 6, § 3. Hinc merito Gelasius concludebat: *Totumque (ut dictum est) in Sedis apostolicæ positum est potestate. Ita quod firmavit in Synodo Sedes apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potest firmitatem*, in tomo *De anathematis vinculo*, in *Collect. Conc.* edit. Veneta Coleti, tom. v, col. 356.

PROPOSITIO IV.

Decreta dogmatica Concilii œcumenici, confirmati a rom. Pontifice, irreformabilia sunt ex se, seu ante consensum et acceptationem Ecclesiæ.

678. Enunciata propositio duo complectitur, tum scilicet infallibilitatem legitimi Concilii œcumenici in decernendis fidei dogmatibus, tum ejusmodi infallibilitatem ex se habere Concilium, quod confirmatum a rom. Pontifice fuerit. Primum adversus protestantes, alterum adversus Jansenianos et Febronianos, diverso licet sensu, vindicamus.

679. Protestantes negant infallibilitatem Conciliorum generalium, eo ipso quod eandem prærogativam denegent universæ Ecclesiæ, cujus auctoritati spiritum privatum substituunt.

680. Janseniani contendunt, unicam rationem tollendi ambages circa legitimitatem Conciliorum œcumenicorum esse *unanimem Ecclesiæ universæ acceptationem et consensum*, ita ut ea Concilia tanquam generalia habenda sint, quæ sic per unanimem consensum acceptaverit Ecclesia; ea vero habenda talia non sint, quæ Ecclesia per unanimem istum consensum non acceptaverit (1). Ecclesiæ autem nomine non solos Episcopos, verum etiam et clericos inferiores, imo et laicos significant (2).

(1) Ita Opstraetus, in tract. *De Locis Theolog.* Vindobon. 1779, diss. iv, q. 4, § 1, n. 3 et seqq.

(2) Auctoritatem hujus assertionis afferamus irrefragabilem, nempe celebris apud suos doctoris, Petri Tamburini, quondam professoris Ticinensis. Sic igitur ipse Jansenianorum doctrinam exponit, in sua *Analisi del libro delle prescrizioni di Tertulliano*, Pavia (sine anno), § 1x: *La funzione di giudicare irrefragabilmente delle cose di fede, essendo legata al consenso universale di tutte le chiese,*

alla cospirazione di tutti i pastori, necessariamente ne siegue, che tutti prestino i proprj lumi, che uno ajuti la debolezza dell'altro... Le chiese e i pastori concorrendo in solidum alla decisione dommatica, e tutti in essa riconoscendo la propria fede, vi si attaccano con intima persuasione, e con più forte impegno di sostenere una parte del patrimonio comune confidato alle chiese di G. C. Il loro assenso alla decisione supponendo esame, cognizione di causa, giudizio della dottrina, produce in essi non una cieca

681. Hæc omnia permiscens Palmer professor Oxoniensis, contendit, infallibilitatem Concilii œcumenici legitime celebrati, et confirmati a solo rom. Pontifice, rem esse *meræ opinionis* in Ecclesiis romanis (1); neque habere ejusmodi Concilium auctoritatem *irrefragibilem* absque Ecclesiæ universalis consensu; hæc vero universalis Ecclesia, juxta ipsius systema, coalescit ex omnibus communionibus, quæ saltem retinent ecclesiasticam hierarchiam, quales præcise sunt Ecclesia græca, russica atque anglicana (2).

ubbidienza, ma una persuasione illuminata, ed un ragionevole assenso alla parola di Dio; et § 1: Non avendo G. C. legato il privilegio della inerranza a un certo numero determinato di quegli, che sono nel seno della chiesa, ma a tutto il corpo della chiesa, egli per conseguenza non ha promesso che nella divisione de' sentimenti sia sempre il più picciolo, o il più gran numero che abbia ragione. Videsis ad calcem voluminis horum locorum versionem latinam. Eadem inculcat § LXIII, et alibi passim. Hæc autem doctrina pendet ex principio, quod cum Richerianis profitentur Jansenistæ, de constitutione Ecclesiæ democratica. Quoad doctrinam Febronii cfr. Zaccaria, in *Antifebronio*, tom. II, diss. II, cap. 12, § 2, pag. cit. edit. 318.

(1) Op. cit. part. IV, cap. 7, sect. I. Valde hic improbandum illud in *Ecclesiis romanis*; nam si ita disseruisset de cœtibus protestantibus aut anglicanis, hac locutione bene usus esset, quia reipsa plures sunt, sunt enim acephali; at male nimis, dum de romana agitur Ecclesia, quæ una prorsus est.

(2) Hac de causa, ibidem, cap. 7, non agnoscit nisi sex priora Concilia

uti œcumenica; reliqua autem ab œcumenicorum censu, præsertim vero Florentinum et Tridentinum, ex defectu consensionis ceterarum communionum, rejicit. De Concilio Tridentino speciatim affirmat Palmer, loc. cit. cap. 12, illud varias doctrinas uti articulos fidei definivisse, quæ Anglicani probare non possunt; plura illius decreta esse *laudabilia*, alia vero admittere posse *interpretationem catholicam*. Ceterum illud absolute rejicit, 1° quia ejus decreta non fuere judicia Ecclesiæ catholicæ; 2° quia non fuerunt judicia *romanæ* obedientiæ. Primum potissime evincere nititur, quia a schismaticis anglicanis, a schismaticis græcis et hæreticis lutheranis et calvinistis rejecta fuerunt. Verum quidem est, adversarium inficiari cœtus anglicanos, græcos, russicos aut protestantes esse communionem schismaticam aut hæreticam. Ast quam parum sibi in hoc ipso cohæreat, et quam falsum absurdumque sit ejusmodi systema, in priori hujus tractatus sectione ostendimus. Alterum vero nititur ostendere ex eo quod, cum celebratum est Concilium Tridentinum, invaluerint in *Ecclesiis romanis* opiniones theologice, quæ omnes ad-

682. Nos e contra juxta catholicam doctrinam adversus protestantes adstruimus, Concilium œcumenicum convocatione, celebratione et confirmatione legitimum, in suis sanctionibus dogmaticis, quæ scilicet habeant pro objecto fidem et mores, esse prorsus infallibile. Adversus vero Jansenianos, Febronianos ac Palmerium statuimus, tum veram rationem dignoscendi, utrum Concilium œcumenicum legitimum fuerit necne, esse confirmationem rom. Pontificis, tum Concilium œcumenicum legitimum totam vim suam ac invictum robur habere absque prævia acceptatione et consensu subsequenti Ecclesiæ universalis. Hæc autem sic per partes evincimus.

683. Ac primo quidem cum protestantes ideo Concilio œcumenico infallibilem auctoritatem abjudicent, quod eam denegent Ecclesiæ ipsi universali, hinc illa omnia, quæ suo loco attulimus ad ejusmodi Ecclesiæ dotem vindicandam, huc referuntur, cum æque se res habeat; status enim Ecclesiæ sive dispersæ sive congregatæ nihil circa prærogativam a Christo ei concessam immutat.

684. Verum hæc indirecte; directe vero sic thesim probamus: Concilia œcumenica non sunt nisi Ecclesia ipsa congregata, seu si placet, sunt Ecclesia repræsentativa; quod enim publica sunt et generalia comitia in statu politico, sunt plane Concilia œcumenica in Ecclesia; atqui Ecclesia, ut suo loco ostendimus, infallibili pollet auctoritate; eadem igitur, juxta Christi promissa, frui Concilia œcumenica dicenda sunt. Sane hæc Concilia, ad exemplum primi Concilii, quod Hierosolymis celebratum est, quodque reliquis normam et exemplar præbuit, dum aliquid ad fidem moresque pertinens definiunt, dicere possunt: *Visum est Spiritui Sancto et nobis* (1). Cum porro Spiritus Sanctus errori obnoxius non sit, neque obnoxia erunt errori œcumenica Concilia, quæ sub Spiritus Sancti adsistentia ac præsidio de illis quidpiam decernunt.

stringebant ad acceptanda absque examine et discussione decreta Tridentina. Hoc deinde fuse exponit, eandem semper repetens crambem de fallibilitate

uniuscujusque partis, etc. Atque huic tenui filo Palmer negotium æternæ salutis suæ committit, ac sibi illudit!

(1) *Act. xv*, 28.

685. Atque hinc factum est, ut quovis tempore dogmaticæ Conciliorum œcumenicorum sanctiones absque ulla controversia ceu totidem fidei articuli habitæ fuerint, atque uti hæretici spectati illi omnes, qui illorum definitionibus acquiescere detrectarunt. Sic post Nicœnum Concilium Ariani, post Constantinopolitanum Macedoniani, post Ephesinum Nestoriani, Eutychniani post Chalcedonense, et ita porro. Jam vero nisi certum ratumque in tota antiquitate fuisset, œcumenica Concilia infallibili prædita esse auctoritate, injusta plane atque irrationabilis fuisset hæc Ecclesiæ agendi ratio (1). Perperam omnes Catholici ita firmiter adhæsissent dogmaticis hisce definitionibus, ut pro illis martyrium subire haud dubitarent, prouti innumeros prope, quavis Ecclesiæ ætate, exilia, carceres, bonorum direptionem mortemque ipsam pertulisse universa historia ecclesiastica testatur (2); quos quidem veluti martyres Ecclesia semper venerata est. Post hæc supervacaneum fere videtur congerere Patrum testimonia ad illorum Ecclesiæque sensum cognoscendum, cum exploratum sit,

(1) Hic vero obiter adnoto singularem agendi rationem, quam tenent protestantes, saltem quos *orthodoxos* vocant, qui in censum hæreticorum referunt Arianos, Macedonianos, Nestorianos, etc. quia damnati sunt a primis illis œcumenicis Conciliis; nec suspicantur se hæreticos esse, quamvis ab œcumenico pariter Concilio ejusdem Ecclesiæ damnati sint eorum errores. Exceptiones porro, quibus assolent auctoritatem adimere Concilio Tridentino, sunt eadem prorsus, quas antiquiores hæretici opponere potuissent adversus unumquodque Concilium, a quo et ipsi damnati fuere. Imo historiæ ecclesiasticæ periti reperient forsitan, eos opponere potuisse adversus antiquiora Concilia exceptiones speciosiores illis, quas hæretici subsequentes adversus Triden-

tinum opponunt. Quomodo igitur sibi cohærent?

(2) Plurimorum istorum martyrum nomina recenset Martyrologium Romanum. Satis deinde est oculos conjicere in historiam ecclesiasticam Socratis, Sozomeni, Theodreti, Evagrii, etc. ut pateat, quam sævitum sit ab Arianis Macedonianisque adversus Catholicos; satisest percurrere fastos ecclesiasticos, ut quisque intelligat, quæ quantaque ab omnibus factionibus, a Donatistis, Monothelitis, Iconomachis, in persecutione Vandalica, etc. atque ut verbo dicam, ab omnibus hæreticis et schismaticis Catholici passi sint; atque utinam ætate hac nostra, quæ humanitate adeo gloriatur, tam multa ab ipsis adhuc non sustinerent!

eos Concilii œcumenici sententiam aut vocare *ultimum Ecclesiæ judicium*, quod ullo modo retractari non possit, uti Athanasius (1), Epiphanius (2), Leo M. (3), Gelasius (4), Concilia Ephesinum (5) et Chalcedonense (6); aut *hæreticos* appellare, qui Concilii dogmaticæ definitioni non acquiescunt, ut iterum Athanasius (7), Gregorius Nazianz. (8), Leo M. (9), Basilius (10) Conc. Chalcedonense (11); aut affirmare *divina et a Spiritu S. edita generalium Conciliorum decreta*, uti Athanasius (12), Constantinus Imperator (13), Gregorius Nazianzenus (14), Leo M. (15), Gregorius M. qui protestatus est, se quatuor priora Concilia sicut quatuor Evangelia venerari (16); aut denique docere, moriendum potius quam recedere a Conciliorum œcumenicorum decretis, prout verbis et factis inter ceteros præstiterunt Athanasius, Hilarius, Eusebius, qui propter Nicœnam fidem exilium passi sunt (17). Nihil proinde in tota antiquitate hac doctrina certius, nihilque exploratius. Et hæc quidem quoad protestantes.

686. Sed ut ad Jansenianos, Febronianos, Palmeriumque accedamus, quam absurda sit ipsorum doctrina, constat 1^o ex sensu

(1) *Epist. ad Epictetum*. Opp. edit. Maur. tom. 1, part. II, pag. 901 et seqq.

(2) *Hæres. LXXVII*, ubi præterea tulit integram cit. epistolam S. Athanasii.

(3) *Epist.* edit. Ballerin. xc, ad *Imp. Marcianum* cap. 2, et alibi.

(4) *Epist. ad Episc. Dardaniæ*, in *Collect. Conc.* edit. Venet. Coleti, tom. v, col. 325.

(5) In epistola *Tractoria*, apud Hard. *Acta Conc.* tom. 1, col. 1623 et seqq.

(6) *Actione v*; ibid. tom. II, col. 447 et seqq.

(7) *Epist. ad Afros*, edit. et loc. cit. col. 891 et seqq.

(8) *Epist. 1, ad Cledonium*, seu orat. II. Opp. edit. Paris. 1630, tom. 1, pag. 738.

(9) *Epist.* edit. cit. CLXII, ad *Leonem August.* col. 1339 et seqq.

(10) *Epist. cxxv*, edit. Maur. Opp. tom. III, pag. 214 et seqq.

(11) Loc. cit.

(12) *Epist.* cit. ad *Afros Episc.*

(13) In *Epist. ad omnes Eccles. de Nicœna synodo*, apud Euseb. *De vita Constant.* lib. III, cap. 17.

(14) Orat. XXI, *In S. Athanas.* edit. cit. tom. I, pag. 381.

(15) *Epist. CVI*, edit. cit. cap. 2, col. 1161 et seqq. et in *Epist.* cit. ad *Marcianum et Leonem August.*

(16) *Epist. xxv*, lib. 1, edit. Maur. opp. tom. II, col. 515.

(17) Cfr. Bellarm. *De Conc.* lib. II, cap. 3.

totius antiquitatis, quæ illico uti hæreticos habuit eos omnes, qui post decretorum dogmaticorum promulgationem obtemperare illis detrectaverint, nullo expectato Ecclesiæ aut consensu aut acceptatione. 2º Ex agenti ratione ipsorum Conciliorum œcumenicorum, quæ anathema dixerunt contrarium asserentibus illi, quod definitum ab ipsis fuisset, atque uti hæreticos ab Ecclesiæ communione separarunt. 3º Ex tessera, quam veteres dederunt de legitimitate alicujus Concilii œcumenici; quod nempe fuerit a rom. Pontifice confirmatum, quin alia re opus fuerit. Sane Ferrandus diaconus ad certitudinem et plenam confirmationem decretorum Concilii generalis sufficere scripsit, si *perducta in notitiam totius Ecclesiæ... Apostolicæ fidei convenire firmentur, Apostolicæ Sedis roborata consensu* (1). Cum propterea sollicitus esset Marcianus Imperator de obtinenda expressa S. Leonis confirmatione, ut os obstrueretur Eutychianis, ad eundem Pontificem scripsit, ut dignaretur quantocius per litteras idipsum efficere (2). Synodus VII seu Nicœna II ideo pseudo-synodo ico-

(1) *Epist. vi, ad Pelagium et Anatholium diaconos urbis Romæ, cap. 9, apud Galland. Biblioth. Patr. tom. xi, pag. 363.*

(2) Ex eo enim quod acceperant eutychiani, S. Leonem improbase can. xxviii Conc. Chalcedonensis, eaque omnia, quæ gesta fuerant in absentia legatorum suorum, rumorem sparserant, Synodum illam minime fuisse a S. Sede probatam, etiam in decretis fidei. Hinc Imp. Marcianus scripsit ad eundem Pontificem his verbis: *Quod nonnullorum animis, qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem et perversitatem sectantur, ambiguitatem multam injecit, utrum tua Beatitudo, quæ in sancta Synodo decreta sunt, confirmaverit. Et ob eam rem tua pietas litteras mittere digna-*

bitur, per quas omnibus ecclesiis et populis manifestum fiat, in sancta Synodo peracta rata haberi. Inter epist. S. Leon. edit. Ballerin. cx, col. 1182 et seqq. Hoc reipsa præstitit Pontifex, scribens ad Episcopos, qui in sancta Synodo Chalcedonensi congregati fuerunt, epistolam, quæ est, edit. cit. n. cxiv, ubi cap. 1 ait: *Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum, quæ in Synodo Chalcedonensi per unanimatem vestram de fide statuta sunt, approbem, hæc ad omnes fratres et coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi... ut et fraterna universitas et omnium fidelium corda cognoscant, me... per approbationem gestorun synodaliun propriam vobiscum unisse sententiam.* Col. 1195.

nomachorum Episcoporum CCCXXXVIII auctoritatem omnem detraxit, propterea quod *non habuit adiutorem illius temporis romanorum Papam, vel eos, qui circa ipsum sunt, Sacerdotes, nec etiam per vicarios ejus, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum lex dictat Conciliorum* (1); e contra vero Episcopi amplissimi patriarchatus Alexandrini et Antiocheni, quorum nemo in VII Synodo inventus est, merito ad Tarasium Constantinopolitanum antistitem scripserunt: *Nullum ex hoc sanctæ adhæsit Synodo præjudicium; neque vires habuit prohibitio aliqua statuendi, et manifesta faciendi recta dogmata pietatis; præcipue cum sanctissimus et apostolicus Papa romanus concordaverit, et in ea inventus sit per apocrisarios suos* (2). Quapropter vel ipse Gersonius fassus est, Sedem Apostolicam illam esse, a qua fidei certitudo petenda est (3). Constat 4^o ex eo quod illa sola Concilia vere œcumenica ac legitima habita fuerint, quæ Sedes Apostolica seu rom. Pontifex probaverit; illa vero uti spuria illegitima ac latrocinia spectata fuerint, quæ rom. Pontifex rejecerit, uti ex Conc. Ephesino II, Ariminensi ac Constantinopolitano iconomachorum palam fit (4).

687. Quæ cum ita se habeant, consequitur, unicam rationem certo cognoscendi, utrum Concilia œcumenica legitima fuerint necne, esse confirmationem rom. Pontificis, cui in Petro et per Petrum datum est pascere et regere universum dominicum gregem, datum est petram esse et fundamentum Ecclesiæ visibilis, confirmandique fratres suos. Consequitur præterea, nullum ulteriorem ad eorundem firmitatem exposci consensum aut acceptionem unanimem totius Ecclesiæ pastorum, qui et ipsi, nisi

(1) Act. vi, apud Harduin. *Acta Conc.* tom. iv, col. 327.

(2) Ibid. col. 142.

(3) In serm. *De Ascens. Domini*, coram Alexandro Papa recitato. Opp. edit. Dupinii, tom. II, part. 1, col. 136.

(4) Scribens propterea S. Damasus de Conc. Ariminensi, hanc unicam rationem affert, quare Concilium illud rejectum fuerit: *Neque enim*, inquit,

præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt; cum constet, neque rom. Episcopum, cujus ante omnia fuit expetenda sententia... hujusmodi statutis consensum aliquem commendasse. Apud Constant. *Epist. rom. Pontif. epist.* III, col. 489 et seqq. Cfr. *Zaccaria, Antifab.* tom. IV, lib. IV, part. II, cap. 4.

velint ab Ecclesia excindi, tenentur judicio dogmatico Concilii œcumenici, a rom. Pontifice confirmati, acquiescere ac subjici; multo vero minus requiri inferiorum clericorum aut plebis christianæ acceptationem unanimem et consensum; alioquin oves pascere confirmarentque pastores eosque docerent, minime vero ab illis docerentur; hæc enim Jansenistarum regula si valeret, nullum jam Concilium uti œcumenicum haberetur in Ecclesia. Consequitur demum, a fortiori haud requiri acceptationem et consensum cœtuum acatholicorum, ut Concilium œcumenicum censi debeat, secus ac arbitratur Palmer. Quamvis enim ipse Ecclesias græcam, russicam et anglicanam minime inter acatholicas re- censeat, imo catholicas plane eas communionem esse contendat, hoc tamen inauditum ejus commentum superius a nobis explo- sum est, cum nulla Ecclesia sit catholica, quæ in unitate fidei et communionis non sit cum rom. Pontifice, Ecclesiæ Christi capite, centro ac fundamento. Nestoriani porro juxta hoc prin- cipium excipere potuissent adversus Concilium Ephesinum, il- lud non fuisse œcumenicum, eo quod in illud non consenserint Ariani ac Macedoniani; Eutychiani potuissent excipere, non fuisse œcumenicum Concilium Chalcedonense, ex eo quod ipsi adstipu- lati non fuerint Nestoriani, et ita deinceps. Palmerius tamen veluti œcumenica habet sex priora Concilia, prout ipsa fingunt se susci- pere etiam protestantes. Si priora sex Concilia uti œcumenica censentur, quæ confirmata sunt a rom. Pontificibus, et proinde ab omnibus catholicis suscepta, nulla prorsus est ratio, quare ab illorum censu reliqua subsequencia debeant excludi. Ast frustra in his logicam quæris ab acatholicis.

688. Stat igitur, quod proposuimus, decreta dogmatica Concilii œcumenici, confirmati a rom. Pontifice, irreformabilia ex se esse, seu ante consensum et acceptationem Ecclesiæ, quocumque demum sensu Ecclesiæ nomen accipiatur, sive pro cœtu pasto- rum, sive pro cœtu etiam cleri inferioris et plebis, sive denique pro consensu illorum, qui a romana communione divisi sunt, vi- delicet acatholicorum (1).

(1) Notandum tamen hic est, Con- firmationem essentialem rom. Pontifi-

689. Obj. prima. 1^o Irretractabilia dogmatica Conciliorum œcumenicorum decreta Patres non habuerunt, præsertim S. Gregorius Nazianzenus, qui profitebatur, se fugere Episcoporum cœtum, quippe quod nullius Concilii felicem exitum viderit (1), et S. Augustinus, qui fatetur, Concilia *plenaria* priora a posterioribus emendari (2). 2^o Disputans propterea S. Doctor adversus Maximinum arianum: *Nec ego Nicænum*, inquit, *nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus præferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris; Scripturarum auctoritatibus... utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet* (3). 3^o Ratio vero est, quia, si irretractabilia ac proinde infallibilia forent dogmatica Conciliorum generalium decreta, veluti Scripturæ canonicæ habenda essent, quod nemo sanus dixerit; 4^o atque hinc factum est, ut nullo hactenus canone Conciliorum ejusmodi infallibilitas definita fuerit. Ergo.

690. Resp. Ad 1^m, *Neg.* S. porro Gregorius Naz. in objecto loco non loquitur nisi de Conciliis particularibus, quæ inter Concilium generale I seu Nicænum et Concilium generale II seu Constantinopolitanum I celebrata sunt, agentibus potissimum arianis Episcopis aut pneumatomachis, quorum certe nullum felicem exitum habuit, malumque potius auxerunt quam sustulerint (4). Quanti autem fecerit S. Gregorius tum Concilium Nicænum tum Constantinopolitanum, patet ex ejus dictis et factis; siquidem, præterquam quod summis laudibus extulit Concilium Nicænum, fidem in eo promulgatam Constantinopoli fere extinctam immensis laboribus restituit (5); Constantinopolitano au-

cum, quæ scilicet necessario requiritur ac sufficit, ut Synodus œcumenica censeatur, ac proinde omnimodam habeat auctoritatem, consistere in declaratione consensus sive adhæSIONIS Concilio. Hoc autem triplici ratione fieri potest a rom. Pontifice, sive per se, sive per legatos, sive demum per litteras confirmationis.

(1) *Epist. lv, ad Procopium.*

(2) *De Baptismo*, lib. II, cap. 3.

(3) Lib. II, cap. 14, n. 3.

(4) Talia sunt Concilia per ea tempora celebrata, Seleuciense, Tyriense, Ariminense, Mediolanense, Syrmienne, etc. Cfr. Bellarm. lib. II, cap. 7, *De Concil.*

(5) Cfr. Socrates, *Hist. eccl.* lib. V, cap. 6 et 7.

tem ipsemet interfuit, in quo Macedonianorum error confixus est.

691. S. vero Augustinus loquitur de Conciliis provincialibus aut nationalibus, quæ, ut eruditis constat, ab antiquis interdum *plenaria* aut etiam *universalia* vocari consueverunt; quod quidem ex eo colligitur, quod S. Augustinus hic sibi proposuerit respondere Donatistis, qui urgebant pro rebaptismo auctoritatem S. Cypriani ejusque Concilii Africani; tum etiam ex eo quod ætate S. Augustini nonnisi duo celebrata fuerint Concilia œcumenica, Nicænum scilicet et Constantinopolitanum, a quæ non solum Nicænum emendatum non est, sed fuit admissa et commendata fidei professio in illo edita.

692. Ad 2^m, *Dist.* Argumentando ad hominem, ut aiunt, ac præscindendo ab utriusque Concilii auctoritate, *conc.*; absolute, *neg.* In verbis enim immediate præcedentibus auctoritatem Concilii Nicæni atque assertam ab eo veritatem catholicam commendaverat (1). Ad tricas proinde Maximini tollendas, qui opponebat Conc. Nicæno Ariminense, abstractione facta ab utriusque Concilii auctoritate, aliis argumentis voluit adversarium suum perstringere.

693. Ad 3^m, *Neg.* Discrimen enim inter canonicas Scripturas et Concilia multiplex est; hic satis sit commemorare divinam inspirationem, qua auctores sacri afflati scripserunt, quam certe neque in ipsis Conciliorum decretis nos admittimus (2).

694. Ad 4^m, Esto nullum canonem editum esse ad adstruendam Conciliorum generalium infallibilem auctoritatem, utpote inutilem, sensus tamen Ecclesiæ hac in re manifestus est, uti ex dictis patet, ex ipsa ejus agendi ratione; cum inter hæreticos deputa-

(1) Sic enim loc. cit. scribit: *Hoc est illud Homousion, quod in Conc. Nicæno adversus hæreticos arianos a catholicis Patribus veritatis auctoritate et auctoritatis veritate firmatum est.*

(2) Immo observant accurate theologi post Canum, sola objecta definitionum dogmaticarum esse irretractabilia, atque

in iis solis infallibilia esse Concilia œcumenica, non autem in motivis, quibus moventur aut innituntur ad edendam definitionem; multo vero minus infallibilia œcumenica Concilia censentur in iis, quæ ad personas referuntur, ad res físicas, etc. quæ necessariam connexionem non habeant cum dogmate.

verit eos omnes, qui solemnibus dogmaticis ejusmodi Conciliorum definitionibus obsistere ausi fuerint.

695. Obj. secunda. 1^o Cum tam multa sint, quæ ad Concilium generale ac legitimum requiruntur, nec facile constare possit, an ea simul omnia in Concilio, dum convocatum ac celebratum est, adfuerint; an sufficiens in Concilio fuerit numerus Episcoporum; an omnes orbis Episcopos repræsentarint; an tales fuerint dignitate et eminentia, quales oportet esse in Concilio generali, ut cæteri, qui absunt, censeantur illis suas vices commisisse; an in Concilio omnia legitime peracta; an satis mature discussa et examinata an satis libere; an metus ullus sive a potestate seculari, sive *ab ecclesiastica* incussus, aliaque ejusmodi, patet, nonnisi per unanimem Ecclesiæ universæ acceptationem et consensum certo nobis constare posse, quænam fuerint Concilia legitima, quænam vero non item (1). 2^o Hac ratione adversus Arianos probat Athanasius, tanquam generale ac legitimum habendum esse Concilium Nicænum, ita ad africanos Episcopos scribens: *Huic certo Concilio universus orbis assensum præbuit; et quanquam multæ habitæ sint Synodi..., hanc agnoverunt (Ecclesiæ), et admiratæ sunt, et subscriptione approbarunt* (2). Ergo.

696. Resp. Ad 1^m, facile de his omnibus constare posse ex unius rom. Pontificis confirmatione, juxta regulam quam majores nostri semper sequuti sunt. *Qua ignorantia, aiebat Ratherius Veronensis, quo melius exui, quo aptius possum, quam Romæ doceri? Quid enim de ecclesiasticis dogmatibus alicubi scitur, quod Romæ ignoretur? Illic summi illi totius orbis doctores, illic præstantiores enituerunt universalis Ecclesiæ principes. Illic decretalia Pontificum, universorum congregatio, examinatio canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio spernendorum. Postremo nusquam ratum, quod illic irritum; nusquam irritum, quod illic ratum fuerit visum* (3). Et Ferrandus diaconus: *Quæ finiuntur, inquit, indicantibus Episcopis sanctis,*

(1) Ita Opstraetus, loc. cit. qui pluribus has nugas prosequitur. col. 891.

(2) *Epist. ad Afros*, etc. loc. cit. rin. Veronæ 1765.

(3) *Itiner. n. 2.* Opp. edit. Balle-

et ad B. Petri memoriam perducta, diligentius examinantur, atque firmanur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt; in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent (1). Hæc certe Jansenianis non arident. Attamen, velint nolint, ita est; illud igitur tanquam legitimum et œcumenicum Concilium habendum est, quod susceperit, probaverit atque ut tale universæ Ecclesiæ proposuerit rom. Pontifex. Hæc regia via est; quæcumque alia fingatur, incerta erit, ac innumeris incommodis scatens prorsusque inepta (2).

697. Ad 2^m, *Dist.* Docet S. Athanasius Ecclesias universas ideo Nicænæ Synodo subscripsisse, *quia* œcumenicam eam fuisse ac legitimam noverunt, *conc.*; Nicænam Synodum fuisse œcumenicam, *quia* eidem Ecclesiæ universæ subscripserunt, *neg.* Aliud enim est Synodo alicui Ecclesias universas adhærere, eo quod certum habeant, non posse in fide errare œcumenicas legitimas Synodos, aliud vero ab Ecclesiarum adhæsione pendere, ut Synodus aliqua pro œcumenica ac legitima habeatur. Prius affirmat S. Athanasius, posterius asserunt Janseniani. A forma quippe sua Synodi habent, ut œcumenicæ ac legitimæ sint.

698. Obj. tertia. 1^o Auctoritas rom. Pontificis eadem non est ac Ecclesiæ universalis; Bossuetus siquidem ineluctabili prorsus ratione ostendit, rom. Pontificem errori atque hæresi obnoxium esse; ejus proinde confirmatio fundamentum infallibile fidei non præbet. 2^o Christus omnibus Apostolis in communi pariter contulit publicum et auctoritativum controversiarum judicium; non potest igitur minori Episcoporum numero competere, ita ut sine aliorum assensu censi possit *finale ac irrefragabile*. 3^o Solo

(1) Loc. cit.

(2) Possent enim Janseniani opponere, non satis constare de Episcoporum omnium positivo et expresso consensu, uti sæpe reipsa ab illis factum est, cum ageretur de consensu ad Constitutiones Pontificias, quæ adversus Jansenium et Quesnellum datæ sunt. Deinde cum in multitudine nunquam

desint refractarii, si aliqui Episcopi essent alicui erroneæ doctrinæ addicti, cujusmodi certe essent Episcopi ultrajectini, possent semper pallio se tegere. Ad longum præterea tempus res protrahi deberet, et interea serpere impune posset error et plures inficere, ut alia incommoda silentio præteream.

Ecclesiæ consensu factum est, ut plura Conciliorum provincialium decreta tanquam finalia et irrefragabilia spectata fuerint, ex. gr. Conciliorum Arausicani, Gangrensis, Antiocheni, Milevitani, quæ celebrata sunt adversus hæreticos; ergo pari prorsus ratione ex consensu et acceptatione Ecclesiæ universæ irrefragabilia dici debent decreta œcumenicorum Conciliorum, non vero ex confirmatione summi Pontificis. 4^o Eo magis quod infallibilitas Synodorum generalium essentialis minime sit finiendis controversiis; plures siquidem hæreses a Synodis provincialibus aut etiam ab Episcopis individualibus damnatæ sunt; proscripta insuper est a facultate Sorbonica propositio de omnimoda Concilii œcumenici necessitate ad hæreses damnandas; si igitur potest Ecclesia alia ratione quam per Concilium œcumenicum controversias dirimere, patet, infallibilitatem Concilii haud esse essentialem, adeoque illius infallibilitatis defectui posse per Ecclesiæ consensum suppleri. 5^o Accedit, infallibilitatem Concilii œcumenici, confirmati a rom. Pontifice, esse *meram opinionem* in ipsis romanis Ecclesiis; ex quo consequitur non posse reperiri probationes certas, quod illius infallibilitas innitatur Scripturæ et traditioni, aut quod Christus ejusmodi Concilii infallibilitatem Ecclesiæ suæ reliquerit. Opinio præterea nunquam poterit basim præbere fidei certæ; romanenses proinde nequeunt habere certitudinem veritatis doctrinarum, quæ fuerint definitæ a Synodo, cujus infallibilitas simplex opinionis materia est (1). Ergo.

699. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Id est, non eadem certitudine constat de auctoritate infallibili rom. Pontificis seorsum spectati, qua constat de auctoritate Ecclesiæ universalis, cum hæc sit veritas fidei, illa vero non item, *conc.*; alio sensu, *ney.* Qua vero ratione Bossuetus ostenderit, rom. Pontificem errori atque hæresi obnoxium esse, paulo post expendemus. Negamus præterea illationem, si rom. Pontifex confirmaverit Concilium œcumenicum, exinde non exurgere infallibilem auctoritatem Concilii generalis; in hoc enim casu habetur conjunctio capitis cum membris suis, seu Ecclesia docens, quæ omnium catholicorum consensu infallibilis est (2).

(1) Hactenus Palmer, op. cit. cap. 7, sect. 1 et 2.

(2) Mira certo est hujus viri dexterritas in permiscendis controversiis libe-

700. Ad 2^m, *Dist.* Christus omnibus in communi publicum contulit et auctoritativum controversiarum iudicium una cum Petro et sub Petro, *conc.*; seorsum a Petro, *neg.* Porro juxta Patrum regulam, *ubi Petrus ibi Ecclesia*, sive major sive minor sit Episcoporum numerus, qui Petro assentiuntur seu sunt cum Petro, in ea parte, in qua est Petrus seu rom. Pontifex, ibi Ecclesia est; reliqui autem Episcopi, quicumque demum sint, semper erunt acephali, nec unquam Ecclesiam constituent, præsertim si Petro repugnent. Sane videmus Concilia œcumenica, in quibus exiguus etiam fuit Episcoporum numerus, ut in Constantinopolitano I et II (1), ex assensu et confirmatione rom. Pontificis statim vim obligandi habuisse, nullo expectato Ecclesiæ consensu et acceptatione (2), ac proinde tulisse *finale et irrefragabile* decretum.

701. Ad 3^m, *Dist.* Et præcipue assensu rom. Pontificis, *conc.*; absque hujus assensu, imo eo refragante, *neg.* Nullum ex tota antiquitate exemplum afferri potest, quo probetur, vel absque assensu rom. Pontificis, multo vero minus ipso repugnante, sententiam alicujus sive Concilii sive individualis Episcopi uti finalem et irrefragabilem spectatam fuisse. Contra autem plura suppetunt exempla in historia ecclesiastica Conciliorum etiam provincialium, nationalium ac plenariorum, quæ nullam prorsus vim habuerunt, eo quod fuerint ipsorum decreta a rom. Pontificibus reprobata (3).

702. Ad 4^m, Admittimus totum argumentum adversarii, cum

ris cum doctrina catholica ab omnibus admissa, ut deinde tenebras offandat. Hæc est perpetua fere Palmerii ars, ut ejus opus sedulo perpendenti patebit.

(1) Etenim in Conc. Constantinopolitano I, uti notum est, non interfuerunt nisi 150 Episcopi; in II autem, seu generali V, sederunt 166. Cfr. Harduin. *Acta Conc.* tom. III, col. 207.

(2) Saltem cum Ecclesiis certo constiterit de expressa ac libera confirmatione Concilii, quo sensu, ut alias

animadvertimus, excusari potuerunt Ecclesiæ illæ occidentales, dum ad tempus noluerunt recipere Concilium V, quia rumor ad ipsas detulerat, rom. Pontificem Vigilium illi restitisse.

(3) Ut constat de Conc. Carthaginiensi celebrato a S. Cypriano in causa rebaptismi, ac de innumeris pene aliis Conciliis secul. IV et V in Oriente et Occidente celebratis, quorum omnium acta irrita fuerunt, quia illis obstiterant rom. Pontifices.

et nos contendamus, adversus Jansenistas et Febronianos, minime esse absolutæ necessitatis Concilia œcumenica ad hæreses damnandas, licet et nos demus, illa esse valde utilia. Ast negamus, quod perperam exinde adversarius inferre adnititur, nempe fallibilem esse Concilii œcumenici auctoritatem. Nam ex eo, quod Ecclesia dispersa infallibilis sit, haud sequitur, fallibile esse Concilium. Sane plane nescio, utrum accuratus dialecticus probaret ejusmodi argumentandi rationem; si quidem id unum ex ea consequitur, si aliunde probetur, et infallibilem esse Ecclesiam dispersam, prouti demonstravimus, et infallibilem esse Ecclesiam in Synodo œcumenica congregatam. Neque enim altera alteri adversatur.

703. Ad 5^m, In sensu, seu ex mente adversarii, *conc.*; in doctrina catholica, *neg.* Omnes enim Catholici, nemine excepto, docent, infallibilitatem Concilii œcumenici in dogmaticis definitionibus certam esse, et ad fidem pertinere, quam constanter Ecclesia universa professa est et dictis et factis, uti ostendimus. Si qua est inter catholicos doctores controversia, volvitur tantum circa principium hujus infallibilitatis, utrum nempe infallibile sit Concilium ob rom. Pontificis assensum et confirmationem, an vero infallibilis sit auctoritas rom. Pontificis ex superveniente assensu Episcoporum sive Concilii. Ceterum in re omnes consentiunt, esse per se infallibile Concilium œcumenicum, quod fuerit confirmatum a rom. Pontifice (1).

(1) Quandoquidem adversarius sæpe abutitur auctoritate Bossueti, ad quem provocat, non abs re erit hic subjicere nonnulla testimonia illustrissimi hujus præsalis ac de re catholica optime meriti. Ipse itaque in *Append. ad defens. declaration. cleri gallic.* hæc in rem nostram scribit: *Tum illud certum est apud Catholicos omnes, nostrique assidue inculcant, non tantum Concilium, sed catholicam Ecclesiam absolute infallibilem esse, etiam absque*

Concilio. Opp. edit. cit. tom. xxxiii, pag. 563; atque in op. in quo expendit *Cogitationes privatas ab. Molani*, part. II, cap. 4, art. 3: *Protestantes, scribit, catholicis vitio solent vertere, quod, cum Ecclesiæ infallibilitatem agnoscunt, de hujus infallibilitatis subjecto nihil certi habeant, cum pars in Papa etiam solo, pars in Conciliis œcumenicis, pars in Ecclesia toto orbe diffusa infallibilitatem collocent. Horum ergo gratia nobis sedum incerti*

704. Argumenta porro, quibus adversarius nisus est ostendere infallibilitatem Concilii œcumenici intra *meræ opinionis* fines contineri inter Catholicos, meri sunt paralogismi tanto homine indigni, aut nituntur auctoritate Jansenianorum, quos a societate nostra repellimus. Sane 1^o paralogismus est, quem in priori sectione excussimus, scilicet non esse nisi *opinionem*, quod Concilium, coalescens ex rom. Pontifice et Episcopis, sit infallibile, quia mera opinio est, quod rom. Pontifex seorsum sumptus, aut seorsum sumpti Episcopi sint infallibiles. 2^o Paralogismus est, non posse ostendi infallibilitatem totius, nisi ostendatur infallibilitas alterutrius partis. 3^o Paralogismus est argumentum, quod deducit ex principio Bossueti: *Id tantum in Ecclesia habendum est pro impossibili, quo facto nullum superesset veritati præsidium; ex quo principio ipse subsumit: atqui, si generale Concilium confirmatum a Pontifice obnoxium foret errori, auctoritas Ecclesiæ dispersæ satis esset ad veritatem communiendam; ergo impossibile non est, ejusmodi Concilium errare posse. Verum quis non videat, adversarium hic abuti principio Bossueti, qui juxta doctrinam catholicam supponit, non posse Concilium œcumenicum legitimum in fide errare, quin universa erret Ecclesia, quæ tenetur edita*

animi vitium atque apertam repugnantiam objiciunt. Neque animadvertere volunt, eas sententias, quas repugnantes putant, communi omnibus dogmate ac veritate niti. Qui enim Papam vel solum putant esse infallibilem, quanto magis cum Synodum consentientem habeat; si vero Synodum, quanto magis Ecclesiam, quam ipsa Synodus repræsentat? Aperta ergo calumnia sit, quod nos Catholici de infallibilitatis subjecto nihil certi habeamus, cum pro indubitato apud nos habeatur, et Ecclesiam et Concilium eam repræsentans infallibilitate gaudere, cit. edit. tom. xxv, pag. 455, et alibi passim. Quod si hic et alibi

Bossuetus videtur exposcere consensum Ecclesiæ, ut Concilium legitimum habeatur, non loquitur de consensu, qui robor intrinsecum addat Concilio a Pontifice confirmato, sed de consensu, quo extrinsece cognoscatur uti legitimum illud Concilium. En iterum ejus verba, ex *Corollario Defensionis*, § 8, edit. cit. pag. 375: *Certum est apud Catholicos, Concilia generalia infallibilia esse; at cum dubitari possit, Conciliumne aliquod generale sit, id ex Ecclesiæ consensione repetatur.* Idem docet Bouvier, quem nobis pariter opponit Palmer, de quo mox dicam.

fidei decreta suscipere ac venerari uti infallibilia seu ir retractabilia? Hæc enim, uti ostendimus, vim habent ex se obligandi omnem Ecclesiam, ita ut nullo modo possit suspendi assensus, donec accedat acceptatio totius Ecclesiæ. Addo, fieri non posse, ut Ecclesia adversetur Concilio legitimo œcumenico, quod repræsentat Ecclesiam ipsam; alioquin sibi ipsi adversaretur, quod est absurdum et contra pollicitationes Christi. Quod demum spectat ad illos theologos *romanos*, quos adversarius ex auctoritate Bouvierii commemorat, nec sine aliqua infidelitate (1), illos non moramur; cum iidem non sint *romani*, sed vel janseniani, vel de jansenianismo suspecti, quos nuper confutavimus. Ideo Janseniani hoc effugium excogitarunt, ut, si Concilium, ad quod appellarunt, celebraretur, possent ejus eludere auctoritatem, prouti eludere adnisi sunt constitutiones pontificias, a quibus toties damnati sunt atque protriti (2).

(1) Dixi, non sine aliqua infidelitate auctoritatem cl. Bouvierii afferri, ab adversario; nam ipse sic refert perinde ac si ille dixisset, aliquos theologos opinari, Ecclesiæ approbationem *totam* auctoritatem Concilio generali tribuere; ast illud *totam* de suo adjecit Palmer. Cfr. edit. Paris. 1834, tom. I, pag. 353. Ceterum Bouvier non agit nisi de auctoritate extrinseca, ut patet tum ex solutione tertiæ objectionis, ubi dicit: *Igitur Ecclesiæ acceptatio auctoritatem Concilio non tribuit*; tum in loc. cit. ab adversario, ubi post recitata verba immediate subdit: *At grave incommodum inde non sequitur; nam ubi constabit, Concilium aliquod ut generale ab Ecclesia fuisse receptum, certum erit, ipsius decreta esse de fide*. His tamen theologis nos minime assentimur.

(2) Atque hæc hæctenus adversus Palmer, frustra catholicorum doctrinam pervertere conantem, ut desperatæ

causæ suæ undecumque præsidium quærat. Cum vero de recentiori schola theologica Oxoniensi identidem fuerit a nobis actum, quæ illi, dum hæc vulgamus, tristia sane fata impendant, juverit referre. Inter scripta illa quæ inde jam pridem prodeunt, sub titulo *Tracts for the Times*, extabat sub num. 90 tractatus quidam continens *Observanda super xxxix articulis*, ubi articuli isti, anglicanæ fidei propugnaculum, ita explanabantur ut ad meliorem quemdam sensum, magisque a protestantismi placitis abhorrentem pertraherentur, atque hoc tantum modo illis subscribi posse contendebatur. At enim universitatis Oxoniensis rectores, quotquot sunt, solempi habita convocazione, editoque ab ejus Vice-Cancellario decreto, scriptum hoc nuperrime damnarunt, utpote quod (ut aiunt expresse) non explanatio, sed erasio illorum articulorum esset, erroribus scateret, et an-

PROPOSITIO V.

Commentitia est, ac naturæ primatus pontificii prorsus adversatur nuper invecta, inter jura primatus essentialia et accidentalia sive accessoria, distinctio.

705. Et hæc propositio veluti consecrarium est, quod ex nostra priori propositione, de natura Pontificii primatus, necessario descendit. Adstruitur autem adversus illos, qui, Febronio præeunte (1), jura primatus rom. Pontificis in duas potissimum

glicanæ Ecclesiæ indoli adversaretur. Tum illico prodiit epistola prof. Newman, die 16 Martii 1841 data, qua se auctorem scripti illius palam profiteretur, et quidquid ibi a se statutum, non modo verum esse atque honestum, sed necessarium omnino proclamat. Magna inde in tota universitate partium studia et animorum contentio. Vide *Galignani's Messenger Paris. 24 Martii 1841, n. 8122*. Rem porro eo usque progressam esse accepimus, ut Oxoniensis episcopus sive auctoritate sua sive suasionibus effecerit, ut tractatus illi Oxonienses finem protinus habeant, ac perpetuo conticescant. Quo ergo professorum istorum conatus evaserunt? Eo nempe ut miseranda anglicanæ Ecclesiæ conditio magis magisque in omnium conspectu pateret. En, qui Ecclesiam istam veluti catholicam et apostolicam mordicus tuebantur, qui eam ad pristinum originis suæ statum revocare, liturgiæ usum restituere, traditionem atque auctoritatem extollere, ac protestantismi principia damnare præ se ferebant, nunc iidem ipsi veluti homines ecclesiæ suæ infensi, perniciosi, erroresque propinantes tum verbis tum

facto ab iis, qui auctoritatem inibi exercent, declarantur! Videant igitur scriptores isti, cuinam causæ ingenium atque industriam suam manciparint! Videant, qui status ecclesiæ hujus existat, in qua nihil fixum ac stabile, nihil coherens, sed de ipso articulorum, quibus illa innititur, sensu adeo acriter dimicatur inter eos ipsos, qui doctrinam anglicanam pro officio exponere ac profiteri debent. Quid porro erit de cæteris omnibus? quid de populo universim? quam fidei suæ regulam nanciscetur? quid porro anglicana a cæteris protestantium sectis distabit? Utinam hæc omnia scriptores isti probe perpendere, luceque reperta, in tenebris cœcutire non mallent.

(1) *De statu Ecclesiæ et legitima potestate rom. Pontificis*, tom. 1, cap. 2, § 7, n. 9. Ubi ipse hunc veluti canonem statuit: *Habet universalis primatus sua jura partim ex jure divino, partim ex humano, immo plura ex hoc quam ex illo; habet ordo Episcoporum fere omnia sua ex jure divino*. Verum quæ primatui jura tribuit ex jure divino, ad nihilum fere redigit; quæ autem ei obtigisse affir-

classes dispescunt, quorum alia *essentialia* vocant, utpote necessario nexu cum primatu ipso colligata, atque a rom. Pontificibus sex aut septem prioribus Ecclesiæ seculis exercita (1); alia vero nuncupant *accidentalialia* sive *accessoria*, eo quod ab illo nexu minime dependeant, ac illorum exercitium nonnisi medio ævo penes rom. Pontifices cœperit; quos aut ope Isidorianæ mercis, aut aperta usurpatione, fretos universali illa ignorantia, quæ tunc temporis dominabatur, atque proinde jurium omnium confusione ea sibi arrogasse contendunt (2). Nimirum pontificiæ auctoritatis vaferrimi hostes nihil intentatum reliquum faciunt, quo ad pertenuem umbram speciemve primatum pontificium deji- ciant, ita ut nonnisi nomen aut quamdam præeminentiæ et honoris prærogativam inter pares rom. Pontifici relinquunt, re autem omnem veram jurisdictionem eripiant. Videntur hi scilicet sibi triumphum agere, dum, conspiratione cum Protestantibus

mat ex jure humano, ac propterea *ad- scititiis* adnumerat, pleraque sunt, atque ipsam jurisdictionem; sic enim loquitur in eodem op. tom. II, pag. 313: *Canones et Concilia Pontificibus jurisdictionem vere talem atque alia contulerunt, quæ proprio et nativo jure non habent.* Cfr. Zaccaria, in *Antifebronio vindicato*, part. III, diss. VI, cap. I, et diss. VII, cap. I. Quæque etiam ex jure humano tribuit jura rom. Pontifici Febronius, maxima ex parte derivata affirmat ex pseudo-Isidorianis mercibus.

(1) Cfr. Roskovány, op. cit. *De primatu rom. Pont.* § 44 et seqq. Hic vero auctor, apprimè catholicus et eruditus, eo majori laude dignus est, quod contra plenum alveum impavide se in Hungaria opposuerit grassanti doctrinæ.

(2) Cfr. Hortig, *Handbuch der Kirchengesch.* seu *Manuale historiæ eccles.*

tom. I, pag. 382 et seqq. edit. II, Landshut 1827, qui evolvit, quomodo ex ejusmodi distinctione nonnulli progressi sint usque ad plenam Episcoporum a rom. Pontificibus independentiam proclamandam, et ad omnem denegandam primatus præeminentiam in Ecclesia; alii vero eo devenerunt, ut consilium dederint Episcopis Germaniæ de excutiendo rom. Pontificis jugo, atque de statuenda quadam stabili synodo permanente, quæ universam repræsentet Ecclesiam sub Cæsaris auspiciis ac suprema inspectione, admissis, si ita visum fuerit, etiam aliarum gentium Episcopis, quin et romano Antistite, uti *simplici prælato*, nec ipsis protestantibus exclusis. Inter hos eminent auctor libelli: *Beiträge zur Aufklärung*, etc. seu *Documenta ad illustrat. seculi nostri*, etc. Francofurti 1787.

inita, pervenire possunt ad auctoritatem extenuandam rom. Pontificis, aut fere in nihilum redigendam, ac ignominiam patris gloriā suam fore arbitrantur.

706. Commentitiā porro esse, ac naturæ primatus pontificii penitus adversantem, febronianā illam distinctionem inter jura essentialia et accidentalia, sic ostendimus. Distinctio illa commentitiā dicenda est et naturæ primatus pontificii contraria, quæ arbitraria omnino existit, falsoque innititur principio; quæ naturam ipsam destruit primatus divinitus Petro ejusque successoribus collati; quæ denique incognita plane toti fuit antiquitati. Atqui.

707. Sane arbitrariam censendam esse ejusmodi distinctionem ex multiplici capite abunde liquet. Ac 1^o quia nulla apparet ratio, quare adversarii desumant illam distinctionem ex sex vel septem prioribus seculis, non autem ex tribus insequentibus, aut eam non coarctent ad tria priora secula, prout facere consueverunt Protestantes istorum antesignani et magistri, qui ad tria quatuorve priora secula revocant puram et auream Ecclesiæ ætatem; 2^o quia nulla certa ratio suppetit, quare essentialia jura dicantur arctum ac necessarium nexum cum pontificio habere primatu, accidentalia vero non item, ita ut, si bonum Ecclesiæ exposcat, necessarium dici nequeat accidentalium, quæ vocant, jurium exercitium; 3^o quia adversarii se solos judices constituunt ad decernendum, quæ jura debeant essentialibus, quæ autem accidentalibus adnumerari; cum certo ex historia constet, plura ex iis juribus, quæ accidentalia vocant, utpote contenta in Isidoriana collectione, fuisse in usum adscita a rom. Pontificibus, longe antequam ejusmodi collectio evulgaretur (1). 4^o Quia destituitur omni fundamento historico.

(1) Cfr. Ballerini, opp. S. Leonis M. tom. III, *De ant. collection. et collect. can.* part. III, cap. 6, in quo doctissimi viri ex professo agunt *de collectione Isidoriana*, præsertim § 2, ubi accurate secernunt documenta sincera, quæ inserta sunt huic collectioni, a

spuriis et ab interpolatis; tum § 3, in quo ostendunt, nulla ratione fuisse immutatam disciplinam ecclesiasticam ex supposititiis documentis. Sed præstiterit eruditorum virorum hic verba subjicere, quæ lucem afferunt iis, quæ diximus: *Non pauci*, scribunt, *de pseudo*

708. Sed falsum præterea est principium, cui prædictæ distinctionis adinventores innituntur. Principium enim, in quod superstructa illa distinctio incumbit, est, quod *antiquum* Ecclesiæ jus sit prorsus immutabile, ita ut *novum* jus censi debeat corruptela et usurpatio, ex Isidorianis decretalibus et barbarie profecta. Porro ejusmodi principium falsum est; siquidem, ceteris omissis, cum jus ecclesiasticum, ex quo patriarchalis et metropolitana auctoritas prodiit, sit mutationi obnoxium, ita pro temporum ac locorum varietate, Ecclesiæ bono id exposcente, potest variari, ut novum jus a legitima auctoritate constituatur. Quapropter, etsi daretur, quod tamen falsum est, ab Isidorianis mercibus novam fuisse disciplinam invectam, cum hæc tamen longo seculorum usu ab Ecclesia recepta sit, et ab œcumenicis Conciliis confirmata, in primis vero a Tridentino, nemo dixerit novam hanc disciplinam esse corruptelam atque usurpationem (1). Ea quippe auctoritate, qua aliquid sancitum est, eadem potest, justis intercedentibus causis, quod statutum fuerat, immutari eique derogari.

709. Verum, quod secundo loco proposuimus, prædicta

Isidoro severius conqueruntur, perinde ac si ejus imposturis disciplina vetus abolita, et nova fuerit introducta... perturbata Episcoporum et provincialium Conciliorum jura, sublatis judiciorum leges, aliaque rei ecclesiasticæ damna illata fuisse. Hæc autem novæ et immutatæ disciplinæ reprehensio quam minus æqua sit, quisque facile intelliget, si duo animadvertat, nimirum pleraque pseudo epistolarum Isidori excerpta esse ex sententiis SS. Patrum, ex sinceris constitutionibus rom. Pontificum post Siricium, ex canonibus Conciliorum, ac ex romanis legibus; quæ sane novi juris, novæque disciplinæ non sunt; cetera vero eam disciplinam plerumque ex-

hibere, quæ vel jamdiu inoleverat, vel jam ante aliquanto induci cœperat. Impostura autem in eo sita est, quod Pseudo Isidorus eas sententias iis auctoribus imposuerit, quorum non sunt, et posterioris ævi disciplinam antiquioribus Pontificibus affixerit, quasi prioribus Ecclesiæ sæculis æque vigisset. Cfr. loc. cit. pag. 221. Ibidem vero ostendunt, propositum hujus collectoris haud fuisse Sedis apostolicæ jura amplificare. Cfr. etiam Zaccaria, in Antifebronio vindicato, part. IV, diss. IX, cap. 4.

(1) Cfr. Ballerin. in op. *Vindiciæ auctoritatis pontificiæ contra opus Justin. Febronii*, cap. 5, § 3.

distinctio adversatur insuper naturæ primatus divinitus Petro ejusque successoribus collati. Etenim, uti ostendimus, primatus pontificii natura in eo posita est, ut sit auctoritas Episcopalis super universam Ecclesiam; quæcumque propterea, annuente rom. Pontifice, circa regimen Ecclesiæ et disciplinam antiquitus vel servata vel constituta sunt, quia ita ferebant illius ætatis adjuncta, hisce immutatis, atque ita suadente Ecclesiæ bono, potuerunt a rom. Pontificibus vi proprii primatus immutari. Id inficiari perinde esset ac plane primatum ipsum divinitus institutum evertere. Primatus enim cum non sit solum honoris et cujusdam præeminentiae, sed veræ jurisdictionis, auctoritas nempe cum plena potestate ea statuendi quæ ad Ecclesiæ bonum et ædificationem conferre possunt, patet ex ejusdem primatus natura ac vi, jura omnia, quæ ei adnexa sunt, pro diversis temporibus diversa posse ratione exerceri. Ex hac autem diversa ratione, qua pro opportunitate diversis temporibus Pontifices jura illa exercuerunt, nullo modo inferri licet invecta illa distinctio, ita ut alia dici debeant jura essentialia, alia vero accidentalialia aut accessoria, cum omnia prorsus ex eadem divini primatus natura dimanent. Hæc proinde distinctio naturæ primatus Petro ejusque successoribus divinitus collati omnino adversatur (1).

710. Quod demum eadem distinctio incognita fuerit toti antiquitati, abunde deprehenditur tum ex eo, quod ante Febronium, qui eam primus invexit, aut si placet, ante Marcum Ant. de Dominis, Launojum et Richerium, quos Febronius aut secutus est aut exscripsit, nusquam illius vestigia occurrant; tum etiam

(1) Ex his plane colligitur, haud ferendam esse ejusmodi distinctionem, quæ jam passim ab ætate Febronii in scholis germanicis percrebuit, adeo ut vix reperire sit aliquem juris canonici tractatorem, qui eam non adoptaverit, imo auxerit, atque ulterius etiam progressus sit, uti ex dicendis patebit. Nonnulli tamen ex iis, qui incaute ejusmodi dis-

inctionem adsciverunt, non malo animo aut prava intentione ducti id præstitere, imo aperte impugnant Febronium primum ejus inventorem, sed morem gesserunt usui jam in Germania invalescenti. Adversariis S. Sedis satis est, ut ea semel admittatur; a se deinde cetera sumunt.

ex eo quod videamus Patres, quamvis generalis antiqua disciplina vigerit, nusquam limitibus pontificiam jurisdictionem circumscripsisse, aut reclamasse, quod Pontifices, ita poscente Ecclesiæ utilitate, præter vigentem disciplinam quidpiam aut egerint aut sanxerint; tum etiam ex eo quod noverimus, Pontifices interdum longe ampliorem auctoritatem exercuisse, quam eis pseudo-Isidorianæ decretales tribuerint (1).

711. Quæ cum ita se habeant, merito concludimus, non solum commentitiam esse invectam distinctionem, naturæ pontificii primatus divinitus instituti adversantem, incognitamque toti antiquitati, prout demonstrandum assumpsimus; sed præterea injuriosam esse tot sanctissimis Pontificibus, qui tot retro seculis pacifice jura, quæ vocant accidentalialia, exercuerunt; injuriosam universæ Ecclesiæ, quasi nempe ea passa fuerit sese auctoritate inalienabili spoliari; ac insuper inferimus eam esse inducentem in schismata ac perduellionem (2), dum novam disciplinam tra-

(1) Cfr. Card. Gerdil: *Esame dei motivi della opposizione fatta da M. Vescovo di Noli, alla publicaz. della bolla AUCTOREM FIDELI*. Opp. edit. rom. tom. XIV, part. II, art. 13 et 14, ubi pluribus adductis certissimis documentis evidenter ostendit eminent, auctor, longe forsitan ampliorem potestatem septem prioribus seculis exercuisse rom. Pontifices in universam Ecclesiam, quam secul. insequentibus. Neque id abnuit vel ipse Bossuetus, qui *Defens. declarat. in Corollario*. quod illi subtexit, § 10, hæc fidenter scribere haud dubitavit: *Hæc habens et exercens apostolica Sedes, tanta antiquitus auctoritate vigit, ut postea, fidens dixerim, imminuta magis quam aucta esse videatur; cumque ad hoc evincendum plura exempla ex S. Leone M. et Gelasio attulisset, concludit: Quis autem Pontifex posteriore ætate, qua non-*

nullis potestate aucti videntur, tanta auctoritate tanta gessit? Id ipsum conficit ex Agapeto, S. Gregorio M. Cfr. edit. cit. tom. XXXIII, pag. 400 et seqq. Qua sola animadversione corrumpit tota Febronii ac Febronianorum machina, de distinctione jurium *in accidentalialia, accessoria, humana, mutabilia, et essentialialia, divina, immutabilia, etc.*

(2) Cujus assertionis documentum luculentissimum suppeditat congressus Emsensis an. 1786 celebratus, qui, totus innixus doctrinæ febronianæ, sategit subducere Germaniam ab auctoritate rom. Pontificis; hinc innumeras turbas excitavit, pluraque schismatica et erronea sancivit. Cfr. opus inscriptum: *Colpo d'occhio sul Congresso di Ems, trad. dal francese, arricchito di note e di un append. di monumenti*, Aletopoli 1788; quod opus Fr. Xaver. Feller auctorem habet. Cfr. præsertim

ducunt adversarii veluti imparem, in præsentî rerum ordine, medendo, excogitatis illis incommodis quæ ex ea ipsi repetunt, quorumque obtentu pontificiæ potestatis osores distinctionem illam in medium protulerunt. Nova siquidem perturbaretur disciplina, vetus autem minime revocaretur (1).

DIFFICULTATES

712. Obj. prima. 1^o Christus non uni rom. Pontifici, sed etiam Episcopis Ecclesiam ordinario jure regendam et gubernandam commisit, imminui proinde non potest ordinariorum potestas, quin perturbetur ordo a Christo ipso institutus. 2^o Sane Ecclesia primitiva, fidelissima Christi voluntatis interpret et canonum custos, usu et observatione aperte ostendit, quænam jura essentialia pontificii primatus censi debeant, *jus scilicet supremæ inspectionis, jus supremi provisorii regiminis, jus Concilia convocandi iisque præsidendi, jus vindicandi canonum observantiam*, etc.; reliqua vero jura, ex. gr. *confirmandi Episcopos, canonizandi Sanctos, appellationes recipiendi, dispensandi, festa instituendi, casus reservandi*, etc. quæ primis seculis a rom. Pontificibus minime exercebantur, sed serius primo a metropolitanis, deinde a synodis provincialibus ad eosdem devoluta sunt, velut accidentalia sunt putanda vel, ex

docta dissertatio præmialis, in qua idem auctor clarissimo in lumine ponit schismatica illius congressus molimina. Paulo ante jam commemoravimus erroneas et schismaticas doctrinas, in quas nonnulli distinctionis hujus assertores prolapsi sunt.

(1) Neque hic omittendum est, ex plurium Episcoporum ac metropolitanarum negligentia superioribus temporibus factum esse, ut rom. Pontifices interponere debuerint auctoritatem suam, cujus non pauca exempla vel ipse protestans Hurter profert in historia Inno-

centii III. Neque prætereundi sunt nonnullorum Episcoporum abusus in exercitio suæ auctoritatis, qui occasionem præbuerunt rom. Pontificibus plura sibi reservandi. Neque denique prætermittendam est, talia quandoque ex rerum politicarum statu adjuncta vigere, quibus impossibile sit Concilia provincialia cogere. Adversarii, qui sæpe adeo adversus abusus pontificiæ auctoritatis declamant, hæc omnia dissimulant, si nonnullos magis moderatos excipias.

eo etiam capite quod ad naturam primatus haud pertineant, ab eoque abesse omnino possint (1). 3^o Alioquin potestas primatialis, nullis circumscripta limitibus, agere posset, prout libuerit, ac Episcopis, quos Spiritus S. ad regendam Ecclesiam posuit, sola obsequendi relicta provincia, unus Ecclesiae Primas, pro indefinita auctoritate sua, ea quoque acturus esset, quæ e secundariis tantum muneribus et considerationibus profluunt, et in Ecclesiarum peculiarium detrimentum redundant. 4^o Eo vel magis quod absonum plane videatur, non aliter fere conceptum potestatis primatialis, nisi e complexu omnium omnino jurium, uti dicuntur, accidentalium efformare. Ergo.

713. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Christus etiam Episcopis commisit Ecclesiam jure ordinario regendam sive mediate sive immediate, *conc.*; immediate, vel *trans.* vel *subd.* Cum dependentia seu subjectione quoad exercitium a rom. Pontifice, *conc.*; absque subjectione ac dependentia, *neg.* Quamvis omnes conveniant, quoad potestatem Ordinis, eam habere Episcopos immediate a Deo, non omnes tamen pari ratione catholici theologi id ipsum tenent quoad potestatem jurisdictionis, quam non pauci, iique insignes ex ipsis, contendunt Episcopos immediate a summo Pontifice derivare (2). Verum, et hoc omisso, nemo est, qui dubitet,

(1) Non tamen omnes conveniunt in recensione ejusmodi jurium essentialium et accidentalium. Satis sit percurrere opus Mauri de Schenkl, *Ord. Ben. Institutiones juris ecclesiastici communis*, edit. 10, adaucta a Jos. Scheill, Landshuti in Bavaria 1830, part. 1, *Jus ecclesiasticum publicum*, sect. 1, cap. 1, § 225 et seqq. ubi constituta distinctione inter jura essentialia et accessoria, traditisque regulis ad ea discernenda, primo recenset jura essentialia generalia IV, deinde ex illis deducit specialia IX, inter quæ, n. 5, ponit *jus decreta dogmatica* PROVISORIA *edendi*. Descendit postea ad jura se-

cundaria et accessoria, quæ *serius* nempe ad primatum devenere, ac decem expresse enumerat, quæ illic recoli possunt. Verum alii, ut ibidem videre est in adnotationibus, ex gr. Rechberger, Frey, Sauter, Walter, etc. alias divisiones ac subdivisiones inducunt, et ad diversas classes referunt, quas nimis longum esset singillatim recensere. Cfr. etiam Roskovány, op. cit. § 49 et seqq.

(2) Hanc sententiam tenuerunt S. Thomas, S. Bonaventura, Durandus, Hervæus, S. Antoninus, Ægydius Columna, Thomas Argentin., Joannes a Celaja, Mauclerus, Coeffeteau, Joan. Puteanus,

quin potestas jurisdictionis, qua episcopi divinitus instructi sunt, summo Ecclesiæ Primati ita ex eadem divina dispositione subjiatur, ut ille possit pro Ecclesiæ bono ejus exercitium moderari, imminuere, aut etiam omnino tollere (1). Tantum igitur abest, ut perturbetur ordo a Christo institutus per primatiam Pontificis auctoritatem, ut potius maxime conservetur.

714. Ad 2^m, *Dist.* Ita tamen ut primitiva Ecclesia non sit exclusive unica norma distinctionis jurium, de quibus agitur, *conc.*; secus, *neg.* Fatentur adversarii ipsi, praxim et usum alicujus juris quoad aliquod definitum tempus non posse normam invehere juris alicujus sive adserendi sive negandi. Fieri enim potest, ut nulla sese obtulerit per id temporis occasio aut necessitas illius exercendi, quin propterea debeat aut possit jus ipsum, quod alicui inhæret, avelli. Profecto Ecclesia tribus prioribus seculis, persecutione sæviante, nequivit illa exercere jura, quæ postea, concessa pace, tanta cum majestate exercuit sive in Conciliorum œcumenicorum celebratione, sive in sanciendo legibus, sive in pluribus aliis; idem dic de rom. Pontifice. Perperam porro quispiam inde inferret, jura, quæ Ecclesia simul sumpta cum suo capite, aut rom. Pontifex seorsum exercue-

Charlas, etc. præter Bellarminum, Suarezium, Vargas, Fagnanum, quorum loca cfr. apud Zaccaria, in *Antifebronio*, tom. II, diss. II, cap. 6, et apud Benedictum XIV, *De synodo diœc.* lib. I, cap. 4, n. 2, ubi scribit: *Licet autem eorum opinio, qui etiam hanc potestatem (jurisdictionis) immediate a Christo oriri propugnant, validis fulciatur argumentis; nihilominus tamen et rationi et auctoritati conformior videtur sententia opposita.* Sententiam de immediata Episcoporum jurisdictione a Christo omnium primus inexit Franc. Victoria Ord. Præd. et adstipulatores habuit plures hispanos, atque inter ceteros Alphonsum de Castro et Vasque-

zium; cfr. Zaccaria, loc. cit. Quamvis quæstio hæc summa contentione inter Patres Tridentinos agitata fuerit, ut constat ex Card. Pallavicini, *Hist. Conc. Trid.* lib. XVIII, cap. 14, et lib. XXI, cap. 11 et 13, nihil tamen definitum est.

(1) Cfr. Bened. XIV, op. cit. lib. VII, cap. 8, n. 7, qui hæc in rem nostram habet: *Episcoporum jurisdictio sive sit immediate a Christo, sive a summo Pontifice, ita semper huic subest, ut, consentientibus omnibus catholicis, ejus auctoritate et imperio limitari, atque ex legitima causa omnino auferri possit.* Cfr. etiam Muzzarelli, diss. IV cit., inter opuscula varia, pag. 358 et seqq.

runt IV seculo, fuisse accidentalialia et accessoria; sic perperam infertur, accidentalibus juribus primatus pontificii ea esse accensenda, quæ post sex aut septem secula Pontifices exercuerunt. Accedit, adjuncta posteriorum seculorum ac rei ecclesiasticæ et politicæ statum vix non necessariam effecisse novam disciplinam, quæ sensim ac sine sensu antiquæ suffecta est, antequam Isidorianæ decretales confingerentur (1). Ex his liquet, quid sentiendum sit de duplici jurium classe, quam febroniani excogitarunt; ut silentio prætereamus, quæ animadvertenda essent circa illa *supremæ inspectionis* et *supremi provisorii regiminis* jura, quæ ipsi commenti sunt, necnon de *devolutione*, quam vocant, jurium accidentalium a metropolitanis et synodis provincialibus, quæ supponit quod adhuc in controversia est; ut prætermittamus insuper absurdum, quod ex istorum neotericorum theoria profluit, Ecclesiam scilicet posterioris ætatis non esse æque fidelem interpretem voluntatis Christi, ac fuerit Ecclesia primitiva.

715. Ad 3^m, *Dist.* Si Christus ita constituisset dignitatem primatiam, *conc.*; si ita non constituit, *neg.* Inutile prorsus est congerere aut sibi confingere incommoda, quæ ex suprema auctoritate ita constituta provenirent, si plane constet de Christi Ecclesiæ architecti et conditoris voluntate. Jam vero nullo alio limite voluit Christus primatiam circumscribi dignitatem præter illum, quem præfigeret ejus abusus in destructionem Ecclesiæ. Nihil enim Pontifex potest efficere, quod vergeret in Ecclesiæ destructionem; ac, si quid ejusmodi moliretur, nulli censerentur ejus actus. At in ædificationem omnia potest. Hoc tantum et nullo alio limite circumseptam voluit Christus Vicarii sui auctoritatem. Adversariorum porro est evincere disciplinam, tot seculorum usu atque œcumenicorum Conciliorum auctoritate firmatam, vergere in detrimentum Ecclesiarum particularium. Experientia autem ostendit, haud exigua inde bona in Ecclesiæ ædificationem dimanasse (2).

(1) Cfr. Ballerinii, op. et loc. cit. *De collectione Isidoriana*; Bianchi, *Dell'esterior polizia della chiesa*, tom. IV, lib. II, cap. 3, § 5, pag. 450 et seqq.;

Zaccaria, op. et loc. cit. diss. III, cap. 3 et 4.

(2) Cfr. Roskovány, op. cit. § 56.

716. Ad 4^m, Resp. nihil plane absoni exinde oriri, nisi quod ab anticipatis adversariorum judiciis apprehenditur.

717. Obj. secunda. 1^o Certum est, metropolitae et synodos provinciales pacifica possessione ad plura secula obtinuisse atque exercuisse jura, quæ deinceps ad se privative traxerunt rom. Pontifices. 2^o Hæc autem usurpatio legitima fieri non potest, sive nonnullorum metropolitae culpa et ignavia, sive frequentibus ad Pontificem recursibus aut devolutionibus causarum, sive synodorum provincialium intermissione, sive denique temporis lapsu, cum nulla detur adversus legitimam possessionem præscriptio (1). 3^o Incommoda porro, quæ ex hac rom. Pontificum dominandi libidine oriuntur, ætate jam sua deflens S. Bernardus, querebatur *de Ecclesiarum detruncatione, qua subducuntur abbates Episcopis, hi metropolitanis, hi patriarchis seu primatibus* (2). 4^o Sane, ex quo regulares suis Episcopis subducti sunt, relaxari monastica disciplina cœpit, atque ex appellationibus ad rom. Pontificem clericorum facinoribus omnibus aditus aperiri. 5^o Demum nisi ad pristinae disciplinæ normam revocetur pontificiæ auctoritatis exercitium, quænam regula ei præfigi poterit, ne sibi cuncta surripiat? Ergo.

718. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Ex concessione rom. Pontificum

(1) Scheill, cum in adjectionibus ad § 240 *Instit.* Schenklii merito rejecisset juriam accidentalium natales, ut ipse loquitur, a nonnullis excogitatos, nempe *Pontificum ambitionem, Isidori falsas decretales, secula rudia, regularium Papæ imperium promoventium conatus*, alios ipse natales his juribus adscribit, saltem tanquam *præcipuas causas*, videlicet *Episcoporum* et *Metropolitae* in conservandis suis juribus *incuriam*, et maxime *negligentiam in officio*, facilitatem et *indulgentiam* nimiam, aut contra imperiosorem dominationem, *impotentiam* eorum ad abusus reprimendos, perpe-

tuum *recursum* et causarum ad Papam remissionem, *infrequentiam synodorum provincialium, simoniam, incontinentiam*, aliorumque vitiorum impune grassantium labem, et inde ortam necessitatem, ut summa Sedes auctoritatem suam interponeret, hasque demum causas sibi servaret; *jus patriarchale* rom. Pontificis per Occidentem, ac *jus devolutionis* ob omisas synodos provinciales. Fatendum tamen est hunc auctorem præ ceteris moderatum se exhibere, et addictum S. Sedi.

(2) *De consider.* lib. III, cap. 4, num. 14.

revocabili, *conc.*; ex concessione irrevocabili, *neg.* Verum est, Episcopos, metropolitans ac provinciales synodos ad plura secula juribus usos esse, quæ temporis tractu ad se summi Pontifices revocarunt; sed et illud certum est, Episcopos, metropolitans ac synodos iis juribus auctas esse ex concessione sive expressa sive tacita rom. Pontificis, cui ex Christi institutione competit plenitudo potestatis in universam Ecclesiam. Dum propterea Pontifices, pro temporum, locorum ac personarum adjunctis, aliquid de propriis ac insitis primatiali dignitati suæ juribus cesserunt ad Ecclesiæ bonum et utilitatem, censendi non sunt ita propriam cedere auctoritatem voluisse, ut, si Ecclesiæ bene verteret, illam ad se ex integro revocare non possent; quod neque in ipsorum erat potestate. Quare, dum etiam vigeret pacifica illa jurium possessio, identidem Pontifices ex potestatis plenitudine per se eadem jura exercuerunt, quoties nempe Ecclesiæ bonum postulavit. Hinc, eodem Ecclesiæ bono exigente, factum est, ut temporis lapsu eadem ad se jura revocarent.

719. Ad 2^m, *Neg.* suppositum adversariorum, qui odiosa *usurpationis* denominatione legitimam adscititiæ auctoritatis revocationem designant. Diximus *adscititiæ auctoritatis*, quia jura illa, quibus Episcopi, metropolitæ aut synodi antiquitus fruebantur, non ex intima gradus episcopalis, metropolitici aut synodalis natura profluebant, sed unice ex ecclesiastica, seu potius ex Pontificis concessione, qui fons et origo est totius immediatæ ecclesiasticæ jurisdictionis, aut saltem supremus ejus exercitii moderator existit (1). Concidit proinde superstructa Febronii ac febronianorum machina, de nullitate præscriptionis adversus legitimam jurium possessionem; quæ quidem ad summum valeret quoad jura propria seu intime connexa cum gradu, quem prælati respective obtinent, et ex eo profluentia, non autem si eidem extrinseca sint et adventitia, ut in eo quod vindicamus contingit (2).

(1) Cfr. Ballerin. *De vi et ratione primatus*, cap. 3, tum in op. *De potestate ecclesiastica*, cap. 1, § 1; item Bianchi, op. cit. tom. IV, lib. II, cap. 1; Christ. Lupus, *In S. Grego-*

rii VII dictatum, opp. edit. Venet. tom. V.

(2) Cfr. Ballerin. op. cit. *De potest. eccl.* loc. cit.

720. Ad 3^m, *Dist.* Et S. Bernardi querelæ abusus in administratione afficiunt, *conc.*; Pontificium jus et potestatem, *neg.* Dolet scilicet S. Doctor nonnullos abusus, qui irrepserant ex parte subditorum se extollentium adversus prælatos suos, occasione aut obtentu quarumdam exemptionum, ut vocant. Hortatur proinde Pontificem, ne sine necessitate aut utilitate illas facile concedat, ne tollat graduum distinctionem sapienter in Ecclesia constitutam, utque ea plenitudine potestatis, qua divinitus præditus est, in ædificationem et non in destructionem utatur. At jura Pontificis non solum non attingit, sed semel iterumque et pluries hoc ipso in loco inculcat et adstruit (1). Aliud porro est loqui de jure, aliud vero de ratione utiliter jus exercendi, sine detrimento videlicet auctoritatis, quæ unicuique juxta vigentem disciplinam competit. Nullam autem graduum perturbationem ex pontificia administratione induci, ex longa tot seculorum experientia abunde liquet (2).

721. Ad 4^m, *Dist.* Qui tamen abusus æque ac forte pejus inoleverunt, quin regulares subducerentur, et quin appellaretur ad Papam, quique compensantur ex aliis emolumentis inde manantibus, *conc.*; secus, *neg.* Satis est oculos conjicere in antiquiora historiæ ecclesiasticæ monumenta, ut facile quisque sibi persuadeat, monasticæ disciplinæ vincula fuisse disrupta et abusus obtinuisse, etiam cum monachi suis immediate subde-

(1) En S. Bernardi verba, quæ immediate subdit eodem in loco : *Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia potestis; sed utrum et debeatis, quæstio est.* Et n. 15 : *Quid item, pergit, tam indignum tibi, quam ut totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam atque exiguas portiones ipsius tibi creditæ universitatis, tanquam non sint tuæ, satagas nescio quomodo adhuc facere tuas?* Ex qui-

bus luculenter patet, S. Abbatem jurium distinctionem in Pontifice haud agnovisse. Alia plura ejusdem S. Doctoris in hanc rem testimonia cfr. apud Ballerin. in *Vindiciis auctoritatis pontificiæ cont. Febronium*, cap. 4, n. 2 et seqq. Verum clarissime mentem suam aperit S. Bernardus in eodem cap. 4, n. 18.

(2) Cfr. Ballerinius, *ibid.* cap. 6, ubi quod asserimus luculentissime ostendit; necnon Muzzarelli, *Il buon uso della logica*, opusc. v.

rentur Ordinariis, et Episcopus ultro fassos fuisse, se impares omnino esse ad eos tollendos, aut ad disciplinam in suo vigore restituendam (1). Quod vero ad clericorum attinet appellationes, cum juxta Tridentinum sententiæ executionem illæ non suspendant, quoties de moribus agitur (2), patet, ex eis nullum facinoribus aditum aperiri. Accedit præterea, Episcopus in pluribus casibus, tanquam delegatos apostolicos extraordinaria potestate præditos esse, ex ejusdem Concilii Tridentini dispositione (3); item metropolitans in suos suffraganeos, necnon patriarchas seu primates in metropolitans et Episcopus jura sua exercere. Partim igitur falsa, partim exaggerata sunt, quæ ad invidiam conflandam in Sedem apostolicam adversarii comminiscuntur, perinde ac si subditi omnes ab immediata superiorum suorum jurisdictione arcerentur.

722. Ad 5^m, Resp. iterum nullam aliam regulam pontificiæ auctoritati præfigi posse præter eam, quam ei præfixit Christus

(1) Cfr. inter cætera, quæ de monachis non exemptis sui temporis scripsit RATHERIUS, in sex libris *Præloquiorum*, in cit. edit. col. 9 et seqq. et in *Confessione seu Excerpto ex dialogo confessionali*, ibid. col. 249 et seqq. ut silentio præteream, quæ ex historia ecclesiastica IV, V, etc. seculorum erni possent.

(2) Sess. XIII, cap. I, *De reform.*
tum sess. XXII, cap. I, *De reform.*

(3) Vel ipse Bossuetus, in sermone habito ad comitia cleri Gallicani Parisiis 1681, distinguens potestatem a Christo Petro collatam ab illa, quam contulit Apostolis, aperte profitetur, potestatem Petro traditam fuisse *super omnes sine restrictione, nec alios terminos habere, nisi quos præscribit REGULA. Elle n'a de bornes que celles que donne la RÈGLE.* Hæc autem regula, cui suberat idem Petrus, qui *super*

omnes sine restrictione præfectus fuerat, nulla lex humana esse poterat, sed naturalis ac divina, nempe bonum Ecclesiæ. Hinc GELASIUS, *Epist. XII, ad Dardaniæ Episcopos*, edit. Ven. Coleti, col. 326, scribebat: *Uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ ceteris oportere quam primam, quæ et unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet.* Ex quibus postremis verbis sensus apparet priorum verborum: *quod universalis Ecclesiæ probavit assensus*, quibus nonnulli male abutuntur.

Dominus, Ecclesiæ videlicet bonum. Quare si Ecclesiæ bonum id exposcat, modo angustiori, modo ampliori auctoritate uti poterit rom. Pontifex, qui solus præterea iudex esse potest eorum, quæ pro temporum, locorum ac personarum adjunctis, in casibus sive generalibus sive particularibus, præstanda sint ad eisdem Ecclesiæ ædificationem. Quælibet alia regula arbitraria erit atque ex perduellionis spiritu proficiscens.

CAPUT IV.

DE ROMANI PONTIFICIS PRIMATUS DOTIBUS.

723. Cum ex iis, quæ hactenus disputavimus, constet, rom. Pontificem ratione primatus, quem divinitus obtinet, caput esse universæ Ecclesiæ, consequitur, dotes omnes ac prærogativas, quas Ecclesiæ vindicavimus, eminentiori quodam modo reperiri debere in rom. Pontifice, prout in humano etiam individuo caput eminentiori ratione in se continet, quidquid in membris excellentiæ invenitur. Vidimus porro, duas præcipue dotes in Ecclesia eminere, *infallibilitatem* in docendo et *auctoritatem* in regendo; quapropter et has in rom. Pontifice agnoscamus necesse est (1). Cum vero de posteriori hac dote satis constet ex iis, quæ superiori capite potissime disceptavimus (2), ne longius

(1) Quod enim spectat ad *indefectibilitatem*, quæ altera est ex tribus, quas enumeravimus, Ecclesiæ dotibus, locum hic non habet, nisi forsitan seriè ipsam rom. Pontificem excipias; ast sub hoc respectu, cum identificetur cum Ecclesia ipsa, cuius pars essentialis et constitutiva est, ideo jam in tuto est posita.

(2) Ubi egimus de natura et juribus primatus; ex quo consequitur, pollere rom. Pontificem potestate suprema ferendi leges disciplinares, aliaque præstandi, quæ ad bonum Ecclesiæ conferunt unitatemque ejus servandam. Ceterum cfr.

quæ hac de re habet Zaccaria, in *Antifebronio*, tom. II, dissert. II, cap. 8, et tom. III, lib. II, cap. I et seqq. nec non Cl. J. Ignatius Moreno, archidiaconus Ecclesiæ metropol. Limnæ in Peruvia, in egregio op. cui tit. *Ensayo sobre la supremacia del Papa*, trib. vol. in 8, quod primum in America, deinde Matriti recusum est an. 1838-1840, præsertim vol. I, ubi de hac legislativa rom. Pontificis auctoritate fuse agit; atque in aliis voluminibus plura ex iis, quæ capite superiori egimus adversus neotericos, solide et vere catholico sensu adstruit copioseque defendit.

tractationem hanc protrahamus, coarctamus eam ad priorem tantummodo dotem rom. Pontifici vindicandam, nempe ad irreformabilem pontificii primatus auctoritatem adstruendam in fidei morumque judiciis.

724. Hæc porro dos seu prærogativa plures nacta est adversarios, præsertim post editam declarationem cleri Gallicani anno 1682, cujus quartus articulus ita se habet: *In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesie consensus accesserit* (1). Ideo autem irreformabile ante Ecclesie consensum censetur non esse ab hujus articuli auctoribus judicium summi Pontificis in dogmaticis decretis, quia ipsi minime infallibilem esse existimant in suo magisterio ejusdem auctoritatem. Communis autem Catholicorum sententia est, rom. Pontificem ejusmodi infallibilitatis prærogativa a Christo Domino præditum esse, ita ut errare nequeat, cum tanquam supremus Ecclesie Primas aliquid de fide credendum aut tenendum universis Christi fidelibus proponit.

725. Quoniam vero ex bene definito quæstionis statu ejus solutio maxime pendet, idcirco nonnulla præmittenda sunt, quæ viam sternant ad illum recte constituendum.

726. Ac 1^o dogmaticæ definitionis nomine, seu, ut trito jam loquendi usu obtinuit, definitionis editæ *ex cathedra* significatur rom. Pontificis decretum, quo proponit aliquid universæ Ecclesie de fide tenendum, aut respuendum veluti fidei contrarium, sub censuræ aut anathematis pœna (2).

(1) Apud Bossuetum, *Defensio declarationis conventus cleri Gallic.* Opp. edit. cit. vol. xxxi.

(2) Quapropter neque facta personalia, neque præcepta, neque rescripta, neque opiniones, quas identidem promunt rom. Pontifices, neque decreta disciplinæ, neque omissiones definitionis, aliaque id genus plurima in censu

veniunt decretorum, de quibus agimus. Quanquam enim hæc omnia pro summa auctoritate, ex qua dimanant, magno semper in pretio habenda sint, ac humili mentis obsequio ac veneratione non constituunt definitionem ex cathedra, de qua loquimur, et in qua sola adstruimus Pontificiam infallibilitatem.

727. 2^o Controversia agitari solet, utrum ejusmodi decreta vim habeant omnes et singulos cogendi ad præstandum interio-rem intellectus ac voluntatis assensum, ante expressam aut tacitam Ecclesiæ acceptationem, tanquam judicia irreformabilia, nec ne. Qui tenent rom. Pontificem ex cathedra definientem infallibilem esse, affirmant; qui fallibilem adstruunt, negant.

728. 3^o Qui in dogmaticis definitionibus ex cathedra editis rom. Pontifici infallibilitatem adjudicant ante Ecclesiæ acceptationem aut probationem, minime dispescunt summum Pontificem ab Ecclesia ipsa, ita ut seorsum spectent solum caput, seorsum vero membra seu corpus; hoc enim perinde esset ac capitis ab eo dignitatem auferre. Nam eatenus rom. Pontifex caput Ecclesiæ est, quatenus *unum* cum ea corpus constituit, ex capite scilicet ac membris coalescens. Cum proinde ex officio rom. Pontifex aliquam edit dogmaticam definitionem, eaque universæ Ecclesiæ credendum aliquid aut rejiciendum veluti fidei contrarium proponit, necessario tanquam unitatis centrum ministerio fungitur sibi a Christo commisso.

729. 4^o Quando rom. Pontifex suas fidei definitiones emittit, propria non edit; sed ea, quæ in revelationis deposito per Scripturam et traditionem ad nos derivata asservantur, profert. Quod si in revelationis deposito veritas fidei, quæ a rom. Pontifice discernitur, continetur, fieri omnino nequit, ut fidem diversam Ecclesiæ reliquæ profiteantur ab illa, quam definit rom. Pontifex, quæque necessario etiam continetur in traditione Ecclesiæ romanæ, quæ, quatenus rom. Pontificem Episcopum habet, pars *essentialis* totius Ecclesiæ est.

730. 5^o Imo et illud adjicimus, quæstionem hanc *in concreto* ut aiunt, et in praxi vix supervacaneam non videri. Etenim cum aliquis error aut hæresis alicubi exurgit, illius regionis præsules, in qua hæresis suboritur, primi ut plurimum sunt qui arma sumant adversus profanam novitatem; ipsi commonefaciunt

Cfr. quæ scite non minus quam prudenter hac de re observat, post Canum et Bellarminum, Petrus Ballerinius,

De vi ac ratione primatus, cap. 15, § 10.

Pontificem de novo errore, ejusque judicium atque definitionem exposcunt. Rom. Pontifex mature quod sibi propositum est perpendit, diuturnamque instituit inquisitionem, ut ea qua par est prudentia ac maturitate in difficillimis gravissimisque negotiis se gerat. Rumores excitantur, scripta hinc inde prodeunt, Concilia interdum provincialia aut nationalia etiam ad rem discutiendam coguntur; plures quandoque anni in his dilabuntur, antequam sancta Sedes definitionem suam emittat, uti experientia constat (1). Quando proinde summus Pontifex ultimum suum judicium profert, integrum negotium plane maturuit. Quamobrem fieri nequit, ut Ecclesia vel insurgat adversus Pontificis dogmaticum judicium, aut illud reformare possit; ac nunquam certe accidit rom. Pontificem in definitionibus dogmaticis solum extitisse. Quod si Episcopi inter se divisi sint, alique cum Pontifice, contra Pontificem autem alii stent, nulli catholico ignota regula est: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia* (2), adeoque eos necessario errare, qui contra Pontificem se erigunt, cum Ecclesiam non amplius ipsi, sed factionem acephalam constituent (3).

(1) Hujus agendi rationis luculentum suppetit exemplum in controversia janseniana, quæ diu agitata atque discussa in Galliis fuerat. Romam, ubi novum est institutum examen, janseniani suos delegatos miserant; singula magna solertia ac diu fuere perpensa, in quadraginta aut quinquaginta congregationibus sive coram Pontifice sive coram Cardinalibus ad hoc delectis, qui octo postremis mensibus illius biennii, quo examen istud confectum est, usque ad triginta tres interveniebant, donec Innocentius X, an. 1653, die 31 Maii celebrem constitutionem edidit, quæ incipit: *Ex occasione*. Cfr. *Histoire des cinq Propositions de Jansenius*, Liège 1699, tom. 1, liv. 1. Aliud recentius adhuc exemplum habemus in

Constitutione Pii VI, *Auctorem fidei*, quæ toto decennio a celebrata pseudosynodo Pistoriensi, nempe an. 1794, exarata est.

(2) S. Ambros. *Enarrat.* in Ps. xl, n. 30.

(3) Id apertissime constat ex tot factionibus, quæ identidem in Ecclesiis orientalibus excitatæ sunt, præsertim vero ex occasione schismatis Acaciani. Quamvis porro magno numero essent Episcopi, qui cum suis patriarchis restiterunt rom. Pontifici, absque ulla dubitatione illi omnes et soli ad unitatem Ecclesiæ pertinuisse habiti sunt, qui rom. Præsuli adhæserunt. Quapropter Bossuetus, in *Instructione pastorali de promissis Ecclesiæ factis*, agens adversus hæreticos autumantes, Ecclesiam

731. Ex hisce animadversionibus vix, uti innuimus, non absoluta hæc controversia videri potest. Ne tamen muneri nostro in re gravissima deesse videamur, fundamenta præcipua a nobis exponi debent, quibus doctrina nostra fulcitur. Cum vero hæc partim ex Scriptura, partim ex traditione et Ecclesiæ praxi, partim vero denique ex facto ipso desumantur, tres erunt propositiones, quibus hoc argumentum absolvemus.

PROPOSITIO I.

Rom. Pontifex ex cathedra definiens in rebus fidei et morum infallibilis est, ejusque dogmatica decreta, etiam antequam accedat Ecclesiæ consensus, sunt prorsus irreformabilia; prout in primis sacræ Litteræ ostendunt.

732. Tria potissimum oracula ejusmodi Petri, seu rom. Pontificis infallibilitatis prærogativam in publico magisterio dogmatico adstruunt, ita ut irreformabilia evadant ejus decreta, etiam ante Ecclesiæ consensum.

733. Primum illud est, quod legitur Luc. XXII, 31 et seqq. cum dixit Christus: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quibus verbis tria Christus effecit: prædixit scilicet futu-

visibilem in fide deficere posse, n. 32, hæc præclare scribit: *Il ne faut qu'un peu de bon sens et de bonne foi pour avouer que l'Église chrétienne dès son origine a eu pour une marque de son unité sa communion avec la Chaire de saint Pierre, dans laquelle tous les autres sièges ont gardé l'unité, in qua sola unitas servaretur, comme parlent les saints Pères (Optat. cont. Parm. lib. II); en sorte qu'en y demeurant, comme nous faisons, sans que rien ait*

été capable de nous en distraire, nous sommes le corps qui a vu tomber à droite et à gauche tous ceux qui se sont séparés eux-mêmes... Dans cet inviolable attachement à la Chaire de saint Pierre, nous sommes guidés par la promesse de Jésus-Christ. En igitur tesseram exploratissimam unitatis veræ Ecclesiæ, *communione cum cathedra S. Petri.* Opp. edit. cit. tom. XXII, pag. 423 et seqq.

ram Apostolorum in communi tentationem circa fidem, *expetivit vos*, ac proinde Ecclesiae in eorundem persona; deinde affirmavit Petro, se speciatim orasse pro eo. ac propterea pro successoribus suis, ne fides ejus aliquando deficeret, *ut non deficiat fides tua*; demum onus seu munus injunxit Petro confirmandi in fide fratres suos, nempe Ecclesiam expetitam a Satana, ut eam cribraret, *confirma fratres tuos*. Quibus ex verbis hoc instruimus argumentum: juxta adducta verba Ecclesia obnoxia futura erat tentationi, et Christus praesens ei remedium praeparavit in speciali oratione pro Petro, futuro Ecclesiae capite, adeoque pro ejus successoribus fusa, ut a Petro ac successoribus ejus, quorum fides deficere non poterat, eadem in fide confirmaretur. Jam vero si Petrus, seu rom. Pontifex infallibilis non esset, seu deficere posset fides ejus, dum publico magisterio fungitur in dogmaticis decretis, dicendum foret, aut Christi orationem pro Petro inefficacem fuisse, aut sufficienti remedio Christum Ecclesiae suae nequaquam consuluisse. Ergo, cum neutrum sine blasphemia et Christi injuria admitti possit, sequitur, dotem hanc infallibilitatis in Petro ejusque successoribus esse agnoscendam. Rursum: si decreta dogmatica rom. Pontificis possent reformari ab Ecclesia, eo quod rom. Pontifex, etiam dum universam docet Ecclesiam, posset deficere in fide, duo exurgerent contra Christi promissa; ac primo, quod Ecclesia, prout distinguitur a capite, praedita esset infallibilitate, cum tamen haec ei non competat, nisi quatenus unum corpus cum capite suo constituit; secundo, quod inverteretur ordo a Christo constitutus; nam non amplius Petrus confirmaret fratres suos, sed potius fratres Petrum in fide confirmarent, secus ac Christi verba exposcunt (1).

734. Alterum oraculum desumitur ex Matth. XVI, 17 et seqq.: *Beatus es Simon Bar-Jona... et Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalerunt adversus eam*. Quamvis porro daremus

(1) Cfr. *Lettere sopra de' quattro articoli detti del clero di Francia*, Card. Liitta. Lett. xxiv.

adversariis, secus ac ferat sensus antiquitatis ipsaque rei natura de qua agitur (1), postrema verba, *et portæ inferi non prævalent adversus eam*, non ad petram, sed ad Ecclesiam referri; attamen, nisi velimus Christum uti stultum architectum traducere, qui ad sustinendum regendumque ædificium æternum petram elegerit fragilem et ineptam, fatendum est, exinde infallibilitatem Petri seu rom. Pontificis, in iis quæ ad fidem pertinent, evidenter constabiliri. In communi enim hominum sensu non petra seu fundamentum soliditatem firmitatemque suam ab ædificio acquirit, sed e converso ædificium a fundamento. Sed si Petrus in fidei decretis reformari ab Ecclesia posset, præter absurda illa, de quibus paulo ante diximus, sequeretur, non Ecclesiam seu ædificium a Petro, fundamento scilicet, consolidari, sed Petrum, nempe fundamentum a superstructo ædificio, id quod Christi adversatur sententiæ. Eo magis quod Christus ideo stultum vocaverit hominem, cujus domus cecidit ex irruentibus imbribus et flantibus ventis, quia illam non ædificasset super firmam petram, sed potius inordinate super arenam extruxisset. At ita se Christus in adversariorum hypothesi plane gessisset, quod vel cogitare absonum et impium esset.

735. Tertium denique nobis suppeditat S. Joannes, XXI, 15 et seq. in illis verbis a Christo redivivo Petro dictis: *Pasce agnos meos... pasce oves meas*. Pastoris hujus munus non solum in Sacramentorum administratione, verum etiam, imo præcipue in veræ doctrinæ ministerio consistit. Porro Christus per adducta verba Petrum universi gregis sui, agnorum et ovium pastorem constituit; quare, licet Episcopi pastores sint respectu illius gregis portionis, quæ ipsorum curæ commissa est: *Pascite, qui in vobis est gregem Dei*, attamen et ipsi agni aut oves sunt respectu supremi pastoris, scilicet Petri seu rom. Pontificis juxta

(1) Cfr. ibid. necnon Emmanuel Sa, *Scholia in quatuor Evangelia*, in hunc loc.; quamvis vero Maldonatus et Corn. a Lapide intelligant de Ecclesia, attamen exinde colligunt infallibilitatem

rom. Pontificis, cum non alia de causa dicatur a Christo Domino, portas inferi prævalere non posse adversus Ecclesiam, quam quod hæc ædificata sit supra firmam petram.

illud : *Fiet unum ovile et unus pastor* (1). Ergo et ipsi tenentur hujus *pastoris vocem audire et eum sequi* (2). Jam vero, si rom. Pontifex in publico suo ac solemniori magisterio in rebus fidei errare posset, an non universum gregem in errorem induceret? Restat igitur ut dicamus, si Christum, nobis præcepit, ut magisterio Petri, in iis præsertim quæ ad fidem pertinent, nosmetipsos subjiceremus, Petrum vicarium suum infallibilitate in his donasse, quo tuto prospiceret fidei nostræ integritati; alioquin in errores contra fidem necessario induci possemus. Accedit, quod in adversariorum hypothesi non amplius esset pastor qui oves pasceret, ac per tutam duceret semitam; sed ipsæ oves pascere pastorem, ac devium illum in viam revocarent, quod absonum est ac apertæ Christi menti omnino opponitur. Gratis denique abstruitur ab adversariis, Ecclesiam a capite distinctam infallibilitatis dote pollere ad caput suum corrigendum, cum tamen neque ex Scripturis neque ex traditione id uspiam appareat, imo appareat plane contrarium. Constat igitur ex Scripturis, quod evincendum assumpsimus (3).

DIFFICULTATES.

736. Obj. prima. Abs re profertur primum testimonium ad adstruendam rom. Pontificis infallibilitatem, cum in eo agatur de favore personali Petri; sermo enim illic est de imminente Apostolorum tentatione in passione Christi, de lapsu Petri ejusque conversione. 2^o Distingui præterea debet in illis Christi verbis onus Petro impositum *confirmandi fratres* ab oratione, quam

(1) Joan. x, 16.

(2) Ibid. 27. Sane vel ipse Bossuetus, in *Meditationibus super Evangelium*, die LXX, Christi verba : *Pasce agnos... pasce oves*, exponit etiam de Episcopis, dum Christum sic loquentem inducit : *Pais les mères comme les petits*, et adjicit : *Ce qui revient au*

commandement de les affermir dans la foi, puisque cela même, c'est gouverner le troupeau. Opp. edit. cit. tom. x, pag. 22.

(3) Cfr. Ballerinius, op. cit. *De vi et rat. primat.* cap. 12, § 1 et seqq. in quibus copiose singulos hos textus evolvit.

Christus pro eo fudit; quippe hujus orationis objectum est Ecclesia ipsa a Petro tanquam capite repræsentata, et in Ecclesia suum habet effectum. Ergo.

737. Resp. Ad 1^m, *Neg.* Etenim quamvis proxima Apostolorum tentatio et Petri lapsus occasionem Christo præbuerint verba illa proferendi, cum tamen munus, quod iis Christus Petro commisit confirmandi fratres in fide, sit munus publicum ab eo exercendum ut Ecclesiæ Primæ atque in Ecclesiæ ipsius utilitatem, patet, minime favorem personalem aut personale privilegium extitisse, sed privilegium adnexum primatui, qui cum perpetuus esse deberet, perpetuum pariter esse debuit privilegium, quod ei Christus Dominus adjecit. Ita rem Ecclesiæ etiam Patres intellexerunt, uti ex dicendis constabit; nec Bossuetus ipse repugnat (1).

738. Ad 2^m, *Dist.* In Ecclesia suum habet effectum *mediante Petro, conc.*; eo excluso, *neg.* Nec enim abnuimus, Christi orationem habere potissime pro objecto Ecclesiæ utilitatem in eaque compleri, verum id verificatur per Petrum, pro quo Christus singulariter oravit, ut confirmaret fratres in fide.

739. Obj. secunda. Nec alterum testimonium quidpiam evincit; siquidem 1^o Petrus, Matth. XVI, dictus est petra ratione primatus honoris ac jurisdictionis, quo pollet super Ecclesiam

(1) Etenim in *Meditat.* cit. pulchre connectit, quæ leguntur Matth. xvi, cum iis quæ expendimus, scribens pag. 16 : *Qui peut douter que saint Pierre n'ait reçu par cette prière une foi constante, invincible, inébranlable, et si abondante d'ailleurs, qu'elle fût capable d'affermir, non-seulement le commun des fidèles, mais encore ses frères les Apôtres et les pasteurs du troupeau, en empêchant Satan de les cribler? Et cette parole revient manifestement à celle où il avoit dit : Tu es Pierre; je t'ai changé ton nom de Simon en celui de Pierre, en signe*

de la fermeté que je te veux communiquer, non-seulement pour toi, mais encore pour toute l'Église, car je la veux bâtir sur cette pierre. Et iterum, in *Medit.* die LXXII, ibid. pag. 28 : *Il y devoit toujours avoir un Pierre dans l'Église, pour confirmer ses frères dans la foi; c'étoit le moyen le plus propre pour établir l'unité des sentimens, que le Sauveur désiroit plus que toutes choses; cette autorité étoit d'autant plus nécessaire aux successeurs des Apôtres, que leur foi étoit moins affermie que celle de leurs auteurs.*

universam, non ratione infallibilitatis in fidei decretis, saltem quoad ejus successores. 2^o Multo vero minus ejusmodi privilegium probatur ex eo, quod Petrus constitutus sit Ecclesiæ fundamentum; cum Ecclesia non a fundamento secundario ac minus principali mutuetur firmitatem in fide, sed a fundamento primario, interno et essentiali, cujusmodi solus est Christus Jesus, et quo solo fundamentum secundarium, Petrus nempe ejusque successores, solidum perstat, quamdiu Ecclesiæ totius ædificio aptissime adhæret, minime vero si forte ab ipso propter hæresim sejungatur (1). Ergo.

740. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m, prob. *Dist.* Etiam, *conc.*; solum, *neg.* Utrumque enim Christus Petro contulit, et primatum et infallibilitatem; nam hæc illi necessaria est, ut primatus munere rite fungeretur. Portæ enim inferi prævalerent adversus petram, ac proinde ex dictis etiam adversus Ecclesiam, si petra fundamentalis ac visibilis Ecclesiæ in solemnibus iudiciis circa fidem erraret; cum concipi nequeat, quomodo ædificium, collapsio fundamento cui totum innititur, subsistere valeat.

741. Ad 2^m, *Neg.* Siquidem quamvis fateamur, quod inficiatur nemo, firmitatem fidei ac religionis in Ecclesiam promanare a Christo, capite ac fundamento primario; nihilo tamen minus contendimus, singulari munere Christi constitutum esse Ecclesiæ fundamentum secundarium perpetuo in terris visibile Petrum, qui ejus vice fungi deberet; fundamentum nempe quod accessione omnipotentis virtutis suæ Christus firmum reddit ac immobile, ut fundamenti istius præsidio firma et immobilis consistat Ecclesia. Alioquin, si quidpiam valeret adversariorum argumentum, nulla esset ratio, quare tribueretur Ecclesiæ ipsi infallibile magisterium.

742. Obj. tertia. Nullius demum roboris est argumentum, quod instruitur ex Joan. XXI. Nam 1^o etiam Episcopi singuli pastores sunt, quibus populi subjecti obedire tenentur; nec tamen colligi potest singulorum infallibilitas. 2^o Quod si quis contendat, Pontifici

(1) Ita fere Tournely, *De Eccles.* memb. ex Script. edit. Paris. tom. v, quæst. v, art. III, in resp. ad 1^m part. II, pag. 109.

competere infallibilitatem, eo quod Ecclesiæ universæ præses sit, pastor et doctor, ac propterea Ecclesia ei obtemperare debeat, is vehementer errat; nec enim Ecclesia universa Pontifici sibi inferiori, sed potius Pontifex Ecclesiæ utpote sibi superiori obedire tenetur. 3^o Necessè quidem est, ut omnes et singulæ Ecclesiæ Pontifici obsequantur, *sed sana rectaque suadenti*, ut Gelasius loquitur (1); seu necesse est, ut obsequantur, *sed obsequio*, ut ait Apostolus, Rom. XII, *rationabili*, suum nempe interponendo iudicium, ac definitis a Pontifice ex animi sententia consentiendo, quo accedente consensu, firmum ac irreformabile evadit Pontificis ipsius iudicium. Nunquam vero accederet consensus ille, nisi perspectum haberent, sanum ac revelatæ fidei consentaneum Pontificis decretum extare. 4^o Neque obest, tunc oves iudicare pastorem; quidni enim, si oberret pastor? Non posset quidem ab ulla particulari Ecclesia iudicari summus Pontifex; sed potest ab Ecclesia universa, cui subjacet tanquam præcipuum membrum (2). Ergo.

743. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m, prob. *Neg. paritatem.* Episcopi enim singuli ad summum nocere possent peculiari gregis portioni, cui præsumt, ac multiplici præterea ratione ejusmodi partiali damno posset occurri, uti toties factum est, nec proinde Ecclesia universa in discrimen veniret. Contra vero rom. Pontifex, utpote pastor supremus et universalis, si falsum dogma evulgaret fide credendum, Ecclesiæ universæ damnum inferret, donec saltem totus orbis catholicus reclamaret (3). Et hic iterum observamus, gratis adversarios supponere, Ecclesiæ, quatenus distincte seu seorsum a rom. Pontifice spectatur, competere pollicitationes ac prærogativas, quibus Christus eam cumulavit; cum tamen certo constet, has ei non contulisse Christum, nisi prout cum capite unum ac integrum corpus efficit. Hoc constanter laborat vitio adversariorum hypothesis.

744. Ad 2^m, *Neg.* Superius enim hoc paradoxon expunximus, Petrum scilicet caput quidem esse singulorum membrorum,

(1) *In Common. ad Faustum.*

(2) Ita Tourn. *ibid.*

(3) Cfr. Ballerin. *De vi et rat. prim.* cap. 15, § 3.

non autem corporis totius; supremum item pastorem esse singularum ovium, minime vero universi gregis, cum tamen Christus dixerit universim: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; et: *Pasce oves meas*. Novum plane est, corpus præesse capiti, gregem ducere pastorem, ædificium regere fundamentum.

745. Ad 3^m, *Dist.* Si ovium esset judicare pastorem, *conc.*; secus, *neg.* Ecquis enim judex erit, in rebus præsertim vere dubiis, ut loquitur Bellarminus (1), utrum Pontifex sana rectaque suadeat, an prava suggerat? Præsertim cum exploratum sit, integra Concilia, eaque numerosissima sine Pontifice turpiter errasse? Accedit, perperam adversarios existimare haud esse rationabile obsequium, quod a singulis Ecclesiis exhibetur Pontifici ex cathedra dogmatice definienti, nisi prius expenderit intrinseca fundamenta, quibus innixus Pontifex illud fidei decretum emisit. Nonne protestantes ac sectarii omnes idem ipsum possent adversus Ecclesiæ definitiones excipere (2)? Demum assument adversarii in hac etiam difficultate, ut in ceteris aliis, Ecclesiam seu potius Episcopos inerrantia præditos a Christo esse separatim a capite, quod tamen evincere nequeunt. Neque illud silentio prætereundum, in praxi hanc doctrinam summopere noxiam esse, cum sectarii omnes eludere possent rom. Pontificum decreta, quibus eorum proscribuntur novitates, quæ præsentī remedio indigent, donec constiterit de expresso vel tacito Ecclesiæ assensu, et interim longe lateque impune possent errores suos disseminare (3).

746. Ad 4^m, *Neg.* ut patet ex resp. ad 2.

(1) *De rom. Pont.* lib. iv, cap. 3, n. 33.

(2) Hæc sane est perpetua protestantium exceptio, quod Ecclesia postulet *cæcam* suis dogmaticis definitionibus adhæSIONem. Janseniani vero exinde commentum suum excogitarunt de necessitate consensus Ecclesiæ universæ, ut ir retractabile censi debeat Concilii œcumenici decretum, qui consensus, antequam præbeatur, ut rationabilis

sit, ex ipsorum principiis vi examinis elici debet. Satis enim in his est principium jacere, ut deinde evolvatur et applicetur.

(3) Si quis attente perpendat, quinam demum sint, qui moras nectunt, ne Pontificis dogmaticis definitionibus se subjiciant, comperiet, non Ecclesiam gallicanam, non gallicanum clerum ita se gerere, sed nebulones atque factiones. Qui quidem cum videant, actum

PROPOSITIO II.

Rom. Pontifex ex cathedra definiens in rebus fidei et morum infallibilis est, ejusque decreta, etiam antequam accedat Ecclesiæ consensus, sunt prorsus irreformabilia; prout etiam evincitur ex sensu traditionali.

747. Sensus Ecclesiæ traditionalis de rom. Pontificis infallibilitate nobis patescit qua dictis qua factis. Rursum dicta seu sententiæ possunt bifariam distribui, nempe in eas quæ adducta Scripturarum oracula exponunt de rom. Pontificis infallibilitate, et in eas quibus generatim hæc eadem doctrina firmatur. Sic facta pariter, quæ huc spectant, duplicis sunt generis: alia quæ ex catholicis, alia quæ ex hæreticis desumuntur. Ne tamen prolixiores simus in iis afferendis, potiora ex singulis classibus seligemus; reliqua vero indicare contenti erimus una cum auctoribus, apud quos collecta et expensa reperiri possunt.

748. Atque ut a biblicorum, quæ memoravimus, testimoniorum expositione exordiamur, primo occurrunt Patrum sententiæ in illud Luc. XXII: *Rogavi pro te*, etc. Itaque vetus auctor *Quæstionum ex N. T.*, allatis Christi verbis, ita prosequitur: *Quid ambigitur? Pro Petro rogabat, et pro Jacobo et Joanne non rogabat, ut ceteros taceam? Manifestum est, in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in præposito populus aut corripitur aut laudatur* (1); id est, dum pro solius Petri fide immediate roga-

esse de propriis novitatibus ex damnatione a rom. Pontificibus edita, ut earum vim elidant, illico excipiunt, rom. Pontifices haud infallibiles esse in suis decretis, juxta gallicanam doctrinam, nisi accedat Ecclesiæ consensus; et interim de abyso in abyssum proruant, obtendentes hac ratione immunitatem. Nunquam sinceri catholici, et qui bona fide se gerunt, definitionibus Pontificiis obsistunt; cujus rei præclarum exemplum præbuit universis Galliis totique orbi catholico illustrissimus

Cameraecensis archipræsul Fenelonius, nunquam satis commendandus, dum humiliter adeo se subjecit damnationi latæ a S. Sede operis sui inscripti *Maximes des Saints*.

(1) In Append. ad part. 1, tom. III, opp. S. Augustini, col. 73 et seqq. Jure proinde Bossuetus, in *Medit. cit. lxx jour*, exponens Christi verba: *Ego autem rogavi pro te*, prosequitur: *Pierre, j'ai prié pour toi, pour toi en particulier, pour toi avec distinction: non qu'il ait négligé les*

vit, rogavit mediate pro Ecclesiæ totius fide, quæ in ea petra ac fundamento subsistit; uti pariter exposuerunt S. Leo M. (1), Gelasius, Pelagius II, Vitalianus, Hadrianus I, necnon S. Agatho in *Epist. ad Imper. Constantinum*, quæ in sexta œcumenica Synodo a Patribus lecta et communi calculo probata est (2), item Arnulfus, Paschalis II, Innocentius III, aliique passim (3). Cum vero id colligant ex munere Petro commisso confirmandi fratres in fide, seu ratione primatus, qui in successores ejus transfunditur, ideo, quæ Petro dicta sunt, rom. Pontificibus applicant. Quare perbelle S. Bernardus hæc addit: *Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quidem hujus prærogativa Sedis. Cui enim aliquando dictum est: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua? Ergo, quod sequitur, a Petri successore exigitur: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (4). Quod nec gallicani ipsi diffitentur (5).

autres; mais, comme l'expliquent les saints Pères, parce qu'en affermissant le chef, il vouloit empêcher par là que les membres ne vacillassent. C'est pourquoi il dit: J'ai prié pour toi; et non pas, j'ai prié pour vous.

(1) Serm. iv, Natal. sui, n. 3, edit. Ballerin. cujus hæc verba sunt: *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri curæ suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tri-*

buitur, per Petrum Apostolis conferatur.

(2) Apud Ballerin. op. cit. *De vi*, etc. cap. 15, § 3, n. 10.

(3) Ibid.

(4) *Epist. cxc*, seu *Tract. contra quædam capitula errorum Abaelardi; ad Innoc. II, præf.* edit. Mabill. tom. 1, col. 649.

(5) Afferamus adhuc pauca verba ex Bossueto, loc. cit. pag. 17, ubi loquens de Petro: *Il est donc, de nouveau chargé de toute l'Église; il est chargé de tous ses frères, puisque Jésus-Christ lui ordonne de les affermir dans cette foi, qu'il venoit de rendre invincible par sa prière. Et in op. Defens. declarat. lib. x, cap. 3, scribit: Hoc ergo ex officio Petrus habet, hoc Petri successores in Petro acceperunt, ut fratres confirmare jubeantur.*

749. Nec minus Patres consonant in adserenda unanimi sensu inconcussa rom. Pontificum fidei firmitate ex Matth. XVI. Sane Origenes, explanans verba illa : *Non prævalebunt adversus eam*, interrogat : *Quam autem eam? An enim petram, super quam Christus ædificat Ecclesiam, an Ecclesiam? Ambigua quippe locutio est : an quasi unam eandemque rem, petram et Ecclesiam? Hoc ego, respondet, verum esse existimo ; nec enim adversus petram, super quam Christus Ecclesiam ædificat, nec adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt* (1). Eadem habent SS. Hilarius, Ambrosius, Augustinus, qui præterea rom. Pontificum serie commemorata, subdit : *Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ* (2). Ita etiam Cyrillus Alex., Leo M., Simplicius Papa, Gelasius (3).

750. Luculenta pariter sunt, quæ Patres habent de adstruenda inconcussa fidei firmitate in Petro ejusque successoribus, expendentes verba Christi Joan. XXI. Sic inter ceteros S. Augustinus (4), S. Maximus Taurinensis (5), ac reliqui Patres, qui simul conjungere tres evangelicos relatos textus consueverunt, ut Petro ejusque successoribus tum primatum in universam Ecclesiam, tum immobilem in fide firmitatem ad Ecclesiam in eadem fide solidandam vindicarent (6).

(1) Tom. XII, *In Matth.* n. 11. edit. Maur. opp. tom. III, pag. 526. Hæc Origenis verba paulo aliter redduntur ab antiquo interprete, nempe : *Manifestum est, quia nec adversus petram illam, super quam ædificatur Ecclesia, nec adversus Ecclesiam, quæ ædificatur super hujusmodi petram, portæ prævalebunt inferorum.* Cfr. *ibid.*

(2) In *Psalm. cont. partem Donati.*

(3) Apud Baller. op. cit. cap. 15, § 2.

(4) Loc. cit. ubi laudata Pontificum serie subjicit : *Ipsa est petra*, etc. quo ostendit non ad unum Petram, sed ad successores etiam ipsius in romana Sede

eam Christi promissionem pertinere, uti observat Baller. loc. cit.

(5) Serm. LXIV, ac *De nat. SS. Apost. Petri et Pauli*, IV, edit. Rom. 1784, col. 578.

(6) Plura alia Patrum in hunc sensum test. cfr. apud Baller. loc. cit. necnon apud Card. Orsi, *De irreformabili rom. Pontific. in definiendis fidei controvers. judicio*, Romæ 1739, tom. II, lib. IV, cap. 2, art. 1 ; cfr. etiam Salmeron. *Comm. in Evang.* Colon. Agripp. 1604, tom. XI, tract. XXX, pag. 242 et seqq.

751. Huc accedunt, prout innuebamus, Patrum effata quibus dotem hanc universim romanis adjudicant Pontificibus: hi Patres sunt qui adstruunt in omnibus necessitatem consentiendi ac conveniendi ad rom. Cathedram, si quidem fideles esse velint (1); qui fidenter affirmant per successionem rom. Pontificum quoscumque posse hæreticos confundi, cujusmodi inter ceteros est Irenæus (2); qui docent catholicum eum esse, qui fidem habet romanæ Ecclesiæ, uti Hieronymus (3); qui post romanum rescriptum clamant: *Causa finita est*, uti Augustinus (4); qui asseverant Petrum semper in propria sede et vivere et præsidere, ut *præstet quærentibus fidei veritatem*, uti Petrus Chrysologus (5); qui prædicant ad romanam Sedem *perfidiam habere non posse accessum*, uti Cyprianus (6). Ex his porro aliisque ejusmodi quamplurimis, quæ afferri possent, Patrum testimoniis, luculenter patet eos semper pro certo habuisse rom. Sedem, seu rom. Pontificem in dogmaticis decretis a recta fide deficere non posse (7).

(1) Apud Baller. op. cit. cap. 12, § 1, n. 1 et seqq.

(2) *Contra hæres.* lib. III, cap. 3.

(3) Lib. 1, *In Ruffinum*, n. 4, edit. Vallars. tom. II, col. 461.

(4) Serm. cxxxI, n. 10. Mirum est, quomodo se torqueant ad hæc Angustini verba prolata pro concione, ut eorum vim eludant, infallibilitatis pontificiæ adversarii; verum Card. Orsi, op. cit. lib. III, cap. 2, art. un. strenue illa defendit; item Zaccaria, *Antifebronio*, tom. III, part. II, lib. 1, cap. 3, n. 13; ac Bolgeni, *Episcopato*, edit. cit. vol. III, appendice DD, ubi præterea innumera pene Patrum testimonia congressit ad evincendum constantem hac in re antiquitatis sensum. Cfr. etiam ejusdem opus: *Risposta al libro: Cos' è un appellante?*

(5) In *Epist. ad Eutychem Presby-*

terum, cap. 2, inter epist. S. Leonis M. edit. Ballerin. n. 25, col. 779.

(6) *Epist. LV, ad Cornelium*, edit. cit. pag. 86.

(7) Præter citt. auctores, cfr. etiam Petitdidier, *Traité théologique sur l'autorité et l'infaillibilité des Papes*, Luxembourg 1724. Hic tractatus in latinum versus prostat etiam in *Thesauuro Theol. Zaccariæ*, tom. VII, part. II. Qui omnes post Bossuetum scripserunt; anteriores enim, adversus quos scripsit idem Meldensis Episcopus, nolui commemorare, ne quis exciperet, eos ab illo confutatos fuisse. Nequeo tamen perillustri antistiti Meldensi non opponere clarissimum aliud Ecclesiæ gallicanæ decus, magnum nempe Cameracensem antistitem, Fenelonium, in *Diss. De summi Pontificis auctoritate*, opp. cit. edit. Versailles 1820, tom. II.

752. Verum præter sententias Patrum huc spectant publica facta, quæ eandem in antiquitate obtinuisse doctrinam manifeste produunt. Tale in primis est Catholicorum agendi ratio; ex hac enim constat, 1^o Novatores damnatos a solis rom. Pontificibus illico uti hæreticos habitos esse, antequam cogerentur œcumenica Concilia (1); 2^o plures errores tanquam hæreses spectatos fuisse ex sola rom. Pontificum damnatione absque Conciliorum celebratione (2); 3^o Conciliorum œcumenicorum decreta velut irreformabilia minime fuisse habita ante rom. Pontificum confirmationem, imo interdum rejecta hujus confirmationis defectu (3); 4^o exortis vixdum controversiis, ad eas dirimendas Episcopos undique ad rom. Præsules oculos convertisse, eosque rogavisse, ut quod ipsi de iis sentirent patefacerent (4); 5^o Catholicos omnes constanter acquievisse pontificiis dogmaticis decretis, neque iis nisi solos hæreticos oblectatos esse (5); 6^o universam Ecclesiam ratam habuisse formulam ab Hormisda subscribendam propositam, in qua hæc infallibilitas constituitur (6); 7^o demum in publica liturgia hanc ipsam prærogativam romanæ Ecclesiæ, seu romano Pontifici fuisse assertam (7). Quæ quidem omnia aut supponunt aut adstruunt apertissime rom. Pontificis infallibilitatem, eamque ante expressum aut tacitum Ecclesiæ consensum.

753. Hanc denique doctrinam omnino consignat ipsa agendi ratio hæreticorum. Tam alte enim pervaserat omnium animos in antiquitate persuasio, ineluctabilia plane esse quæ per rom. Pontifices in fidei decretis sancirentur, ut hæretici ipsi in concilianda sibi illorum sententia enixe adlaborarint. Sane inter ce-

(1) Hoc est argumentum, quod copiose et erudite evolvit Card. Orsi, duobus volum. seu tom. 1, *prima et secunda parte*, op. cit. *De irreformabili rom. Pontificis in definiendis fidei controversiis judicio*. Id enim luculenter ostendit de Macedonianis, Nestorianis, Eutychnianis, etc.

(2) Cfr. Petitdidier, op. cit. cap. 2 et seqq.

(3) Cfr. ibid. cap. 16, et Card. Orsi, op. cit. tom. 1, part. II, cap. 2 et seqq.

(4) Cfr. Ballerin. op. cit. *De vi et ratione prim.* cap. 14.

(5) Ibid. cap. 15, § 11.

(6) Ibid. cap. 13, § 16.

(7) Apud eumd. in *Append. de infallib. Pontificia in definitionibus dogmaticis*, § 12, in conclus.

teros ita se gesserunt Pelagius ac Cælestius, quorum alter, oblata Innocentio I fidei confessione, concludit: *Sin autem hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobatur; quicumque me maculare (al. culpate) voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit* (1); alter vero quanquam objectos sibi a Paulino errores damnare noluit, *sed beati Papæ Innocentii litteris non est ausus obsistere; immo se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum promisit*, Augustino teste (2). Quorsum vero hæc, nisi receptum tunc temporis fuisset, rom. Pontifices in fide errare non posse (3)? Postea quidem amota larva, cum se damnatos viderint, patefecerunt quo animo illa affirmarent; sed interea testimonium præclarissimum prodidere de catholicæ Ecclesiæ sensu.

754. Ex luculentissimo hoc sensu traditionali factum esse reor, ut gallicana Ecclesia, usque ad celebrem anni 1682 declarationem, eandem constanter professa nobiscum fuerit doctrinam, prout ex certissimis documentis constat (4).

(1) Cfr. *Libellus fidei Pelagii, ad Innocentium*, in append. opp. S. Augustini, tom. x, *Varia scripta et monumenta ad Pelagianorum historiam pertinentia*, col. 97.

(2) Lib. *De peccato originali*, c. 7. Cfr. de hoc argumento Lud. Du Mesnil, Soc. J. *Doctrina et disciplina Ecclesiæ*. Colon. 1730, tom. II, lib. xx, n. 38 et seqq.

(3) Hinc merito anonymus auctor, quamvis adversæ partis, in *Traité de l'autorité du Pape*, La Haye 1720, lib. 1, cap. 3, n. 8, pag. 90: *Methodus, priorum reformatorum*, inquit, *est argumentum magni ponderis adversus ipsos. Disputationis initio confessi sunt, Papam esse supremum Christi vicarium; nec ejus auctoritatem in dubium revocare çæperunt, nisi cum contra ipsos definivit, perinde ac si*

judez desinat esse judez, cum adversus aliquam partem sententiam pronuntiat, vel si veritas, cum incommoda esse incipit, veritas amplius non sit.

(4) Hyacinthus Serry, in Appendice historica *De mente Ecclesiæ gallicanæ et academiæ Parisiensis circa rom. Pontificis infallibilitatem*, quam adjecit dissertationibus duabus *De romano Pontifice*, num. 15: *Anno tantum 1682*, inquit, *novos de romanorum Pontificum infallibilitate sensus induit clerus gallicanus, et ab avita suorum doctrina deflexit, dum solemnem de ecclesiastica potestate declarationem in comitiis generalibus edidit... En primam antiquæ doctrinæ de rom. Pontificum infallibilitate dissertationem, publico cleri nomine solemniter factam... En vera certa que mu-*

DIFFICULTATES.

755. Obj. prima. 1° Perperam antiqua traditio invocatur ad ejusmodi privilegium rom. Pontifici adstruendum, cum quæstio hæc antiquis plane esset ignota. 2° Sane adducta testimoniorum congeries rem non conficit, cum vel *de solo Petro* loquantur, vel *de Ecclesia catholica*, vel *de Sede romana*, minime vero de solis rom. Pontificibus. 3° Quod si nonnulla ex recensitis de his loqui videntur, non de ipsis Pontificibus singillatim, sed de ipsorum serie ac successione ita sunt accipienda, ut significant, fidem a Petro traditam semper fuisse ab ea custoditam, aut custodiendam fore usque ad consummationem seculi, ut confirmentur fideles, quod nemo ambigit. Si enim contigerit quempiam errare, cum error a successore corrigatur, dici propterea nequit, portas inferi adversus fidem Petri esse prævalituras. 4° Accedit, etsi errent Pontifices, haud consequens esse cathedram romanamve Sedem a fide desciscere, cum juxta notum Leonis M. effatum: *Aliud sunt sedes, aliud præsidentes* (1). 5° Demum haud semper presse Patrum effata accipienda sunt, cum urbanitatis quandoque et officii causa ita fuerint locuti. Ergo.

tatæ solemniter hoc in capite sententiæ epocha. Amplissimis vero seculorum omnium documentis, a tota quoque gallicana Ecclesia, et ab academia Parisiensi ad an. usque 1682 deductis, avitam hanc nobilissimæ illius Ecclesiæ doctrinam constanter perseverasse evincit. Nec minus luculenter id ipsum ostendit Gard. Orsi, op. cit. tom. II, lib. IV, cap. 17 et seqq. Non pauca etiam documenta congegit Muzzarelli, in op. *Il buon uso della logica*, etc. opusc. III, *Primato ed infallibilità del Papa*. Verum omnibus palmam facile præripuit cl. Soardi, in regia universitate Taurinensi prof., in opere quod duobus voluminibus in 4° complexus est: *De suprema romani Pontificis*

auctoritate hodierna Ecclesiæ gallicanæ doctrina, Avenione 1747; ubi postquam in erudita præfatione ostendit hanc semper inhæsisse Ecclesiæ gallicanæ sententiæ de pontificia in decretis dogmaticis infallibilitate, documentis omnigenis in priori parte demonstrat, etiam ab an. 1680 usque ad ætatem suam strenuos semper assertores et vindices avitæ doctrinæ in Ecclesia gallicana viginisse. Hoc opus denuo recusum est paucos ante annos Moguntia, ac Pio VII immortal. mem. nuncupatum. Cfr. etiam Com. De Maistre, *Du Pape*, liv. I, ch. I.

(1) *Epist. cvii. edit. Baller. ad Anatolium Episc. Constant.* cap. 5.

756. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Id est, *formula*, sub qua nunc proponitur, ignota fuit, *trans.* vel *conc.*; res ipsa, *neg.* Quid enim Patres de ipsa re senserint, abunde liquet et ex eorum dictis et ex eorum agendi ratione; alioquin nunquam potuissent publicam rom. Pontificis de fide doctrinam uti regulam certam assignare, qua orthodoxi ab heterodoxis, vera a falsa doctrina discernerentur, prout ipsi fecerunt.

757. Ad 2^m, *Neg.* Siquidem, cum de Petro loquuntur Patres, de eo disserunt, quatenus primas, caput et fundamentum Ecclesiæ suæ a Christo constitutus est; cum vero ex Patrum traditione hæc eadem auctoritas competat *jure divino* ejus successoribus, consequitur, ex eorundem doctrina etiam Petri successoribus eas competere prærogativas, quæ in gratiam primatus et adnex muneris Petro fuerunt communicatæ.

758. Sic etiam: loquuntur interdum Patres de Ecclesia catholica, quatenus in petræ soliditate fundata est, *conc.*; independenter ab illo solidissimo fundamento, *neg.* ut patet ex ipsorum locutionibus; nam indidem ipsi colligunt Ecclesiæ in fide inconcussam stabilitatem.

759. Demum Patres loquuntur de Ecclesia seu cathedra romana, quatenus Episcopus habet successores Petri, *conc.*; alio sensu, *neg.* Illa enim ratione seposita, a reliquis Ecclesia romana non distingueretur. Quæcumque enim sunt privilegia, quibus romana fruitur Ecclesia, ea, præsertim vero fidei firmitas, ob quam Patres mirifice illam extollunt, unice a Petro ejusque successoribus derivant (1).

(1) Auctores omnes, qui hoc de argumento scripserunt adversus gallicanos, hanc distinctionem non ita pridem invectam inter rom. Pontificem et *Ecclesiam*, sive *sedem* aut *cathedram* romanam, perinde ac si Ecclesiæ aut sedis aut cathedræ romanæ fides indefectibilis sit, non item vero fides etiam *ex cathedra* definita a rom. Pontifice, nisi constet eam conformem esse fidei Ecclesiæ romanæ, hanc dis-

inctionem, inquam, expunxerunt, et jure merito; siquidem ideo Ecclesiæ romanæ fides indefectibilis est, quia profitetur eam fidem, quam Petrus ejusque successores, Ecclesiæ universæ Primates, professi sunt et profitentur. Hac enim causa sublata, potuisset ac posset fides rom. Ecclesiæ deficere, uti defecit in Ecclesia Antiochena et Alexandrina.

760. Ad 3^m, *Neg.* Hoc enim est effugium excogitatum ad eludendam traditionis vim. Concipi autem nequit, quomodo possint Pontifices singuli ex cathedra errorem in fide credendum Ecclesiæ proponere, et tamen in eorundem Pontificum serie fidei indefectibilitas permaneat (1). Deinde, non solum seriei, sed Pontificibus singulis munus incumbit confirmandi fratres in fide; cum vero in hunc finem Christus illis infallibilitatis dotem contulerit, patet, aut nullis aut singulis illam competere (2).

761. Ad 4^m, *Neg.* Ad effatum vero Leonis M., *Dist.* Aliud sunt sedes aliud præsidentes, quatenus sedium jura non pendant ex meritis aut demeritis personalibus præsulum, pro tempore sedentium, *conc.*; quatenus jura sedium non competant præsidentibus, *neg.* Profecto aliam in hoc effato non fuisse mentem S. Leonis, patet ex ejus scopo, nimirum sartos tectosque custodiendi nicænos canones, qui sua cuique sedi jura servanda præfinierant, neque sinebant, ut ob personalem Dioscori impietatem secundæ sedis jus adimeretur Alexandrinæ et in Constantinopolitanam transferretur (3). Ceterum non pro sede Romana,

(1) Circa hoc Bossueti effugium legendus omnino est Com. de Maistre, in op. *Du Pape*, liv. 1, ch. 11, ubi inter cetera scribit: *C'est à peu près comme s'il (Bossuet) avoit dit que tous les empereurs romains doivent être considérés comme la personne d'Auguste continuée; que si la sagesse et l'humanité ont paru quelquefois trébucher sur ce trône dans les personnes de quelques-uns, tels que Tibère, Néron, Caligula, etc. on ne sauroit dire néanmoins qu'elles aient jamais manqué entièrement, puisqu'elles devoient ressusciter bientôt dans celles des Antonin, des Trajan, etc.* Atque ut alibi observat, series Pontificum esset infallibilis, etsi Pontifices singuli possent hæretici esse. Cfr. *De l'Église gallicane*,

liv. 11, ch. 12, scilicet Pontifices, in Bossueti hypothesi, *in abstracto* essent infallibiles, fallibiles vero *in concreto*.

(2) Certe S. Augustinus, in *Ps. cont. part. Donati*, cum scripsisset: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit videte*, subdit: *Hæc est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*, perinde ac si diceret: *In hoc successionis ordine nullus Donatista episcopus invenitur*; si enim vel unus Donatistarum erroribus inquinatus reperiretur, satis fuisset ad seriem illam vitiandam. Cfr. Ballerin. op. cit. *De vi et rat. prim.*, cap. 15, § 5, n. 20.

(3) Prout contendebat Anatolius, quem acriter arguit hac epistola S. Leo.

sed pro Petro ejusque successoribus rogavit Christus, ne deficerent in fide, et sic in ea fratres confirmare possent.

762. Ad 5^m, *Neg.* Hæc enim meræ urbanitatis officia patrum gravitatem dedecent; alioquin idem posset de eorum dici testimoniis, quibus rom. Pontificum primatus adstruitur. Equis præterea dixerit, Conc. œcumenicorum Ephesini, Chalcedonensis et Constantinopolitani III acclamationes, atque Hormisdæ formulæ subscriptionem sapere officiosam urbanitatem?

763. Obj. secundo. Facta a quæ occurrunt in antiquitate, componi nequeunt cum adserta Pontificis infallibilitate. Etenim 1^o ex iis constat, editas a rom. Pontificibus definitiones nunquam irreformabiles existimatas esse, donec ad eas accesserit consensus Ecclesiæ sive dispersæ sive in Conciliis congregatæ, ut patet ex iis, quæ scribit S. Leo ad Theodoretum: *Quæ nostro prius ministerio definierat (Deus), universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu* (1); qui præterea subdit: *Sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas* (2). Ergo duo exinde explorata sunt: primo, ante Concilii confirmationem dogmaticas Pontificum sanctiones *irretractabiles* non esse; secundo, ante ejusmodi assensum, *liberum* examen esse pontificalium definitionum, ut eis quis possit assentire aut ab eis dissentire; quæ de infallibili judicio nefas est dicere. 2^o Exinde factum est, ut passim celebrarentur Concilia ad ea ipsa infallibili ac irretractabili auctoritate definienda, quæ prius fuerant a Pontificibus definita, 3^o atque ut a pontificiis definitionibus provocaretur ad Concilium generale. 4^o Sane, nisi ita se res haberet, Concilia œcumenica non solum haud essent necessaria, sed prorsus inutilia, cum sine tot opum rerumque publicarum dispendiis et incommodis a solo rom. Pontifice posset infallibili ac irretractabili auctoritate dirimi quæstio. Ergo.

764. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. verò, admissa S. Leonis auctoritate, ad 1^m sequelam, *Dist.* Si hic *irretractabilis assensus* afficiat dogmaticam S. Leonis definitionem, *trans.*; si afficiat Patres

(1) Epist. cxx, edit. Baller. cap. 1, col. 1219.

(2) Ibid. col. 1120.

Chalcedonenses, *neg.* Jam vero *irretractabilem* hunc assensum non afficere pontificiam definitionem, ceteris omissis (1), aperte constat ex iis ipsis, quæ objiciuntur verbis : *Quæ (Deus) nostro prius ministerio definivit*; alioquin absurde deberemus admittere, posse retractari, quæ *a Deo definita sunt*. Itaque insequentibus verbis : *Universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu*, S. Leo Patrum Chalcedonensium significavit assensum, quem *irretractabilem* evasisse affirmat ob illorum adhæsiorem pontificiæ definitioni, cum tota irretractabilis vis decretorum Concilii generalis, in his potissimum quæ ad fidem pertinent, ab unitate pendeat cum apostolica romanæ Sedis fide. Sane, si vi sua definitiones Conciliorum etiam generalium irretractabiles essent, frustra Patres Chalcedonenses efflagitassent pontificiam confirmationem, ut *irretractabilia* fierent eorum decreta, prout eos fecisse novimus (2).

765. Ad alteram sequelam pariter, *Dist.* Liberum esse examen confirmativum, *conc.*; dubitativum seu in ordine ad assensum vel dissensum, *neg.* Quæ ut intelligantur, animadvertendum est, vix prolata ac lecta in Actione. II Conc. Chalcedonensis epistola S. Leonis, a Patribus universim acclamatum esse : *Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est* (3). Igitur examen, quod in gratiam Episcoporum *Illyricianorum* et *Palæstiniensium* sub finem ejusdem actionis permissum est de S. Leonis epistola, non potuit esse dubitativum cum libertate assensus vel dissensus, sed confirmativum plane fuit, *ut qui dubitabant docerentur* (4). Eo vel magis quod de examine age-

(1) Etenim S. Leo, quamvis indulserit Marciano, ut Chalcedone celebraretur Concilium, monuit tamen Imperatorem, epist. LXXXII, cit. edit. *ne cujusquam procaci imprudentique verusutia quasi de incerto quid sentiendum sit sinerit inquiri, nec cujusmodi sit fides tenenda, esse tractandum, sed quorum precibus et qualiter annuendum.* Et in aliis litteris, epist. nempe xc,

eumdem Principem rogavit, ne pateretur fidem *quasi dubiam* in Synodo *retractari*. Idem repetit epist. xciii, cap. 2, et epist. xciv.

(2) Cfr. Ballerin. tum in op. cit. cap. 13, n. 69, tum in not. 2, ad cit. *Epist. Leonis ad Theodoretum.*

(3) Apud Harduin. *Acta Conc.* t. II, col. 306.

(4) Ibid. col. 307,

retur epistolæ per subscriptionem Episcoporum ab universa Ecclesia jam receptæ, uti constat ex S. Leonis epistolis (1), et approbatæ, uti vidimus, per ejusdem Concilii acclamationes, quæ proinde juxta adversarios irreformabilis jam erat (2).

766. Ad 2^m, *Neg.* Cum ex modo dictis aliud sit liberum examen confirmativum, aliud vero dubitativum cum libertate assensus vel dissensus, quod nunquam permissum est circa dogmaticas rom. Pontificum definitiones, etiam ante omnem Ecclesiæ consensum. Cælestinus enim, Leo M., Agatho epistolas suas miserunt ad Concilia Ephesinum, Chalcedonense et Constantinopolitanum III veluti normam, quam sequerentur hæc Concilia, caventes expresse in mandatis, quæ suis legatis dederunt, ne quidpiam in iis, quæ ibi de fide continebantur, immutari paterentur (3).

767. Ad 3^m, *Dist.* Ab hæreticis seu sectariis, *conc.*; a Catholicis, *neg.* Si enim novatores excipias, nullos in tota antiquitate reperies, qui a damnatione per rom. Pontificem facta ad Concilium œcumenicum appellaverint. Quæ vero adduci solent exempla vel S. Cypriani vel Quartodecimanorum, non sunt de causis

(1) Nempe epist. cit. edit. LXXXVIII, ubi cap. 1, hæc expresse habet S. Leo: *Epistolam nostram, quam ad sanctæ memoriæ Flavianum de hac re plenissimam misimus, quamque Ecclesia universalis amplectitur.* Eadem repetit ibid. cap. 3; item in epist. xci.

(2) Cfr. Card. Orsi, op. cit. *De irreformabili rom. Pontificis judicio*, tom. 1, part. 1, ubi copiose ac inelutabili prorsus ratione ostendit, examen, quod interdum permissum est de iis quæ antea circa fidem definita jam fuerant a rom. Pontificibus, nullo modo adversari irretractabili eorum dogmatico judicio. Adfert enim luculentissima exempla decretorum dogmaticorum, quæ ab œcumenicis Synodis jam

lata fuerant, quæque propterea uti irreformabilia ab omnibus catholicis semper habita sunt, et tamen fuere in aliis subsequentibus Conciliis iterum examini subjecta; nemo autem dicet, ejusmodi examine quidpiam detractum fuisse priori firmitati, quam jamdiu eadem obtinerent, aut posse vocari istud examen dubitativum. Cfr. præsertim c. 15, art. 1 et seqq. qui propius ad rem nostram referuntur; item cap. 17, art. 1 et seqq. tum part. II, cap. 37, art. 1; necnon Ballerini, in nota 14 ad cit. *Epist. ad Theodoret.* in hæc ipsa quæ objiciuntur verba. Hoc examen a Ballerinio vocatur *revisionis*.

(3) Cfr. citt. auctores.

dogmaticis, aut saltem ut dogmatica spectata non fuerunt (1).

768. Ad 4^m, *Dist.* Si cogherentur Concilia ad intrinsecam pontificiis dogmaticis decretis vim conferendam, *conc.*; si ad auctoritatem extrinsecam adjiciendam, ita poscentibus rerum adjunctis, *neg.* Dogmaticæ enim rom. Pontificum definitiones totam vim eamque coactivam ex se habent, adeo ut nemo vere catholicus iis obsistere possit aut refragari. Verum cum novatores eis contumaces obsistunt, turbas movent, incautos decipiunt, opus præterea est ut Concilia interdum convocentur, quo ex multorum collatis suffragiis atque solemnî adhæsiõne ad pontificiam definitionem magis pateat totius Ecclesiæ catholicæ fides, ac vel contumaces facilius ad unitatem revocentur, vel solemnîus eorum perviciaciãdamnetur. Experientia tamen ostendit, eos omnes, qui fidem et subjectionem pontificiis dogmaticis sanctionibus detrectarunt, eamdem detrectasse œcumenicorum Conciliorum decretis. Accedit, Pontifices ipsos identidem ejusmodi Conciliorum convocationem efflagitasse ut medium idoneum ad quæstiones implexas ac difficiles tutius discutiendas. Nec enim sive rom. Pontificis sive Concilii œcumenici infallibilitas excludit media ad veritatem de qua agitur assequendam, quippe, ut alias diximus, non per modum infusi doni, sed per modum præsidii, sive ut aiunt *adsistentiæ*, Deus illam promisit.

769. Obj. tertia. 1^o Christus infallibilitatem contulit Ecclesiæ universæ; ergo ab ea unice est exquirenda vera fides, et ab ejus

(1) Cfr. quæ de hoc argumento scripsimus in tract. *De Sacram. in genere*, cap. 3, prop. 1, n. 121. Ceterum huic etiam difficultati aptare possumus, quod Cl. Comes De Maistre respondebat Bossuet: *Bossuet veut-il nous prouver la nouveauté de cette doctrine* (de l'infailibilité)? *Qu'il nous assigne une époque de l'Eglise, où les décisions dogmatiques du Saint-Siège n'étoient pas des lois; qu'il efface tous les écrits où il a prouvé le contraire avec une*

logique accablante, une érudition immense, une éloquence sans égale; qu'il nous indique surtout le tribunal qui examinoit ces décisions et qui les réformoit. Au reste, s'il nous accorde, s'il nous prouve, s'il nous démontre que les décrets dogmatiques des Souverains-Pontifes ont toujours fait loi dans l'Eglise, laissons-le dire que la doctrine de l'infailibilité est nouvelle, qu'est-ce que cela nous fait? Du Pape, liv. 1, ch. 1, in fine.

consensu irrefragabile fit pontificium dogmaticum decretum. 2^o Nec obest, tenendam esse fidei unitatem cum rom. Pontifice, quandoquidem in *decisis* ea teneri debet necessario, non autem in *decidendis*. 3^o Alioquin non intelligitur, quomodo censeri et haberi non debeant ut hæretici, etiam ante consensum totius Ecclesiæ, qui refragantur dogmaticis Pontificum definitionibus, si hæ rei ipsa infallibiles essent. 4^o Satius proinde erit externam obedientiam *provisorie*, ut aiunt, exhibere, ne unitas proscindatur, donec scilicet aut Ecclesia non reclamet, aut assensum tacite vel expresse præbeat pontificiis dogmaticis definitionibus; 5^o absurdum quippe est affirmare, quempiam teneri ad assensum internum præstandum definitioni dogmaticæ, quæ proponitur ab ea auctoritate, cujus infallibilitas de fide non constat; 6^o præsertim cum minime compertum sit, utrum Pontifex ad dogmaticas suas edendas constitutiones consuluerit traditionem Ecclesiæ romanæ, Cardinales, clerum, atque alia subsidia adhibuerit, quæ tamen necessario adhibenda sunt, ut *ex cathedra* dici possit edita definitio. Ergo.

770. Resp. Ad 1^m, *Dist.* Cum Petro et mediante Petro ejusque in primatu legitimo successore rom. Pontifice, *conc.*; sine Petro ac immediate, *neg.* Ideo enim ex dictis portæ inferi non sunt prævalituræ adversus Ecclesiam, quia hæc fundata est supra firmam petram, quæ Petrus est, pro quo Christus speciatim etiam oravit, ut in fide confirmaret jugiter ac semper Ecclesiam, quam ejus curæ commisit. Hæc est œconomia circa infallibilitatem Ecclesiæ. Nunquam Christus, ut alias animadvertimus, aut hanc aut alias prærogativas Ecclesiæ suæ nisi cum Petro ac dependenter a Petro largitus est.

771. Ad 2^m, *Dist.* In *decisis* et in *decidendis*, *conc.*; in *decisis* tantum, *neg.* Alioquin nihil Christus speciali ratione contulisset Petro ejusque successoribus, quod cæteris æque non fuisset commune. Major difficultas non in adhæsiōne ad decisa seu definita consistit, sed in adhæsiōne ad decidenda, circa quæ fidelibus debet tuto innotescere, cui parti ex pluribus inter se disceptantibus adhærendum sit, ne decipiantur. Sane S. Hieronymus Damasum, S. Augustinus Innocentium, S. Cyrillus Alex.

Cælestinum, aliique omnes, non in decisis, sed in decidendis apostolicam Sedem consuluerunt. Romani ipsi Pontifices in suis decretis aut synodicis ad Concilia, non decisa, sed decidenda proposuerunt, iisque ut suis sese conformarent decretis interminaverunt. His addimus, novam oriri nunc temporis obligationem adhærendi doctrinæ Ecclesiæ Romanæ seu rom. Pontificis, ex ratione apostolicitatis, postquam scilicet reliquæ Ecclesiæ apostolicæ perierunt præcise ex defectu illius adhæSIONIS, quam tenere debebant cum Ecclesia Romana (1). Cum enim Ecclesia hæc sola superstiterit ex proprie dictis Ecclesiis apostolicis, jam ab Ecclesiis omnibus ad eandem recurrendum est Ecclesiam, ut hauriant doctrinam apostolicam, utque per participationem apostolicitatis nota perfruantur.

772. Ad 3^m, *Dist.* Si ejusmodi infallibilitas pontificia certa esset apud omnes certitudine fidei, *conc.*; si certa tantum sit certitudine, quæ exurgit ex vi demonstrationis, *neg.* Cum enim adhuc impune inter Catholicos ipsos quæstio hæc agitetur, nullaque expressa seu formalis circa eam prodierit definitio, inde fit, ut non statim veluti formales hæretici declarentur refractarii, donec ad pontificiam definitionem tacitus aut expressus Ecclesiæ consensus accesserit. Cum enim hic accesserit, ex

(1) Etenim ex celebri regula, quam tradidit Tertullianus, in lib. *De præscriptionibus*, quærenda est vera Christi doctrina in Ecclesiis matricibus sive apostolicis, quæ scilicet habuerunt auctores Apostolos, ac præcipue in Romana Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ut idem loquitur ibid. cap. 26, et ad quam *neesse est omnem convenire* Ecclesiam, ut ait S. Irenæus. Cum igitur ceteræ omnes apostolicæ Ecclesiæ defecerint, restat ut a Romana Sede, quæ sola hactenus in vera Christi fide superstes permanet per nunquam interruptam Pontificum suorum seriem,

perquirenda sit evangelicæ doctrinæ veritas, et cum ea necessario sit fidei unitas conservanda a reliquis Ecclesiis, quæ ab ea sola possunt apostolicam fidem derivare ex Tertulliani principio. Porro si rom. Pontifices errare possent in definitionibus dogmaticis, dum eas ceteræ ecclesiæ exquirunt, nonne in errorem traherentur ineluctabilem, cum hæc unica eis via suppetat, sive ad apostolicam doctrinam certo habendam, sive ad apostolicitatis notam conservandam? Cfr. de hoc argumento Card. Gerdil, in op. cit. *Esame de' motivi della opposiz. alla Bolla AUCTOREM FIDEI*, sect. 2, art. 4, opp. edit. rom. tom. xiv.

unanimi Catholicorum doctrina effugium quodlibet intercipitur. Ceterum contumaces illi jam rei sunt coram Deo et coram Ecclesia, atque ob agitatam hanc controversiam sola requiritur formalis declaratio, ut abscindantur a totius Ecclesiæ corpore in foro externo (1).

773. Ad 4^m, *Neg.* Ejusmodi externa observantia ac obsequium sine sincero et interiori mentis assensu turpis esset hypocrisis et simulatio, merito ab ipso clero gallicano damnata in Jansenianis, cum hi celebrem, quem vocant, *casum conscientiae* proposuerunt (2). Profecto unitas fidei, qua ex Apostolo *captivatur omnis intellectus in obsequium Christi* (3), præter externum obsequium interiorem assensum exposcit, ut omnes in rebus fidei *idipsum invicem sentiamus, et idipsum dicamus omnes* (4); quapropter sine interiori hoc mentis obsequio fidei unitas servari nullatenus potest. Absonum porro est, ubi de fide agitur, præstare assensum *provisorium*. Hoc effugium patribus nostris plane ignotum fuit (5).

(1) Hoc argumentum egregie evolvit Petrus Ballerinius, in toties laudato opere, *De vi et ratione primatus*, cap. 14, § 4.

(2) Hoc declararunt Episcopi Galli, dum aperte professi sunt in litteris ad Innocentium X datis an. 1653, die 19 Julii, dogmatica Sedis apostolicæ decreta *Divina æque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur*. Cumque *casus conscientiae* prodissset, quo pontificiis decretis obedientiae nomine debitum asserebatur externum quidem obsequium, non vero assensus internus, insurrexerunt illico gallicani præsules, præcipue vero Bosuetus et Card. de Noailles, remque ad apostolicam Sedem detulerunt, ac

die 14 Julii 1705 prodiit constitutio *Vineam Domini Sabaoth*, qua declaratum est, obedientiae, quæ constitutionibus rom. Sedis debetur, non satisfieri *obsequioso*, ut auctores casus vocabant, *silentio*, nec licere professionem ore vel scripto edere, si discordet a sensu et obsequio cordis, in quo sita est *vera orthodoxi hominis obedientia*. Ecclesia gallicana universa eam statim suscepit constitutionem, ac in omnibus diæcesibus publicandam curavit. Cfr. op. cit. cap. 13, n. 75.

(3) II ad Cor. x, 5.

(4) Rom. xii, 16; I ad Cor. i, 10.

(5) Hujus *provisorii* assensus inventor fuit Febronius, dum scripsit, definitionibus judiciisque dogmaticis rom. Pontificum obsequendum esse *provisorie*, saltem *non dogmatizando contra-*

774. Ad 5^m, *Dist.* Si præterea auctoritas illa jus non haberet cogendi ad interiorem assensum et obedientiam dogmaticis suis definitionibus, *trans.* vel *conc.*; si jus istud divinitus habeat, *neg.* Porro adversariis ipsis fatentibus, et constanti Ecclesiæ praxi suffragante, fideles omnes tenentur ex Christi institutione obedire Ecclesiæ capiti, de fide aliquid solemniter decernenti; cum vero ex dictis ejusmodi obedientia, ut vera sit, debeat esse ex corde, interior scilicet et sincera, patet, quamvis de fide aperte non sit rom. Pontificem infallibilitate pollere, omnes tamen cogi ad assensum interiorem dogmaticis pontificiis definitionibus præbendum; eo vel magis quod infallibilitas ista morali certitudine constet, et ex hac ipsa interioris obsequii obligatione, qua fideles omnes juxta ipsos adversarios adstringuntur ad dogmaticas pontificias constitutiones amplectendas, nos eruamus argumentum ad eam infallibilitatem evincendam (1). Si de fide esset hic articulus, jam illico formales hæretici atque ab Ecclesia extorres hoc ipso essent, quicumque illis definitionibus refragarentur.

775. Ad 6^m, *Dist.* Si prærogativa infallibilitatis non esset

rium, quamdiu non reclamet Ecclesia, apud Ballerin. in *Append. de infallibilitate Pont.* prop. 5, not. 3, 4. Exinde profluxit illud quod, Schenk, § 234, vocat jus, quo fruitur rom. Pontifex, *edendi decreta dogmatica provisorie.* Ita decipiuntur homines! *Provisorie* possemus mentis et cordis obsequio adhærere errori in fide, idque ex præcepto Christi, donec ab eo abduceremur per examen Episcoporum, qui ad sanam et catholicam doctrinam rom. Pontificem revocare possent. Ecquis devoret hæc absurda?

(1) Alioquin difficile omnino est, ne impossibile dicam, conciliare ejusmodi obligationem adhærendi mente et corde rom. Pontificum dogmaticis de-

cretis cum illorum sententia, qui tenent, rom. Pontificem, docentem ex cathedra universam Ecclesiam, errori contra fidem obnoxium esse. Quomodo hæc inter se adversarii componere valeant, profiteor me vere assequi haud posse. Addo, in praxi nunquam licite obsistere quempiam posse pontificiis dogmaticis judiciis, sub obtentu quod Ecclesia juridice contradicere queat Pontifici sic definienti. Nam hic casus est impossibilis, cum Ecclesia universa semper adhæserit et adhæreat atque adhæsura semper sit unitatis fidei centro, et Ecclesiæ unice apostolicæ, seu rom. Pontifici capiti suo. Propterea qui refragantur, hoc ipso se rebelles ac refractarios patefaciunt.

adnexa primatui Petri ac successorum ejus, *conc.*; secus, *neg.* Jam vero ideo a Christo Petrus ac successores ejus in bonum Ecclesiæ infallibilitate præditi sunt, quia primatum eis contulit. Cum autem primatus personalis sit, consequitur, non ab Ecclesia romana pendere Pontificum inerrantiam; sed e converso, omnia privilegia, quibus fruitur Romana Sedes, a Petro ejusque successoribus in eam dimanare. Per ipsos fidelibus patefit vera Ecclesiæ romanæ traditio; nec ulla nos necessitas urget inquirendi in media, quibus usus sit aut uti debeat rom. Pontifex ad solemnes suas dogmaticas definitiones edendas; alioquin semper eludi possent.

PROPOSITIO III.

Idipsum confirmatur ex facto ipso rom. Pontificum, quorum neminem in dogmaticis decretis errasse ostendi potest.

776. Perperam hactenus adlaboratum a nobis esset in adstruenda rom. Pontificis infallibilitate, dum quidpiam de fide esse ex cathedra decernit, nisi simul ostenderemus facto ipso perpetuo et constanti, nunquam rom. Præsules in suis dogmaticis constitutionibus in errorem contra fidem dilapsos esse. Si enim vel unicus ejusmodi error deprehenderetur, appareret, omnes adductas probationes in nihilum redactum iri. Huc propterea demum debui-
mus animum nostrum appellere, ut evinceremus verissime scripsisse S. Agathonem Pontificem: *Ejus vera confessio a Patre de cœlis est revelata, pro qua a Domino omnium beatus esse pronuntiatus est Petrus; qui et spiritalis oves Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit; cujus annitente præsidio hæc apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflecta est; cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia et universales Synodi amplectæ* (1). Quod vero nunquam factum esse usque ad ætatem

(1) In *Epist. ad Imp. Constant.* apud Harduin. *Acta Conc.* t. III, col. 1079

suam pronunciavit Agatho, ut nempe *deflexa fuerit apostolica Sedes a via veritatis in qualibet erroris parte*, insequentibus seculis nunquam pariter contigisse exploratissima res est, quamque ostendere aggredimur.

777. Cum vero negativa potius sit ejus probatio, quæ tota sistit in erroribus fidei adversantibus diluendis, quibus rom. Pontificum nomen aspergi solet, nonnulla præmittenda sunt, ut dicendis lumen affulgeat. Quandoquidem vero non de quibuslibet erroribus quæstio est, sed de iis tantum, qui in decretis dogmaticis ex cathedra emissis, dum scilicet Pontifices universam docerent Ecclesiam, iis exciderint, duo efficiant adversarii necesse esset ad Pontifices ex cathedra loquentes erroris insimulandos. Deberent *primo* ostendere, errorem objectum ita certo fidei errorem esse, nulla ut possit apta interpretatione purgari; *secundo*, esse præterea errorem definitionis dogmaticæ, seu definitionis *ex cathedra* latæ. Alterutrum enim si desit, multo vero magis si neutrum comprobetur, nulla poterunt ratione adversarii infallibilitatem, quam Pontificibus summis adstruebamus, impugnare. Porro cum nullus sit penitus error ex tot, quorum ab adversariis incusantur Pontifices, in quo modo una, modo altera ex recensitis conditionibus, modo etiam ambæ non desiderentur, jure concludimus, nullo modo ostendi posse, aliquem Pontificem in dogmaticis decretis errasse.

778. Priusquam expendamus errores rom. Pontificibus impactos, animadvertimus, horum catalogum ab initio satis prolixum contextum fuisse ab adversariis pontificiæ auctoritatis (1); deinde valde imminutum, donec contractus est ad duos vel tres tantum, videlicet ad Petri lapsum, cum negavit Christum, ad lapsum item Liberii, ac demum Honorii (2). Jam vero ex his iterum

(1) Eum vide apud Bellarminum, *De rom. Pontif.* lib. iv, cap. 8 et seqq. Magdeburgenses in solo S. Petro quindecim lapsus enumerarunt, et ita porro insequentibus rom. Pontificibus.

(2) Sane Bossuetus in celebri ser-

mone *De Ecclesiæ unitate*, quem habuit ad comitia cleri gallicani die ix Novemb. 1681, ad unum vel duos Pontifices revocat numerum eorum, qui contra morem omnium prædecessorum, per vim aut per subreptionem seducti, non

seponendi sunt lapsus S. Petri et Liberii; si quidem in lapsu Petri nulla data fuit definitio fidei, cum neque Ecclesia fuerit tunc temporis solemniter instituta, nec primatus actu collatus S. Petro, sed solum promissus, in cujus gratia hac infallibilitatis dote præditus est ipse ac successores ejus (1). Quod vero ad lapsum attinet Liberii, præterquam quod non agatur ibi de fidei definitione data ad universam Ecclesiam, sed de lapsu personali per subscriptionem vi fraudeque extortam, et quidem formulæ Sirmiensi, quæ sensum catholicum præ se ferebat, nunc apud criticos exploratum est, ejusmodi lapsum commentitium esse, aut saltem ita dubium, ut nullam adversariis criminandi causam præbere possit (2). Restat propterea unus Honorius, de quo suspicari possimus errorem in suis ad Sergium epistolis.

defendérint constanter, aut non satis aperte explicaverint doctrinam fidei. Sed juverit textum ejus vere pulcherrimum in medium afferre : *C'est cette Eglise romaine, inquit, qui, enseignée par saint Pierre et ses successeurs, ne connoît point d'hérésie... Les hérésies ont pu y passer, mais non pas y prendre racine. Que contre la coutume de tous leurs prédécesseurs, un ou deux Souverains-Pontifes, ou par violence, ou par surprise, n'aient pas assez constamment soutenu, ou assez pleinement expliqué la doctrine de la foi; consultés de toute la terre, et répondant durant tant de siècles à toutes sortes de questions de doctrine, de discipline, de cérémonies, qu'une seule de leurs réponses se trouve notée par la souveraine rigueur d'un Concile œcuménique; ces fautes particulières n'ont pu faire aucune impression dans la chaire de saint Pierre. Un vaisseau qui fend les eaux n'y laisse pas moins de vestiges de son passage... Ainsi l'Eglise*

romaine est toujours vierge; la foi romaine est toujours la foi de l'Eglise; on croit toujours ce qu'on a cru; la même voix retentit partout; et Pierre demeure dans ses successeurs le fondement des fidèles. C'est Jésus-Christ qui l'a dit; et le ciel et la terre passeront plutôt que sa parole. Opp. cit. edit. tom. xv, pag. 501 et seq.

(1) Mirum proinde est, potuisse adhuc archiep. Turonensem, Aloysium M. de Barral, in op. *Défense des libertés de l'Eglise gallicane et de l'assemblée du clergé de France tenue en 1682*, Paris 1817, pag. 327 et seqq. ad ostendendam fallibilitatem rom. Pontificum, afferre lapsum S. Petri, perinde ac si Petrus cum dixit ancillæ ostiariæ: *non novi hominem istum*, dedisset definitionem dogmaticam *ex cathedra, quam nondum habebat*.

(2) Cfr. Stillingus, *Acta Sanctorum*. tom. vi, mens. Septembr. die 23, *De S. Liberio Papa, Conf. Romæ, commentarius critico-historicus*, a pag. 572

779. Porro Honorium neque astu monothelitarum hallucinatum, neque rem dogmaticè definivisse, sic vindicamus. Ille in dogmate de duplici operatione ac voluntate errasse dicendus non est, qui aperte et expresse duplicem in Christo pro duplici ejus natura asseruit operationem et voluntatem; quique præterea eadem illa usus est forma ad dogma hoc asserendum, quæ tanquam catholica ab œcumenico Concilio cum plausu excepta est. Rursum: ille definitionem dogmaticam dedisse dicendus non est, qui aperte profitetur se nolle quidpiam definire. Atqui utrumque fecisse Honorium constat ex ipsis epistolis, ob quas accusatur.

780. Et sane quoad primum, decretoria sunt Honorii verba: *Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet... utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem, quæ Dei sunt operantem; et humanam, quæ carnis sunt exequentem* (1). Et iterum paulo post scribit: *Duas naturas, id est, divinitatis et carnis assumptæ, in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise et inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes* (2). Porro hanc fidei professionem, commentario etiam addito, descripsit Honorius ex celebri dogmatica epistola S. Leonis, *ad Flavianum* scribentis: *Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est* (3). Hoc autem testimonium

ad pag. 632. Item *Dissertaz. critico-storica* dell'ab. Pietro Corgne, tradotta dal franc. *in cui si dimostra insussistente la pretesa caduta del santo Papa Liberio, con note del raccogli-tore*, in op. *Raccolta di dissertazioni di storia ecclesiastica, per opera di Francantonio Zaccaria*, Roma 1794, tom. x, diss. 3; atque ejusdem Zachariæ S. J. *Dissert. de commentitio Liberii lapsu*, quæ prostat in *Thesauro Theologico*, tom. II, part. II, lib. I,

opusc. 6. Quapropter vel ipse Bossuetus fassus est: *J'ai rayé de mon traité De la puissance ecclésiastique tout ce qui regarde le pape Libère, comme ne prouvant pas bien ce que je voulois établir*. Cfr. apud de Maistre, *Du Pape*, liv. I, ch. 15.

(1) Epist. II, apud Harduin. *Acta*, etc. tom. III, col. 1354.

(2) Ibid.

(3) Ibid. tom. II, col. 294.

cum prolatum esset in VI Synodo, legati Rom. Sedis adjece-
runt: *Ecce, benignissime Domine, manifeste duas naturales
operationes inconfuse et indivise in D. N. J. C. præsens sanctis-
simus prædicat Pater* (1); nec ullus repugnavit nisi Macarius,
Archiepiscopus Antiochenus, hæreticus monothelita. Quod si in
S. Leonis testimonio *manifeste* catholicum dogma de duplici
operatione continetur, cur non continebitur in testimonio Honorii,
qui non solum eadem usurpavit verba, sed idem præterea dogma
clarius adhuc expressit?

781. Ad alterum vero quod attinet, non minus luculenta
verba sunt, quibus Honorius declarat, se nolle edere fidei defi-
nitionem, dicens: *Non nos oportet unam vel duas operationes
definientes prædicare* (2). Immo tantum abest, ut voluerit Hono-
rius definire unam vel duplicem esse in Christo operationem,
ut grammaticis id discutiendum reliquerit: *Utrum autem*, inquit
Pontifex, *propter opera divinitatis et humanitatis, una an
geminæ operationes debeant derivata dici vel intelligi, ad nos
ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis* (3). Cum
igitur Honorius professus sit, se nihil definire, cum voces decli-
naverit unius aut duplicis operationis, patet, ipsum noluisse dog-
maticam dare definitionem, etsi concederemus, dogmaticas esse
ejus epistolas, quod alii forsitan haud immerito inficiantur (4).

782. Cum igitur ex omnibus, qui incusabantur, Pontificibus
duo aut tres, fatentibus ipsis adversariis, supersint, qui cum
aliqua veri specie in suspicionem venire possint, et exploratum
sit, neque hos ipsos in dogmaticum errorem lapsos esse, merito

(1) Ibid. tom. III, col. 1063.

(2) Epist. II. Ibid. col. 1354.

(3) Epist. I. Ibid. col. 1322.

(4) Cfr. Card. Orsi, op. cit. *De irre-
formabili*, etc. tom. I, part. I, cap. 22,
art. 2, § 5. Attamen Honorius est
magnus, imo unicus gallicanorum Achil-
les; Bossuetus lapsum Honorii maxime
urget. Nunc vero adeo eliquata res est
Honorii causa, ut præter hæreticos, uti

Garnerius et Baluzius testantur, nullus
jam fere sit, qui Honorio hæreseos cri-
men imputet. Vel ipse Natalis Alex.
gallicanus acerrimus, diss. II, in sec. VII,
prop. 3, statuit, *Honorium ab hæresi
tam vere excusari quam pie*. Quid de
ceteris rom. Pontificibus dicemus, quo-
rum accusatio longe levioribus argu-
mentis innititur?

concludimus, ex ipso facto evinci inerrantiæ dono præditos a Christo esse rom. Pontifices ex cathedra definientes. Nec enim absque divini præsidii munere fieri potuit, ut, deficientibus ceteris apostolicis Ecclesiis omnibus, sola romana Sedes ex tot retro seculis immota perstiterit.

DIFFICULTATES

783. Obj. prima. Saltem Honorius ab errore dogmatico purgari nequit; etenim ipse 1^o epistolas dedit ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, et proinde ad Cyrum Patriarcham Alexandrinum, qui eo mediante ipsum quoque consuluerat in quæstione fidei, adeoque dogmatica. 2^o In his vero epistolis probat consilium Sergii et Cyri de indicendo silentio profitentibus duas in Christo operationes. 3^o Improbavit epistolam synodicam Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani, quæ lecta et orthodoxa habita est in Conc. œcumenico VI. 4^o Ineptum esse judicavit *sentire et promere unam aut duplicem esse in Christo operationem* (1). 5^o Affirmavit, se pari animo prædicare, quod hæreticus monothelita Sergius prædicabat, finem priori suæ epistolæ his verbis faciens: *Hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut et nos ea vobiscum unanimiter prædicamus* (2). 6^o Unam adstruxit in Christo voluntatem, dum ait: *Unam voluntatem fatemur D. N. J. C.* (3). 7^o Nec obest, formulam in specie catholicam Honorium usurpasse, cum exploratum sit, eadem formula iisdemque Leonis verbis usum esse Sergium monothelitam, dum in epistola ad Honorium significavit, se ad Heraclium scripsisse, ut permaneret *in attrita Patrum doctrina, quam omnes consonanter confitentur... Unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus simul et homo est, eundem operari divina et humana; et ex eo uno eodemque incarnato Deo Verbo, sicut jam sumus effati, inseparabiliter atque indivise omnem divinam atque humanam operationem procedere. Hoc nempe nos Leo Dei portitor instruit, manifeste*

(1) Epist. II, apud Hard. tom. cit. col. 1351.

(2) Epist. I. Ibid. col. 1323.

(3) Ibid. col. 1319.

perhibens : *Agit enim utraque forma*, etc. (1). Nemo tamen propterea Sergium a monothelismo absolvet. Ergo.

784. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m prob. *Dist.* Ita tamen ut epistolæ illæ nullum dogmaticum decretum aut fidei definitionem exhibeant, uti ex dictis luculenter patet, *trans*; secus, *neg.* Aliud autem est scriptum aliquod esse dogmaticum, aliud vero in ipso contineri dogmaticam definitionem. Alterum cum altero permisceri nequit (2).

785. Ad 2^m, *Dist.* Probat consilium Sergii et Cyri de indico silentio ex inconsulta ac improvida œconomia, illorum vafritie deceptus, *conc.*; probat pravum ac subdolum eorum consilium in hæretico dogmate tradendo, quodque adhuc latebat, *neg.* Argui enim nequit Honorius in sua agendi ratione cum illis occultis hæreticis nisi nimix credulitatis, atque ut aiunt, *bonæ fidei*, dum putavit illos sincere agere, quando impia moliebantur.

786. Ad 3^m, *Neg.* Sed cum Honorius fallaci persuasione sibi adblandiretur sese orientalibus pacem allaturum, si semel obtinisset silentium circa voces unius aut duplicis operationis, eodem modo ac vetuit Sergio et Cyro, quominus *unam* prædicarent in Christo operationem, ita vetuit Sophronio, ne adhiberet vocabulum *duplicis* operationis, ut ex ipsis ejus verbis elucet (3).

(1) Ibid. in epist. Sergii, col. 1318.

(2) Non sine animadversione dimitendum est, quod Synodus vi, quæ sæpe adeo *dogmatica* vocavit scripta Sergii, Cyri aliorumque, nusquam tamen loquens speciatim de Honorii epistolis eas *dogmaticas* dixerit. Hinc Nat. Alex. in cit. *Dissert. in hist. eccles. sec. vii*, prop. 11, *privatam* vocat epistolam, quam ad Sergium scripsit Honorius, quod ex professo ostendit Roncaglia in animadv. ad cit. Natalis dissertationem, quodque pariter præstitit Thomassinus, diss. xx in Syn. sextam, n. 8 et seqq.

(3) Præter allata Honorii verba, non minus clare, quod contendimus, evincunt, quæ Pontifex profert, ut Sergio ac Sophronio suadeat repudiare novas voces, quæ *noscuntur*, ut ipse loquitur, *sanc-tis Dei Ecclesiis scandala generare; ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur; aut certe, si rursus unam operationem D. N. J. C. fatendam esse censuerimus, stultam Eutychnistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.* Apud Hard. loc. cit. col. 1323.

787. Ad 4^m, *Dist.* Ineptum esse judicavit sentire et promere duas operationes, in ordine ad vocabula et prædicationem, *conc.*; in ordine ad veritatem catholicam, *neg.* Etenim præterquamquod incertum est, utrum vox *sentire*, quæ ex versione græca reddita est, reperiretur in originali latino, quod periit, patet ex scopo Honorii conciliandæ pacis per suppressionem vocabulorum *unius* vel *duplicis* operationis, illam non ad rem ipsam, sed ad vocabula plane referri. Dogma enim catholicum de duplici operatione apertissime professum esse Honorium ostendimus; quamobrem quæ fieri potuerit, ut ipse nunc ineptum censuerit *sentire* unam aut duplicem esse in Christo operationem (1)?

788. Ad 5^m, *Dist.* Quoad œconomicum silentium, *conc.*; quoad hæreticam illorum mentem, *neg.* Ut liquet ex dictis et ex toto contextu, cujus prolata verba necessario inferunt silentium hactenus commendatum.

789. Ad 6^m, *Dist.* Unam adstruxit in Christo voluntatem *humanam*, ad exclusionem pugnæ inter carnem et spiritum, *conc.*; divinam et humanam, seu *divino-humanam*, *neg.* Idque constat 1^o ex verbis immediate insequentibus; pergit enim Honorius: *Quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitata... Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori* (2). Constat 2^o ex locupletissimis testibus, Joanne abbate, qui erat Honorio a secretis, ejusque nomine epistolam exaravit; Joanne IV, Honorii ab anni dimidio successore, in apologia, ac S. Maximo martyre, tum in disputatione cum Pyrrho, tum in epistola ad Marinum (3).

790. Ad 7^m, *Dist.* Formulam catholicam et Leonis verba etiam usurpavit Sergius ad facilius decipiendum Honorium, *conc.*; eo quod catholice sentiret, *neg.* Nihil porro est quod magis excuset

(1) Cfr. Ballerin. *De vi et rat. prim.* cap. 15, § 9, num. 35, in not. (1).

(2) Apud Hard. loc. cit. col. 1319, et 1322.

(3) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De Incarnat.* part. II, cap. 3, art. 4, n. 484 et seqq. t. IV, p. 262, una cum adnotation. quæ illuc referuntur.

Honorium detegatque vafritiem hæretici Sergii, quam ipsa agendi ratio ab isto erga illum adhibita. Cum enim desperaret Sergius, se fucum ei facturum, si hæreticum, quod intus latebat, virus evomisset, simulavit catholicam fidem, seque zelo catholicæ Ecclesiæ permotum, atque hinc indicendum esse silentium ostendere Honorio nisus est. Quod vero dissimulabat cum Honorio, vaferrimus veterator patefaciebat Heraclio et Cyro (1). Quid porro hæc Sergii agendi ratio cum Honorio diversa ab ea, quam idem sectatus cum ceteris est, significat, nisi quod probe sciret, aliam prorsus Honorio inhæsisse mentem circa catholicum dogma a sua, quam propterea tegere satigit? Catholicus igitur Honorius, et catholica mente fidem expressit; contra vero Sergius fuit hæreticus, et hæretica mente catholice locutus est.

791. Obj. secunda. Si ita se res habet, erravit ergo Concilium œcumenicum VI, quod 1^o sexies damnavit Honorium, actione nempe XIII, eo quod ejus epistola ad Sergium *dissentanea* sit a Patribus (2); quod Sergii mentem in omnibus sit secutus ac dogmata confirmaverit (3); quod ejus epistola in unam eandemque impietatem cum scriptis hæreticorum concurrat (4); Act. XVIII, quod per eum perinde atque per alios dæmon disseminaverit hæresim unius voluntatis et operationis (5); ibid. quod prædicaverit unam voluntatem et operationem (6); et rursus ibid. quod

(1) Ut patet ex Ecthesi vulgata sub Heraclii nomine et auctoritate, cujus tamen verus auctor fuit Sergius. Ea cfr. apud Baronium ad an. 639, n. 9, qui integram exhibet, necnon ex ejusdem Sergii epist. ad Cyrum, apud Harduin. loc. cit. col. 1310.

(2) Apud Harduin. loc. cit. col. 1331.

(3) Ibid. col. 1334.

(4) Ibid. col. 1354.

(5) Ibid. 1398.

(6) Col. 1414. Locus hic difficilior videtur; etenim, postquam commemorati sunt a Concilio Theodorus, Sergius, Honorius aliique, prosequitur

Concilium : *Omnibus hæreticis anathema, qui prædicaverunt et prædicant, et docent ac docturi sunt unam voluntatem et unam operationem in dispensatione Jesu Christi Dei nostri, anathema.* Ex quibus videtur colligi, et Honorium docuisse una cum ceteris unam in Christo voluntatem unamque operationem. At difficultas evanescit, si observetur cum Garnerio, eandem unice oriri ex ratione interpunctionis. Nam anathema prius dicitur omnibus nominatim recensitis; tunc adjecto puncto subditur : *Omnibus hæreticis anathema.* Iterum adjecto puncto : *Qui*

secutus sit Theodorum, Sergium, Pyrrhum, etc. (1). 2^o Anathematizavit Honorium, ut hæreticos reliquos, quorum nomina e sacris diptycis expunxit, ejusque epistolas una cum scriptis Sergii, Pyrrhi, etc. flammis addixit. Ergo.

792. Resp. *Neg. ant.* Ad 1^m, prob. seu probationum seriem, *Dist.* Ex his evincitur Honorium damnatum fuisse ob œconomicam dispensationem suam, *conc.*; ob errorem in fide, *neg.* Non aliud colligitur ex ejusmodi damnatione, quam Honorium perversis aliorum consiliis connivisse, non resistendo uti par erat, sed per imprudentem silentii jussionem malum fovendo. Hoc silentio abusi hæretici, a dogmate catholico de duabus voluntatibus et operationibus populos sensim sine sensu abducere moliebantur. Igitur non hæresis assertæ sed fotæ reus fuit; non consensionis cum hæreticis sed inconsultæ dissimulationis. Cumque dote infallibilitatis in fide asserenda, utpote Ecclesiæ Primas, præditus esset, non confirmavit fratres suos juxta munus sibi a Christo Domino demandatum. Hanc stetisse Concilio mentem in damnando Honorio testatur Leo II, in *Epist. ad Constantinum Imperatorem*, ubi causam affert, cur et ipse, Concilii sententiam confirmans, anathematizet *Honorium, qui, inquit, hanc apostolicam Ecclesiam non apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed profana prodicione immaculatam maculari permisit* (2); seu etiam, uti scribit ad episcopos Hispaniæ: *Qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit* (3). Præter Leonem alium testem habemus locupletissimum Imperat. Constantinum Pogonatum, qui assidue Synodi actionibus interfuit, nec parum causam catholicam javit. Hic porro, cui optime perspecta erat Synodi mens, loquens de Episcopis, qui Ecclesias

prædicaverint et prædicant, etc. anathema; uti reipsa legitur cum hac ipsa interpunctione apud Harduinum, loc. cit.

(1) Ibid. 1422.

(2) Ibid. col. 1475.

(3) Apud Labb. Conc. tom. vi,

col. 1247. Licet hæc ipsa jam dederim in tract. cit. *De Incarn.* loc. cit. Attamen ut plena hic haberetur de Honorii causa disceptatio, nec cogere lectorem ad ea sibi comparanda ex illo tractatu, iterum illa hic in ejus modum subjeci.

perversè gubernarunt : *Hi sunt*, inquit, *Theodorus, qui fuit Pharan Episcopus, Sergius, qui fuit nostræ a Deo conservandæ regie urbis antistes, ad hæc et Honorius, qui fuit antiquæ Romæ Papa, hujusmodi hæreseos confirmator, qui etiam sui exitit oppugnator* (1). Ex quibus patet, Honorium vocari *confirmatorem* hæreseos propter inconsultam œconomiam, eumque præterea argui, quod secum ipse pugnet, quia, cum catholice re ipsa sentiret in litteris, non iis tamen animis, quibus ad profligandam hæresim opus erat, et egit et locutus est (2). Certo si quis singula objecta Concilii loca expendat, nec unum offendet, in quo dicatur anathema Honorio, eo quod unam docuerit in Christo voluntatem.

793. Ad 2^m, Responsio patet ex dictis. Receptum siquidem antiquitus fuit, ut *hæreticorum* nomine significarentur tam hæretici proprie dicti quam eorum fautores (3); cum vero monothelitarum fautorem, etsi deceptus, se exhibuerit Honorius, ideo a Concilio ut hæreticus damnatus est; ejus nomen e diptycis expunctum; scripta igni addicta, eo quod ceteris exitium importaverint. Ita porro se gessit VI Synodus, quia nullum peccatum est, quod fidei catholicæ quovis modo noceat, in quod Ecclesia animadvertere non possit (4).

(1) In *Edicto*, apud Harduin. loc. cit. col. 1447.

(2) Cfr. Jo. Garnerius S. J. in *Appendice ad notas capituli II Libri Diurni rom. Pontificum*, § 6, n. 65 et seqq.

(3) Cf. *Ibid.* n. 69.

(4) Ex his patet, necesse haud esse ad tuendum Honorium, ut confugiamus sive ad vitata acta Conc. VI, sive ad epistolas Imperatoris et S. Leonis II supposititias, etc. uti nonnulli etiam ex recentioribus facere consueverunt. Omnes enim peritiores critici, ut recte observat Roncaglia in *Animadv.* ad cit. *dissert.* Nat. Alex. Honorium inaniter defendi fatentur ab hæreseos nota illi inusta, ex ratione quod acta sextæ

Synodi ad nos adulterata pervenerint; quoniam hodie vix est, ut subdit Card. Orsi, loc. cit. cap. 26, qui Honorium in sexta synodo reapse damnatum fuisse neget. Sane, qui legerit Garnerium in cit. *Appendice*, sibi facile persuadebit, nullo modo de ejusmodi adulteratione aut epistolarum suppositione vel tenuem suspicionem admitti posse. Qui plura cupit de Honorio, ac de Rom. Pontificis infallibilitate universim, adeat, quos identidem commemoravimus, optimorum auctorum fontes. Non possumus tamen quin hic præcipue commendemus opus illud, quod hac ipsa de re GREGORIUS XVI Pont. Max. quem diu sospitem incolamemque Deus servet, jampridem, dum

794. De Ecclesia ejusque supremo capite, romano Pontifice, hactenus. Quanti autem interfuerit hæc prolixius fortasse disseruisse, tum alias, tum præcipue in reliquis, quas proposuimus tractationis hujus partibus, quisque facile intelliget.

in minoribus esset, evulgavit titulo : *Il Trionfo della santa Sede e della Chiesa contro gli assalti de' novatori combattuti e respinti con le stesse loro armi*, Roma 1799; quodque recens et pluries recusum, ac gallice etiam, germanice, hispanice atque hollandice versum magnum ubique plausum excitavit. In hoc quippe opere præclarissimus Auctor ea logicæ methodi severitate, ea argumentorum vi ac doctrinæ

copia Pontificiam infallibilitatem, adversus neotericos e janseniano grege, vindicavit, ut rem plane confecerit. Ita nempe GREGORIUS XVI, quadraginta et amplius abhinc annis, divinas Sedis illius prærogativas strenue propugnabat, quæ æternæ providentiæ consilio ab eo, nil tale cogitante, deinceps erat tenenda, ac tanta cum sapientia atque apostolici animi robore gubernanda.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

VERSIO LATINA LOCORUM, QUÆ EX SCRIPTORIBUS ITALIS VEL
ITALICE IN HOC VOLUMINE CITANTUR.

Pag. 136. Ex operibus S. Francisci Salesii.

Ipse Christus consilia evangelica in praxim deduxit, et ut ab Ecclesia primitiva in praxim deducerentur curavit; omnia scripta sunt et consignata; quid est tota Salvatoris vita, nisi fidelium regula et instructio? Debit ergo Ecclesia hoc documento uti, adeo quidem ut inter christianæ religionis exercitia praxis hujus paupertatis, obedientiæ et propriæ abnegationis recenserentur. Et revera omni ætate Ecclesia exercitia hæc observavit; unde colligitur, eadem ipsi propria esse. Ad quid autem dedisset Dominus hæc consilia, si nemo ea sequi deberet? Hinc patet, in vera Christi Ecclesia perfectionem veram vitæ christianæ splendescere debere.

Pag. 169. Ex Cl. Fergolæ opere, quod inscribitur: *Theoria miraculorum*, § 29.

Dum athei miraculorum veritatem, qua fulcitur nostra religio, eludere et in dubium revocare conantur, in absurda multa vel inviti incidunt; et ex ridiculis eorum commentis et pertinacia mire elucet veritas fidei christianæ.

Pag. 268. Ex Card. Pallavicini *Hist. Conc. Trid.* lib. XI, cap. 18, n. 9.

Ideo inter Christianos natum est schisma, quia Eutychniani cum aliis, qui a Concilio Calcedonensi damnati fuerant, objiciebant Ecclesiam romanam huic Concilio suam approbationem denegasse, dum approbavit Concilium Constantinopolitanum secundum (*quintam synodum œcumenicam*). At S. Gregorius sæpius hanc apparentem contradictionem diluit, ostendens Concilia hæc sibi consentire in probanda vera doctrina, et in damnanda hæresi Theodori, Theodreti et Ibæ. Idque præcipue declarat in epistola sua ad Constantem Episcopum Mediolanensem; in qua observat, quod et nos diximus, Concilia inter se non dissentire quoad dogmata fidei, sed quoad personas, de quibus egerant Patres Calcedonenses, postquam veram doctrinam definivissent. Quod igitur de personis statuerunt, non erat articulus fidei, nec ad infallibilitatem Ecclesiæ pertinet.

Pag. 577. Ex Joan. Villani *Historia*, lib. IX, cap. 264.

Magister Joannes de Giandone et Magister Marsilius Patavinus doctissimi fuerunt in eorum naturalium scientia et in astrologia, sed in multis hæretici reperti sunt.

Et ex lib. X, cap. 102.

Die decimo Septembris Corneto profecti sunt, et cum Montem-altum pervenissent, mortuus est Magister Marsilius Patavinus perfidus hæreticus et magister et dux Bavari, qui die 15 Septembris pervenit Gressedo.

Pag. 465. Ex Petri Tamburinii *Analyti præscriptionum Tertulliani*, § LX.

Ex eo, quod infallibile iudicium de quæstionibus, quæ ad fidem pertinent, consensu universali omnium ecclesiarum, et concordia omnium pastorum unice constituitur, necessario sequitur, omnes fideles lumina sua præstare, quibus aliorum infirmitati

succurrant... Quum ecclesiæ et pastores in solidum concurrant ad sententiam dogmaticam ferendam, et omnes fideles in ea suam propriam fidem agnoscant, perfecto cum intima persuasione ipsi adhærent, ac cum majori desiderio defendendi partem hanc communis patrimonii, quod Ecclesiæ Jesu Christi commissum est. Et quia assensus, quem definitioni præstant, disquisitionem, cognitionem causæ et doctrinæ dijudicationem supponit, ideo in ipsis producit non cæcam quamdam obedientiam, sed illuminatam persuasionem, et rationabilem assensum verbo Dei.... Et §. L : Quoniam Jesus Christus privilegium inerrantiæ, non definito cuidam numero eorum, qui in Ecclesia sunt, legavit, sed toti corpori Ecclesiæ, ideo non promisit fore ut in doctrinis, de quibus litigant Christiani, veritas penes majorem vel minorem litigantium numerum esset.

EDITORES LECTORI.

Quum doctos harum regionum viros prorsus laterent *Notæ in Constitutionem AUCTOREM FIDELI*, quas cl. Xav. De Feller scripsisse fertur a doct. Cardinale Gerdilio, nec ullo monumento publico, imo nec patrum memoria constaret doctissimum virum quidquam hujusmodi edidisse, ad calcem voluminis IV hujus operis, harum notarum authenticam in dubium revocavimus; et, allatis opinionis nostræ momentis, negativis quidem, sed minime spernendis, demonstrare conati sumus, *Notas* quas Card. Gerdilius refellit, Xaverio De Feller non esse tribuendas.

At R. P. Perrone, cui res optime erat perspecta, testatus est, se præ manibus habere epistolas autographas, quibus Xav. De Feller se *Notarum* auctorem esse, quin imo et Card. Gerdilio se responsurum asserit; harum epistolarum exemplar ad nos mittere dignatus est cl. auctor; quapropter lectorem monendum censuimus, dubia, quæ in volumine IV movebamus, prorsus evanuisse.

INDEX.

TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS.

PROOEMIUM.		Pag. 1
PARS I. SECTIO PRIOR, DE ECCLESIA CHRISTI.		4
CAPUT I.	DE CHRISTI ECCLESIAE INSTITUTIONE ET ORIGINE.	<i>ib.</i>
PROP. I.	<i>Christus Ecclesiam instituit et fundavit, ut per eam et in ea sui cultores mediis idoneis essent instructi ad aeternam salutem sibi comparandam.</i>	5
	DIFFICULTATES.	9
PROP. II.	<i>Ecclesia a Christo instituta anterior est quavis Scriptura.</i>	15
	DIFFICULTATES.	19
CAPUT II.	DE CHRISTI ECCLESIAE CONSTITUTIONE.	28
ARTIC. I.	De anima Ecclesiae.	31
PROP.	<i>Omnes et soli justii pertinent ad Ecclesiae animam.</i>	32
	DIFFICULTATES.	35
ARTIC. II.	De Ecclesiae corpore.	38
PROP. I.	<i>Ad corpus Ecclesiae, seu ad visibilem Ecclesiam spectant omnes Christi fideles, tam justii quam peccatores.</i>	39
	DIFFICULTATES.	43
PROP. II.	<i>Ecclesiae corpus constituitur ex hierarchia divina ordinatione instituta et ex laicis; seu constat ex clericis et laicis, divino jure ab invicem distinctis.</i>	52

	DIFFICULTATES.	58
ART. III.	De mutuo inter Ecclesiæ animam et corpus commercio.	68
PROP.	<i>Mutuum existit inter animam et corpus Ecclesiæ a Christo institutæ commercium, quo ipsam supernaturali modo jugiter vi- vere et agere certissime deprehenditur.</i>	70
	DIFFICULTATES.	76
CAPUT III.	DE ECCLESIE NOTIS.	86
PROP. I.	<i>Veræ Christi Ecclesiæ notæ sunt unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas.</i>	87
	DE NOTA UNITATIS.	90
	DE NOTA SANCTITATIS.	93
	DE NOTA CATHOLICITATIS.	94
	DE NOTA APOSTOLICITATIS.	98
	DIFFICULTATES ADVERSUS ECCLESIE NOTAS IN GENERE.	101
	DIFFICULTATES ADVERSUS NOTAM UNITATIS.	109
	DIFFICULTATES ADVERSUS NOTAM SANCTITATIS.	124
	DIFFICULTATES ADVERSUS NOTAS CATHOLICITATIS ET APOSTOLICITATIS.	128
PROP. II.	<i>Recensitæ veræ Ecclesiæ notæ soli romanæ Ecclesiæ et competunt et competere pos- sunt, quæ proinde ex eisdem sola vera esse Ecclesia Christi dignoscitur.</i>	133
	<i>Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas Ecclesiæ romanæ.</i>	135
	<i>Prædictarum notarum defectus in omnibus societatibus, quæ non communicant cum Ecclesia romana.</i>	141
	DIFFICULTATES PETITÆ EX ECCLESIA ROMANA ADVERSUS NOTAM UNITATIS.	149
	ADVERSUS NOTAM SANCTITATIS.	159
	ADVERSUS NOTAS CATHOLICITATIS ET APOSTOLI- CITATIS.	177
	DIFFICULTATES EX VARIIS SECTIS.	186

CAPUT IV.	DE ECCLESIAE DOTIBUS.	217
ARTIC. I.	De Ecclesiae indefectibilitate.	<i>ib.</i>
PROP.	<i>Ecclesia Christi est indefectibilis.</i>	218
	DIFFICULTATES.	220
ARTIC. II.	De Ecclesiae infallibilitate.	226
PROP. I.	<i>Ecclesia Christi est infallibilis in iis omnibus, quæ ad fidem et mores pertinent.</i>	227
	DIFFICULTATES.	237
PROP. II.	<i>Ecclesia est pariter infallibilis in factis dogmaticis decernendis.</i>	255
	DIFFICULTATES.	261
ARTIC. III.	De auctoritate Ecclesiae.	269
PROP.	<i>Ecclesia divinitus accepit potestatem independentem atque supremam sancienti per leges exteriori disciplinam, cogendi que fideles ad earum observationem, et coërcendi salutaribus pœnis devios et contumaces.</i>	275
	DIFFICULTATES.	282

SECTIO POSTERIOR.

	DE ROMANO PONTIFICE.	295
CAPUT I.	DE PETRI PRIMATU.	297
PROP. I.	<i>Christus contulit Petro primatum honoris et jurisdictionis in universam Ecclesiam, cui propterea eum caput præfecit.</i>	<i>ib.</i>
	DIFFICULTATES.	303
PROP. II.	<i>Eadem veritas evincitur ex traditione.</i>	337
	DIFFICULTATES.	343
PROP. III.	<i>Petrus jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam immediate a Christo, non autem ab ipsa Ecclesia accepit.</i>	350
	DIFFICULTATES.	354
CAPUT II.	DE PETRI PRIMATUS IN CHRISTI ECCLESIA PERPETUITATE.	363
PROP. I.	<i>Primatus, Petro collatus, ex Christi insti-</i>	

	<i>tutione debuit in Ecclesia post illius obitum in perpetuum perdurare.</i>	364
	DIFFICULTATES.	368
PROP. II.	<i>Petrus Romam venit, atque hujus urbis episcopatum instituit rexitque usque ad obitum suum.</i>	373
	DIFFICULTATES.	378
PROP. III.	<i>Romani Pontifices, Petri in episcopatu romano successores, illius primatum jure divino obtinuerunt, non autem humana sive ecclesiastica sive politica dispositione.</i>	390
	DIFFICULTATES.	398
CAPUT III.	DE NATURA ET JURIBUS PRIMATUS ROM. PONTIFICIS.	420
PROP. I.	<i>Primatus auctoritas, qua divino jure pollet rom. Pontifex, auctoritas est episcopalis, quæ omnes complectitur Christi fideles etiam Episcopos.</i>	ib.
	DIFFICULTATES.	424
PROP. II.	<i>Romanus Pontifex, vi sui primatus, suprema auctoritate gaudet in omnes Episcopos, etiam in generali Synodo collectos.</i>	431
	DIFFICULTATES.	439
PROP. III.	<i>Ad solum rom. Pontificem, vi sui primatus, spectat Concilia œcumenica cogere, iis præsidere, eaque confirmare.</i>	449
	DIFFICULTATES.	451
PROP. IV.	<i>Decreta dogmatica Concilii œcumenici, confirmati a rom. Pontifice, irreformabilia sunt ex se seu ante consensum et acceptationem Ecclesiæ.</i>	465
	DIFFICULTATES.	473
PROP. V.	<i>Commentitia est, ac naturæ primatus Pontificii prorsus adversatur, nuper invecta; inter jura primatus essentialia et accidentalialia sive accessoria, distinctio.</i>	482

	DIFFICULTATES.	488
CAPUT IV.	DE ROMANI PONTIFICIS PRIMATUS DOTIBUS.	496
PROP. I.	<i>Rom. Pontifex, ex cathedra definiens, in rebus fidei et morum infallibilis est, ejusque dogmatica decreta, etiam antequam accedat Ecclesie consensus, sunt prorsus irreformabilia, prout in primis sacre Littere ostendunt.</i>	500
	DIFFICULTATES.	503
PROP. II.	<i>Rom. Pontifex ex cathedra definiens in rebus fidei et morum infallibilis est, ejusque decreta, etiam antequam accedat Ecclesie consensus, sunt prorsus irreformabilia; prout etiam evincitur sensu traditionali:</i>	508
	DIFFICULTATES.	514
PROP. III.	<i>Idipsum confirmatur ex facto ipso rom. Pontificum, quorum neminem in dogmaticis decretis errasse ostendi potest.</i>	525
	DIFFICULTATES.	530
	<i>Versio latina locorum, quae ex scriptoribus italica vel italice in hoc volumine citantur.</i>	537
	<i>Editores Lectori.</i>	538

APPROBATIONES ROMANÆ.

NIHIL OBSTAT.

JOSEPHUS MARIA GRAZIOSI, *Censor Theologus.*

IMPRIMATUR.

F. D. BUTTAONI, *Ord. Præd. P. S. A. Mag.*

IMPRIMATUR.

N. FERRARELLI, *Archiep. Myren. Pro-Vicesgerens.*

APPROBATIO EDITIONIS LOVANIENSIS.

IMPRIMATUR.

Mechliniæ, 12 Januarii 1843.

J. B. PAUWELS, *Vic. Gen.*



